1902 EW.

# Collationes Brugenses

## Quæstiones pro Conferentiis

**mensis Februarii.**

—

I

Explica parabolam vineæ (Is. V, 1-7).

II

Expone quid sit divinum attributum tum late, tum stricte dictum, et quænam sint præcipua Dei attributa stricte dicta.

III

Determina *objectum* legis naturalis.

IV

Explica quomodò differat lex *naturalis* a lege *positiva*.

V

Quæritur utrum et cur liceat operari *unice* intuitu mercedis æternæ?

VI

In quibusnam missis *de Requie* dicitur una tantum Oratio et quænam in casu hæc esse debet?

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
25285

v.7
1902



I

Q. Explica Ex. XXI, 5, 6; *Quod si dixerit servus: diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber, offeret eum dominus diis et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæculum.*

R. Ex. XXI, 2-4 determinatur quandonam servus hebræus libertatem suam recuperare permittebatur; 5, 6 agitur de servo qui hac facultate uti non vult.

Vers. 5 duplicem prævidet rationem ob quam servitutem quis præferre possit libertati: primo dilectionem erga dominum suum qui benigne eum tractabat, deinde amorem erga uxorem ac liberos: si enim matrimonium inierat durante servitute, viro post servitium sex annorum libertate donato, uxor serva manebat et quidem donec ipsa sextum annum *sui* servitii expleverit, si hebræa erat; perpetuo autem, si gentilis.

Vers. 6 indicat cæremonias adimplendas ut ejusmodi servus perpetuæ servituti adstringatur. *Offeret eum dominus diis,* hebr. *Elohim.* Nonnulli recentes intellexerunt servum adducendum esse ad Deum quatenus sanctuarium in quo Deus censebatur habitare, adire debebat, et ad sanctuarii portam aurem ejus perforandam esse; inde deduxerunt plura requiri sanctuaria ut ejusmodi lex per totam Palæstinam observari potuerit; jamvero a pluralitate templorum ad pluralitatem deorum facilis erat transitus pro populo inculto, sensuum ductum sequi solito et idololatris gentibus circumdato. Antiquæ autem traditionis sententia, quam contra Rationalistarum conamen tuitus est Van Hoonacker (1), voce *Elohim* judices designari affirmat. Hoc enim sensu

(1) *Le lieu du culte,* Gand, 1894 p. 11 sqq. Ibi etiam demonstratur, dato non concesso cæremoniam adimplendam esse in sanctuario, immerito concludi plura requiri sanctuaria.

adhibetur *Elohim* Ex. XXII, 8, 9 in eodem nempe corpore legum (1); XVIII, 15; Deut. I, 17; 1 Reg. II, 25; Ps. LXXXI, 1, 6; 2 Par. XIX, 6. Cujus appellationis ratio desumebatur ex eo quod publicum muneris judicialis exercitium caracterem quemdam sacrum habere merito æstimabatur. Cur autem coram judicibus hæc servi voluntas exprimi deberet, bene explicat Smits: Voluit Deus ut in re tam gravi sufficienter constaret de libertate sese obligantis; satisque domino, publica auctoritate interveniente, cautum esset.

Præterea cæremoniam perforationis locum habere non ad portam sanctuarii neque ad portam civitatis ubi sedebant judices, sed ad januam domus in qua habitabat herus innuitur ex repetitione verbi duplex iter insinuante: sec. hebr.: *adducet eum dominus ad Elohim et adducet eum ad ostium;* idem ostenditur ex modo absoluto quo nomen, de se januam vulgarem significans, sumitur, quum in præcedentibus neque templi, neque civitatis mentio facta sit, et confirmatur loco parallelo Deut. XV, 17, ubi certo domus janua indicatur. Perforatio auris non fiebat ad ignominiam (ita Theodoret., S. Thom.) sed signum erat perpetuæ servitutis; idem usus apud alias gentes viguisse dicitur. Publice autem fiebat et ad januam domus ut omnibus constaret hunc servum domui heri sui perpetuo addictum et quasi affixum esse. *Erit ei servus in sæculum:* retinendum censemus sensum obvium verborum: perpetuo, usque ad finem vitæ, nec probabilem æstimamus limitationem quam nonnulli faciunt: usque ad annum jubilæi. Aliter quidem sentit Flavius Josephus *Ant.* IV, 8, 28; sed hic quidem testari potest quomodo lex Exodi XXI, 5, 6 suo tempore, in usum ducebatur, non vero quis sit primitivus hujus legis sensus.

Eamdem fere interpretationem Ex. XXI, 5, 6 proponunt P. de Hummelauer et cl. Van de Putte *ad h. l.*

A. D. B.

---

(1) Vide fuse demonstratum apud Van Hoonacker, *o. et l. c.*

II

Q. *Expone quisnam assensus a nobis postuletur, quando Ecclesia docet in re fidei vel morum.*

R. **Prænotanda.**

Ecclesia docet vel *assertive proponendo* veritatem, vel *reprobando* doctrinam falsam, et utroque modo potest exercere magisterium circa objectum vel *primarium* vel *secundarium* ejusdem magisterii.

Ulterius magisterium exercet Ecclesia aut

1°/ *infallibiliter*, quotiescumque nempe, plenitudine utens suæ potestatis, veritatem revelatam vel cum revelatis connexam, definitiva sententia omnibus proponit tenendam vel oppositam doctrinam proscribit repudiandam.

2°/ non *infallibiliter* nec definitive, sed mere *prospiciendo securitati doctrinæ*, non utendo scilicet muneris sui docendi supremo ac definitivo judicio. Nimirum Ecclesia « potest sententias theologicas, vel quatenus cum theologicis nectuntur, præscribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas, non unice ex intentione definitiva sententia infallibiliter dicidendi veritatem, sed etiam absque illa, ex necessitate et intentione (vel simpliciter vel pro determinatis adjunctis) prospiciendi securitati doctrinæ catholicæ » (1). Franzelin, *De Scriptura et Traditione*, Thesi XII, Scholion I. Quibus præmissis,

**Respondetur:**

Quando A/ Ecclesia doctrinam *proponit assertive:* et 1°/ definitivo judicio, quod est infallibile,

a/ veritatem *revelatam* et qua talem tenendam, postulatur a nobis assensus *fidei divinæ catholicæ;*

---

(1) In hujusmodi decreto non definitur speculativa veritas doctrinæ propositæ, sed authentice decernitur eam esse securam et practice tutam; neque definitur notam alicui propositioni inustam ipsi absolute et infallibiliter convenire sed tutum esse et securum hujus censuræ convenientiam admittere.

b/ veritatem *cum revelatis connexam,* postulatur assensus *fidei ecclesiasticæ* seu mediate divinæ;

et 2°/ docet, prospiciendo securitati doctrinæ, non definitivo ac infallibili judicio, nobis est præstandus *assensus religiosus.*

Quando B/ Ecclesia *reprobat* doctrinam falsam, eamque

1°/ *infallibiliter* proscribit

a/ tanquam *hæreticam*, contradictoria est credenda *fide divina catholica.*

b/ tanquam *obnoxiam notæ infra hæresim*, postulatur assensus *fidei ecclesiasticæ* in *notæ convenientiam.*

2°/ non definitive nec infallibiliter, sed prospiciendo securitati doctrinæ, præstandus est *assensus religiosus* in *notæ convenientiam.*

**Explicatur.**

1°/ Infallibili propositioni veritatis explicite vel implicite formaliter revelatæ correspondere a nostra parte fidem *divinam catholicam*, docet ipsum Concilium Vaticanum: « Fide *divina et catholica* ea omnia credenda sunt quæ in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, *tanquam divinitus revelata* credenda proponuntur » (1). Constitutio *Dei Filius*, cap. 3.

Qui hujusmodi veritatem negare ausus fuerit, conscius propositionis infallibilis ab Ecclesia factæ, reatum incurreret hæreseos stricte dictæ (2).

2°/ Assensus *fidei ecclesiasticæ*, qui est præstandus in

---

(1) Inter credenda fide divina catholica numerantur omnia dogmata in S. Scriptura *explicite* contenta, quin specialis definitionis fuerint objectum, quia Ecclesia credendam proponit integram revelationem. Fides autem divina catholica distinguitur a fide divina simpliciter, quatenus hæc postulatur adhibenda veritatibus *privata* revelatione acceptis vel in deposito publico revelationis *implicite formaliter* contentis et *nondum qua talibus ab Ecclesia propositis*, ab illis scilicet quibus comprehensio in revelatione innotescit. Cf. Boucquillon, *De Virtutibus theologicis*, nn. 26-27; Ill. ac Rever. Waffelaert, *Annotationes* ad h. l.; Billot, *De Ecclesia Christi*, II, pp. 101 et seqq.; *Collat.*, VI, p. 520 et seqq.

(2) Cf Bouquillon, op. cit., n. 216.

doctrinam *cum revelatis connexam* et ab Ecclesia infallibiliter propositam, vel in convenientiam notæ infra hæresim infallibiliter inustæ, describitur apud *Collat.*, I, p. 228-229, collatis Billot, op. cit., II, p. 106-115; Franzelin, l. c.

Qui autem rejicit doctrinam ita traditam, eo ipso implicite et indirecte negat infallibilitatem Ecclesiæ in hujusmodi judiciis ferendis; quæ negatio infallibilitatis in tali judicio, utpote quæ infallibilitas nondum est ut fidei dogma definita, per se (1) non includit hæresim, sed errorem in fide hæresi proximum (2).

3°/ *Assensus religiosus* in veritatem propositam ab Ecclesia qua prospiciente securitati doctrinæ, importat « mentis obsequium, non quidem ut credatur doctrina infallibiliter vera..., sed ut judicetur doctrinam in tali judicio contentam esse *securam*, et nobis ex motivo sacræ auctoritatis, cujus munus indubitatum est prospicere securitati doctrinæ, mentis obsequio (qua talem) amplectendam ». Franzelin, l. c. (3).

Casu vero reprobatæ doctrinæ, assensus religiosus non importat assensum in ipsam speculativam notæ convenientiam, sed in securitatem practicam illius asserendæ convenientiæ; postulatur scilicet interno

---

(1) *Per se* non includit hæresim, sed potest eam includere *per accidens*, attenta scilicet persuasione assensum denegantis, qui, si habet infallibilitatem Ecclesiæ in objecto secundario tanquam implicite formaliter in revelatione contentam, reatum incurret hæreseos, licet non stricte dictæ Cf. Bouquillon, op. cit., n 215.

(2) Probabiliter enim descripta Ecclesiæ infallibilitas in hujusmodi judiciis est implicite formaliter revelata, et ex alia parte uti hæresi proximam habet De Lugo, *De Fide*, Disp. XX, n. 79, propositionem oppositam doctrinæ « quæ licet non omnino certo, est tamen probabiliter et ut plerisque videtur de fide ». Cf. Bouquillon, op. cit , n. 229.

(3) Cf. Bouquillon, op. cit., n. 72; Billot, op. cit., II, thesi XIX, ubi addit: « Obedientia autem hujusmodi decisionibus debita non excludit, uti patet, quominus quis inquirat et proponat legitimæ auctoritati rationes quæ forte novam decisionem provocare possent, modò in omnibus salva sit ad S. Sedem subjectio ». Assensus autem ille nobis ex obedientia imponitur vi potestatis jurisdictionis stricte dictæ, quam suprà, p. 516, vidimus simul cum magisterio erga Ecclesiæ subditos exerceri.

mentis assensu amplectenda censuræ convenientia non ut absolute et infallibiliter vera sed ut secura et practica.

Negans porro veritatem hac ratione propositam vel convenientiam censuræ sic illatæ notam incurrit *temeritatis* (1).

A. D. S.

III

Q. *Da notionem actus humani.*

R. Actiones, quæ ab homine procedunt, aliæ dicuntur hominis, aliæ humanæ. « Illæ solæ proprie dicuntur *humanæ*, quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab irrationabilibus creaturis, in hoc quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie *humanæ*, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem : unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie *humanæ* dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem *hominis actiones*, sed non proprie *humanæ*, cum non sint hominis in quantum est homo. » (2) Ut mentem Angelici recte assequamur, hæc notanda breviter veniunt : homo pro natura sua composita duplex genus actionum exercet, alias corporeas et animales, alias spirituales, quæ ipsi sunt propriæ ut est creatura rationalis ; et hæ sunt propriæ hominis *secundum substantiam et entitatem*. Ulterius duplici modo diverso utrumque genus actionum exercet : nempe vel *modo operandi* qui sit proprius hominis, quem scilicet tenet homo, prout distinguitur

(1) Cf. Bouquillon, op. cit., n. 232, quo loco temerarium esse dicit illum qui « magisterio Ecclesiæ aliquam sententiam ex potestate universalis providentiæ proscribenti vel commendanti submissionem denegat ».

(2) *S. Th.* 1-2, q. 1, a. 1 in corp.

a brutis, vel modo operandi quem habet communem cum brutis. Potest nimirum homo actiones, quas secundum substantiam communes habet cum brutis ponere modo sibi ut creaturæ rationali agenti proprio, cum deliberatione scilicet et rationis imperio, et ita fiunt hæ actiones actus humani, id est, humano modo exerciti. Sic actus ambulandi, edendi, bibendi aliive actus imperati, dum procedunt a voluntate deliberata seu directa judicio rationis, sunt vere humani quoad modum, licet quoad substantiam sint homini et brutis communes. Similiter homo actiones secundum substantiam sibi proprias seu procedentes ex facultatibus sibi propriis aliquando ponit ad modum agendi brutorum, uti contingit in motibus tum intellectus tum voluntatis indeliberatis, qui vocantur primo-primi, qui præveniunt omnem rationis advertentiam : et hi actus, sicut et actus amentis, ebrii aut infantis, sunt quidem actus hominis aut etiam humani improprie et secundum substantiam, sed non sunt humani quoad modum et proprie ; potest vero easdem actiones ponere modo humano, id est libere, ita ut sit suorum actuum dominus : et hæ actiones sensu strictissimo dicuntur humanæ, utpote propriæ hominis tum quoad substantiam tum quoad modum. Unde non omnes actiones quæ proxime a potentiis animæ, naturæ humanæ propriis, exeunt, neque etiam solæ illæ dicuntur humanæ, sed illæ proprie humanæ dicuntur, ut audivimus a S. Thoma, « quæ ex voluntate deliberata procedunt » seu ex voluntate directa judicio rationis, idque sive ut a principio proxime eliciente, sive ut a principio imperante.

Merito igitur actus hominis, qui homini agenti qua tali proprius est secundum solum etiam modum operandi, *actus humanus* vocatur (1). Cum tamen in statu

(1) Sunt tamen auctores qui pressiori sensu utuntur, vocantes humanum proprie illum dumtaxat actum qui omnino proprius est hominis, tum quoad entitatem, tum quoad modum. Cfr. Suarez, *De ultimo fine hominis*, disp. II, sect. II, n. 7 ; Ferretti, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ 1887, vol. I, p. 108.

viæ, modus operandi libere sit homini modus operandi undequaque proprius, eaque libertas sit conditio necessaria ad hoc ut homo sit dominus suæ actionis et eadem actio sit illi imputabilis, soli actus a libera voluntate procedentes actus humani theologice vocari consueverunt (1). Unde in theologia morali, quæ considerat hominem, ut est agens morale, ejusque actiones ut sunt dignæ laude vel vituperio et ut habent rationem meriti vel demeriti, actus humanus est idem ac actus liber, qui solus est regulæ morum subjicibilis, (2) solus etiam laude vel reprehensione dignus et ideo qui solus valet ad ultimum hominis finem consequendum (3).

Cfr. Ill^mi ac Rev^mi Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*. Lovanii 1880, p. 2 sq.; Billuart, *De ultimo fine*, dissert. I, art. 2, Wiggers in 1-2, q. 1, a. 1.

H. M.

---

(1) Ut habet S. Thomas in *2 Sent., dist. 24, q. 3, a. 2:* « ibi incipit esse moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur. » Ibi autem invenitur dominium voluntatis, ubi invenitur libertas; et ideo libertas est fundamentum moralitatis ex parte subjecti seu imputabilitatis. Inde apparet philosophiæ etiam morali applicari quæ de actu humano pro scopo nostro secundum theologiam moralem dicimus.

(2) Exinde S. Thomas pro eodem sumit actum *humanum* et actum *moralem*, id est regulæ morum subjicibilem, sumendo nempe moralitatem pro aptitudine morali, non pro qualitate morali, ut ipse Angelicus explicat in 2 sent., dist. 40, q. 1, a. 5: « Actus *susceptibilis* est bonitatis moralis, secundum quod humanus est. » Eodem sensu ait 1-2, q. 1, a. 3: « idem sunt actus morales et actus humani. » Cfr. etiam 1-2, q. 18, a. 5 et a. 9.

(3) Intactam reliquimus quæstionem in scholis celebrem: utrum amor beatificus sit actus proprie humanus. Difficultas est in eo quod Beatus eo ipso quod intuitive videt Bonum infinitum non potest non amare illud. Et sane voluntas Beati relate ad summum Bonum visum non est libera *libertate electionis;* et hoc sensu amor beatificus non est actus humanus, qualem np. intelligunt moralistæ considerantes hominem in statu viæ; bene vero dici potest libera *libertate ut sic,* quatenus sic amat Deum ut velit se amare Deum, quamvis immutabiliter ordinetur ad amandum Deum: et hoc sensu est actus omnino proprius hominis, adeoque humanus dici posset, quamvis melius dicatur divinus (analogice), quam humanus. — Circa notionem libertatis cfr. Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *Collat. Brug.* t. V, p. 366 sqq., 490 sqq., 551 sqq., 585 sqq., 645 sqq.

## IV

Q. *Da notionem infidelitatis positivæ eamque explica.*

R. I. **Notio.** *Infidelitas positiva est peccatum illius qui veritatem revelatam sufficienter sibi propositam rejicit, atque ità fidem theologicam totaliter quoad actum et habitum excludit.*

II. **Explicatio.** 1/ *Est peccatum:* est enim defectus totalis theologicæ fidei, quo creatura rationalis debitam subjectionem intellectùs denegat infinitæ sapientiæ atque veracitati divinæ i. e. auctoritati Dei loquentis. Est autem peccatum ex toto genere grave, et de se gravissimum omnium peccatorum, uno excepto odio Dei.

2/ *Ut peccati infidelitatis malitia contrahatur, seu ut aliquis sit positive infidelis, tria requiruntur:*

a/ *Ex parte objecti* requiritur *veritas revelata* scil. requiritur ut non accipiatur seu rejiciatur *verbum Dei.* Perinde autem est sive rejiciatur verbum Dei *explicite* i. e. expressis verbis revelatum, sive *formaliter implicite* revelatum i. e. quod non totidem verbis quidem, attamen vere et formaliter in explicite revelato a Deo dictum fuit (1). Imò, juxta multos, infidelitas adest quando rejicitur verbum Dei per solam *privatam* revelationem propositum. Etenim, ut suprà (Tom. VI, pp. 520 ss.) docuimus, communior, vera ac certa sententia docet revelationes privatas objective et in actu primo objectum esse fidei divinæ; pariter eas esse objectum divinæ fidei subjective et in actu secundo, modo adsint motiva credibilitatis evidentia.

Qui credere respuit quod falso putat esse revelatum, etiam formale peccatum infidelitatis committit, licet ex conscientia erronea (2).

---

(1) Cfr. *suprà* Tom. VI, pp. 516 ss.

(2) Cfr. Ill$^{m}$ ac Reverend$^{m}$ Waffelaert; *Annotat. in Tract. de virt. theol.*, Brugis 1900, p. 74.

b) *Ex parte subjecti* requiritur *scientia*, scil. *ut veritas revelata sufficienter sit ipsi proposita*. Necesse est nempe ut veritas revelata ipsi appareat evidenter credibilis, scil. ob argumenta quæ sufficiant ad excludendam e mente omnem prudentem formidinem errandi. Cùm autem hæc scientia non habeatur ubi adest ignorantia, sequitur ignorantiam, etiam graviter culpabilem, excusare a peccato infidelitatis. Cum hac enim ignorantia, etiam graviter culpabili, stare potest adhuc voluntas credendi veritates sufficienter propositas quarum non sit ignorantia. Et *ratio* est quia voluntas illa, licet graviter etiam contra fidem peccaminosa, tamen non est nolitio credendi veritatem sufficienter propositam, sed solum voluntas non adhibendi diligentiam debitam ut sufficienter tanquam credenda proponatur. Huic igitur voluntati non opponitur *ex parte objecti voliti* fides articuli sufficienter propositi, adeoque talis prava voluntas nondum est ipsa infidelitas.

Ratio adducta valet pro quacumque ignorantia culpabili, licet crassa et supina adeoque summa, imo probabilius (1) pro ipsa ignorantia in se volita seu affectata saltem antecedente (qua scil. culpabiliter ignorans ità actualiter est dispositus ut, si veritatem revelatam cognosceret, eam rejicere nollet), non autem valet pro mere concomitante, ut contingit quotiescumque errans actualiter vel virtualiter (non tamen tantum habitualiter) ità dispositus est ut, si sciret veritatem esse a Deo revelatam, adhuc eam rejiceret. Hæc ultima enim voluntas ex parte objecti consistere nequit cum voluntate vere et sincere credendi.

c) *Ex parte actus* requiritur dissensus internus contra fidem scil. ut *rejiciatur* (2) veritas credenda. Hoc autem

(1) Cfr. Bouquillon, *Tract. De Virt. theol.*, Brugis 1878, p. 160.

(2) Inde satis patet, quemadmodum etiam ex præcedentibus, nullo modo hic includi infidelitatem *negativam* quæ est mera absentia fidei in iis qui fidei prædicationem nunquam audierunt. Cùm Auctores aliter atque aliter intelligant infidelitatem *privativam* (cfr. Ballerini-Palmieri, *opus theol. morale*, Vol. II. Prati 1890 pp. 44 ss.), quæstionem hanc de nomine intactam relinquimus, rem ipsam potius tractaturi.

multiplici modo fieri potest, scil. vel doctrinam revelatam negando, vel defendendo aliam cum ipsa incompossibilem (1). Deinde ei dando assensum exclusive (2) opinativum scil. cum formidine actuali voluntaria reflexe judicando veritatem propositam non esse dignam firmiore adhæsione; vel deliberate dubitando seu positive existimando objectum revelatum posse non esse verum; denique etiam aliquando omittendo assensum. Scil. peccatum infidelitatis est si quis actum fidei debitum omittat vel propter difficultates et argumenta intrinseca quæ intellectui occurrunt contra fidei veritatem, vel propter alia motiva extrinseca fidei v. g. ne quis cogatur vivere modo christiano aut dedecus apud amicos subeat. In hoc ultimo tamen casu ad peccatum infidelitatis requiritur ut assensus omittatur *absolute* seu absit voluntas non amplius credendi; nam solum omittere nunc assensum fidei propter commodum temporali seu illum ad tempus differre non videtur esse proprie peccatum infidelitatis (3).

3. Ejectus hujus peccati indicatur: infidelitas positiva fidem theologicam totaliter quoad actum et habitum excludit. Qui enim positive interno actu rejicit revelationem, etiam si vel unum articulum sufficienter propositum rejiciat, totaliter amittit habitum fidei et ex natura rei, quamdiu errorem non retractat, non potest elicere verum atque proprium actum fidei circa alia fidei objecta. Hujus incompossibilitatis *ratio* desumitur ex modo quo fides in objectum tendit seu objecto adhæret. Fides enim divina veritati a Deo revelatæ adhæret assensu appretiative seu æstimative super omnia firmo (V. supra Tom. VI, pp. 185 s.). Adeoque, ut ait Lugo (4),

(1) v. g. qui defenderet S. Josephum esse patrem naturalem Christi ad hoc rejiceret dogma virginitatis B. Mariæ Virginis.

(2) Secus tamen si detur assensus opinativus præcisive i. e. præscindendo a formidine, ut explicat Bouquillon, *o. c.*, p. 161.

(3) Cfr. Lugo *De Virt. Fidei divinæ*, Disp. XVII, Sect. V, n. 99 s.

(4) v. g. Disp. XVII, Sect. VI, n. 122, ubi comparationem instituit cum actu charitatis. Cfr. Bouquillon, *l. c.*

omnis actus fidei circa quemlibet articulum continet summam reverentiam erga divinum testimonium, et implicite excludit dissensum circa omnia objecta quæ sufficienter proponuntur ut revelata. Hoc ita probat: « Velle enim credere super omnia est velle exhibere summam reverentiam intellectualem testimonio divino; ad hanc autem summam reverentiam spectat recipere divinum testimonium, quotiescumque sufficienter propositum fuerit, nunquam enim potest respui sine irreverentia; ergo in qualibet voluntate credendi includitur implicite assensus ad alia omnia objecta revelata sufficienter proposita ».

A. C.

V

Q. De [illegible]

R. I. Nono. In positiva infidelitate, q. præced. descripta, distingui possunt plures quasi species saltem physicæ et materiales juxta objectum materiale, i. e. veritates negatas et creditas (paganismus, judaismus, hæresis). Dicuntur *quasi spectes* quia receptæ illæ distinctiones in concreto, i. e. in homine infideli, non sunt adæquatæ, adeoque potius in ordine ad leges positivas sunt intelligendæ (1); dicuntur *physicæ*, quia juxta communiorem theologorum sententiam sunt unius et ejusdem speciei moralis infimæ (2), licet aliæ malitiæ (3) diversæ non raro accedant. Omnis igitur hæresis est infidelitas, non tamen e converso omnis infidelitas hæ-

(1) Ut explicat Lugo *De Vir. Fide Div.* Disp. XVIII, s. 3 n. 88. Cfr. Bouquillon, *Trait. de vir. theol.*, Brugis 1878, p. [illegible] ss.

(2) Etenim omnes particulares infidelitates eodem modo repugnant motivo formali fidei seu auctoritati Dei revelantis, quicumque sit numerus, quæcumque dignitas veritatum revelatarum quæ negantur, ita ut variis tantum sint gradus in eadem specie morali.

(3) Adeoque jam ex hoc capite declarandæ sunt illæ quasi species in confessione. Cfr. cæteroquin Bouquillon, [illegible] — [illegible] Reverend. Waffelaert, *Annot. in Trait. de vir. theol.*, Brugis [illegible]

resis est. Quid autem addat hæresis supra infidelitatem in communi, ex illius definitionis explicatione satis patebit. Definitur autem hæresis stricte dicta (1): *christiani error in fide pertinax.*

II. **Explicatio**. Singula hujus definitionis verba expendamus.

1/ *Christiani* i. e. admittentis revelationem christianam, et ità distinguitur hæresis ab errore naturalistarum et rationalistarum, atque a paganismo et judaismo. Infidelitas in communi potest esse in quocumque homine usum rationis habente; hæresis autem non est nisi in eo qui christianismum profitetur. Dicitur *christiani* et non *baptizati*, quia licet necessarius sit baptismus valide susceptus ut quis tanquam hæreticus habeatur in foro Ecclesiæ adeoque subjiciatur pœnis ecclesiasticis in hæreticos latis, non tamen requiritur character baptismalis ut quis in foro interno malitiam hæreseos contrahat, adeoque sit hæreticus in sensu theologico. Ità catechumenus qui aliquod fidei dogma rejiceret, in foro Dei hæreticus foret (2).

2/ *error* i. e. positivus assensus falso vel dissensus a vero. Sub hac voce intelligitur etiam (cfr. resp. præc. sub c) *dubium* (3) *deliberatum* quo judicatur propositionem veram esse incertam, forsan veram, forsan falsam; includitur etiam *assensus exclusive opinativus* quo judicatur propositionem certam assensu firmo seu formidinem excludente non esse dignam.

Error est quasi genus definitionis; cætera elementa constituunt ejus differentiam specificam.

3/ *in fide* i. e. in ipsa doctrina a Deo revelata (et non solum in veritatibus connexis) et sufficienter ut tali ab

---

(1) De hæresi *in sensu generico* cfr. Bouquillon et Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert *ll. cc.*

(2) Cfr. Lugo *o. c.* disp. XX s. 4, n. 138 ss. — Bouquillon *o. c* n. 216.

(3) Cfr. Murray, *Tract. de Eccl. Christi,* Dublinii 1860, T. I, pp. 92 ss. ubi ostendit merito displicere hîc distinctionem dubii in positivum et negativum.

Ecclesia infallibiliter proposita. Ergo ad hæresim stricte dictam requiritur a) ut sufficienter proposita fuerit infallibilis Ecclesiæ in docendo auctoritas; b) ut constet illud, quod negatur, ab Ecclesia definiri ut revelatum seu de fide credendum. — Unde intelliges hæresim existere posse, licet veritas, expresse negata, non sit revelata: quando quis negat veritatem quam falso putat esse revelatam: tunc nimirum de facto et æquivalenter negatur certo revelata et sufficienter proposita infallibilitas Ecclesiæ in veritatis fidei definitione. Pariter hæreticus est qui nihil ab Ecclesia definitum negans, sed ignorans quid hac in re Ecclesia definiverit, ità est affectus ut nolit deserere suam opinionem, etiamsi Ecclesia contrarium definierit vel definiat (1): talis affectus enim implicite negat infallibilem Ecclesiæ auctoritatem.

Inferes etiam *ignorantiam* vincibilem quamlibet, probabilius etiam affectatam saltem antecedentem, ab hæresi excusare, licet utique peccatum contra fidem involvat (cfr. resp. præc. sub b). Ratio est quia, ex dictis, ad formalem hæresim requiritur propositio Ecclesiæ, quæ propositio taliter erranti non est facta adeoque formaliter non rejicitur.

4) *pertinax*. Pertinacia ad hæresim formalem (2) requisita consistit in hoc quod hæreticus *resistat infallibili magisterio Ecclesiæ satis perspecto*. Inde patet ad pertinaciam non requiri diuturnitatem temporis, neque quod quis semel vel pluries fuerit monitus, ità ut mordicus et acriter sententiam suam tueatur, vel fateatur seu

---

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.* n. 216, — Lugo, *De Virtute Fidei divinæ,* Disp. XX, Sect. V, n. 168 s. huic consectario generaliori modo enuntiato opponere videtur hypothesim mere speculativam, confitens hunc affectum practice et de facto esse vere hæreticum.

(2) Pertinacia est quasi «*forma*» qua error in fide hæresim constituit. Et ità qui invincibili errore circa Ecclesiæ auctoritatem infallibilem laborantes veritatem aliquam ab ipsa propositam bona fide negant vocantur hæretici *materiales*.

agnoscat id quod tenet esse falsum et oppositum esse verum ac revelatam (1); sed sufficit dissensus voluntarius a veritate *sufficienter proposita ab Ecclesia infallibili* (2). Est igitur pertinacia hæretici *immediate et directe* contra auctoritatem infallibilem Ecclesiæ proponentis veritates, quam potest ac debet agnoscere utpote ipsi sufficienter perspectam et quam nihilominus negat. Et quia Ecclesia est organum authenticum a Deo institutum ad proponendas veritates revelatas, pertinacia hæresis mediate et indirecte est contra illas, deinde contra revelationem, ac demum contra Veritatem ipsam revelantem.

Satis patet hæresim, (ut infidelitas in communi, cfr. resp. præc. sub 3) ex rei natura repugnantiam habere cum actu fidei circa alios articulos, adeoque fidem theologicam *totaliter* quoad actum et habitum destruere.

A. C.

## VI

Q. *Describe essentiam muneris parochialis.*

R. **Prænotandum.** Cum officium parochiale sit jure ecclesiastico introductum, norma ad ejus essentiam determinandam non ex jure divino sed ex mero jure ecclesiastico desumi debet. Porro nullus exstat juris textus qui clare exprimat quænam essentialiter requi-

---

(1) Aliàs aut nulli aut rarissimi hæretici forent, quippe qui communiter tenent sua dogmata esse vera ac revelata, contraria vero esse falsa ac non revelata. Unde pertinacia non est *immediate et directe* contra veritatem revelatam et Dei veracitatem. Cfr. Billuart, *De Fide*, Art. III, § I.

(2) En aliud igitur discrimen infidelitatem in communi inter et hæresim. Infidelitas communiter sumpta consistit in dissensu a vero a Deo revelato et utcumque sufficienter proposito; — hæresis est in dissensu a vero revelato proposito non utcumque sed per sociale magisterium Ecclesiæ infallibilis. Unde qui revelationem *privatam* rejiceret sufficienter propositam infidelis quidem foret, non tamen hæreticus.

rantur ut quis sit verus parochus (1). Nec mirum id apparebit consideranti parochorum institutionem nonnisi paulatim inductam fuisse et recentioribus dumtaxat temporibus evasisse universalem (2). Munus nempe parochiale suam essentialem formam sensim induit ex praxi et consuetudine potius quam ex generali et positiva ordinatione Ecclesiæ. Unde in describenda illa forma essentiali niti solent canonistæ communi doctorum æstimatione necnon S. Sedis variis decisionibus. Inter quas præ ceteris attendi debet declaratio S. C. Conc. in causa Egitaniensi 27 Junii 1789: « Hæc vero requiruntur ut quis verus dicatur parochus: quod potestatem nempe habeat fori pœnitentialis, quod certam suo nomine administret parochiam, quodque de necessitate ministret, ab eoque parochiani necessario recipiant sacramenta. »

Hisce prænotatis de fundamento responsi, **essentia muneris parochialis sic potest describi**: Consistit essentialiter in *cura animarum*. In hunc enim finem constituitur parochus, ut scilicet allaboret bono spirituali fidelium mediis foro interno propriis, notatim per verbi divini prædicationem ac sacramentorum administrationem. Sed non qualiscumque cura animarum constituit essentiam parochiatus, sed *certis stipata conditionibus:* videlicet requiritur ut exerceatur:

1/ *in populum determinatum* seu certam diœcesanorum portionem, cujus assignatio formaliter fit per canonicam paroeciæ erectionem a R. P. vel episcopo factam. Unde mandat episcopis Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 13 de

(1) Notatim quæstionem nostram non plene dirimit Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 13, de reform., ubi simpliciter mandat ut pro tutiore animarum salute parochiæ certos habeant fines atque proprios perpetuosque rectores, « aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit » ipsis provideatur.

(2) Tempore Conc. Tridentini nondum erat universalis, ut patet ex decreto reformationis citato, quod imo post concilium non fuit ubique ad amussim executioni mandatum. Wernz. *Jus decretalium*, Romæ 1899, T. II, p. 1032.

reform. « ut distincto populo in certas propriasque parochias » unicuique proprium rectorem assignent.

2/ *nomine proprio*, non autem vice et nomine alterius (Conc. Trid. l. cit.) seu ex potestate ordinaria, non delegata tantum. Cfr. *Coll. Brug.* T. VI, p. 596.

3/ *ex obligatione:* tum *ex parte rectoris*, qui non ad merum libitum sed ex officio exercet curam animarum sibi commissarum; tum *ex parte populi*, qui aliquatenus saltem tenetur a proprio rectore spiritualia recipere, illa nempe quæ inter jura parochialia recensentur. Cfr. Conc. Trid. l. cit.: « a quo solo [parocho proprio] licite sacramenta suscipiant. »

Enumeratas qualitates tamquam essentiales agnoscunt doctores omnes; addimus illas sufficere ad constituendam essentiam parochiatus. Quod paucis ostendamus, excludendo alias quæ veluti essentiales a nonnullis proponuntur. Ad intentum nostrum faciet præsertim distinctio inter illa quæ pertinent ad essentiam muneris, ita ut sine illis verus parochus concipi nequeat, et illa quæ regulariter comitantur ipsum munus vel etiam de jure generatim adesse debent, quin tamen ingrediantur ipsam essentiam parochiatus. Porro hæ sunt qualitates, de quibus potissimum institui solet quæstio:

A/ *Circumscriptio territorialis.* Tamquam conditio essentialis requiritur quædam determinatio, non vero modus quidam specialis: regulariter debet fieri et fit divisio parochiarum per determinatos locorum fines; sed desinit tota ratio incertitudinis, quam lex vult præcavere, si distinctio fiat v. g. per familias. Et de facto hæc forma extitit etiam post Conc. Tridentinum, et tamquam canonica fuit habita (1).

B/ *Unicitas rectoris.* Quamvis negari nequeat illam unicitatem magis expedire, imo forsan concedi possit eam jure communi esse præscriptam tamquam regulam

(1) Cfr. Pallottini, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum.....* S. Congr. Concilii, T. VIII (1881), p. 507, n. 62 sqq.

generalem, non est tamen dicenda proprietas essentialis, ut patet ex decisione S. C. Conc. in Tyburtina 9 Julii 1757: nam ad quæstionem « an sit locus reductioni duorum parochorum unius ejusdemque parochialis Castri Madamæ ad unum solum parochum... » ? respondit: *negative* (1).

C/ *Beneficium*. De jure exigitur ut in ecclesiæ parochialis erectione honestæ rectoris sustentationi provideatur per certos quosdam proventus; imo satis communiter supponitur existere beneficium seu jus in certos redditus temporales ipsi titulo seu officio adnexos; sed dici nequit beneficium necessario adnecti debere muneri parochiali, ita ut parochus nequeat concipi quin simul sit beneficiarius, cum aliæ exstent viæ quibus sustentationi parochi necnon expensis cultus provideri possit.

D/ *Perpetuitas*. Rursus etsi inamovibilitas sit de jure communi præscripta, tamen non est adeo essentialis ut necessario adhæreat parochialitati. Unde dantur veri parochi qui non sunt inamovibiles, uti constat exemplo succursalistarum in Gallia et Belgio (2).

E/ *Ecclesia propria cum baptisterio et cœmeterio*. Neque hæc videntur dicenda essentialia. Etsi quidem magis expediat singulas parochias propriam habere ecclesiam, nihil tamen impedit quominus episcopus eamdem ecclesiam duabus parœciis assignet (3). — Jus dein habendi fontem baptismalem competit generatim ecclesiæ parochiali, fieri tamen potest ut reservetur v. g. soli ecclesiæ matrici (4). — Denique jus funerandi competit quidem omni ecclesiæ parochiali, at immerito

---

(1) Pallottini, *l. cit.* p. 452, n. 7 sqq.

(2) *Collat. Brug.* T. I (1896), p. 348 sqq.; Pallottini, *l. cit.* T. XIV (1889), p. 493 sqq.

(3) Cfr. dec. S. C. Conc. in Feltrien. die 15 Julii 1882 ad II (*Acta S. Sedis*, T. XV, p. 309 sqq.)

(4) Cfr. dec. S. C. Conc. apud *Acta S. Sedis*, T. III, p. 413 sqq.; T. XI, p. 232 sqq. et p. 400 sqq. etc. — Vide etiam Pallottini *l. cit.* T. VIII, p. 352, n. 97 sqq.

aliquis inde concluderet quod singulæ ecclesiæ debeant habere cœmeterium proprium, et adhuc minus inde deduci posset cœmeterium esse parochialitatis constitutivum. Quam falsæ essent tales deductiones liquet vel ex eo quod, introductis cœmeteriis communibus pro omnibus parochiis ejusdem civitatis, parochiæ singulæ nihil de juribus suis in materia funerum amiserint, ita pluries declarante S. Congr. Concilii (1).

Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Juris Canonici..... Compendium,* ed. 6ª, T. I (1898), nn. 430-433; Van den Berghe, Tract. autogr. *de Parochis*, p. 11 sqq.; Bouix, *Tractatus de parocho*, Parisiis 1855, p. 174 sqq.

H. M.

# De Iterando Baptismate domi collato.

Occasione sequentis consultationis opportunum duximus principia exponere in hoc negotio non exigui sane momenti præ oculis habenda, eaque latius evolvere, eo vel magis quod frequenter occurrunt et forsan non semper ad mentem Ecclesiæ applicari videntur. En casum propositum:

« *Contingit ut obvium habeamus casum infantis ob periculum mortis domi baptizati a medico N. Porro quamvis medicus ille die dominica missæ intersit et quotannis paschet, aliunde dubitamus utrum ipse non sit vere rationalista et incredulus, proindeque in foro suo interno omnem Baptismi necessitatem respuens. Cæterum in casu dato non pateretur ut quis circa modum quo Baptismum contulerit inquirat vel interroget.*

(1) v. g. Apud *Acta S. Sedis*, T. I, p. 86 sq.; III, p. 305; IX, p. 27.

*His positis quæritur utrum infantes ab hujusmodi medico baptizati sint rebaptizandi sub conditione. Ut hoc fiat militare videtur duplex ratio : imprimis aliqualis dubitatio de intentione baptizantis, dein et præsertim impossibilitas examinandi utrum omnia ad Baptismi valorem requisita fuerint præstita. Quid de hujusmodi rationibus censent scriptores Collationum Brugensium?* »

## § I

## PRINCIPIA.

Principium est indubitatum et multoties in jure inculcatum Baptismum non posse iterari, ne quidem sub conditione, nisi de ejus existentia vel validitate *positive et probabiliter dubitetur.*

Et sane reverentia quam sacramentis debemus gravissime prohibet quomimus, sacramentum levi de ratione iterantes, ejus administrationem continuo nullitatis periculo exponamus. Cæterùm in hunc sensum abundant *declarationes et decreta Romana.*

Ita, inter alia, *Instructio C. S. O.*, 30 Jan. 1833, ad P. Custodem Terræ sanctæ directa, docet : « Quamvis enim per notissimam illam explicitam conditionem... *si nondum baptizatus es, ego te baptizo,* quæ Alexandri III decreto, in renovando Baptismo de cujus validitate dubitatur, omnino adhibenda est, periculum removeatur rebaptizandi eos qui jam baptizati fuerint; tamen ad hujusmodi remedium minime recurrendum est, nisi *rationes vere probabiles et prudentes* adsint de præcedentis Baptismatis validitate dubitandi ». *Collectan. S. Congr. de Prop. Fide,* n. 650.

« Non igitur quæcumque levis in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ad hoc ut sub conditione quis iterum baptizetur, sed omnino requiritur *probabilis* dubitatio, quæ, facta etiam diligenti indagine, discuti nullo modo possit ». Ex ejusdem Congr. Instructione pro Vic. Apost. ad Gallas, 20 Junii 1816, apud *Collectan.*, n. 656.

Equidem in hoc ferendo judicio non nimia difficultate est utendum, « quia agitur de sacramento summæ necessitatis, sine quo ex Christi sententia aditus non patet ad regnum cœlorum. Quamobrem theologi communiter docent, pro iterando tantæ necessitatis sacramento, non tantas requiri rationes de ejus valore dubitandi, quantæ requiruntur pro iterandis cæteris sacramentis ». Ex Instruct. S. C. de P. F. 23 Junii 1830, ad Vic. Ap. Siam; *Collect.*, n. 648.

Attamen ex alia parte, uti ibidem docetur, « nimia quoque facilitas improbanda est in iteratione sub conditione hujus sacramenti ». Quod « tum sacramenti ejusdem dignitas et sanctitas, tum fidelium utilitas et animarum quies, atque tranquilitas cui in primis consulendum est, omnino suadent. Quando quidem si nimia seu imprudenti quadam facilitate dubia, quæ circa hujus sacramenti validitatem in dies nascuntur, excipiantur, homines timidi et scrupulosi de suscepti Baptismi valore semper dubitabunt, seque iterum baptizari requirent. Horum exemplum alii atque alii imitabuntur, ideoque multa eaque gravia in religionem orirentur incommoda et scandala quæ omnino evitari debent ». Ex citata Instr. C. S. O., 1833.

Circa hæc attentione digna sunt præ cæteris: Decr. C. S. O., 6 Apr. 1859; Instr. C. S. O., 6 Junii 1860; Litter. Encycl. S. C. de Prop. Fide, 8 Sept. 1869; Instr. C. S. O. 1877; apud *Collect.*, respective sub nn. 654, 655, 658 et 659; collato Benedicto XIV, *De Syn. diœc.*, l. VII, cap. VI, nn. 2, 3, 4 et 9; et *Instit. Eccl.*, Inst. 8 et 84.

Cui disciplinæ ut diligentius inhæreant Baptismatis ministri, necnon ut ejus momentum efficacius perpendant, *pœnam* decrevit Ecclesia *irregularitatis* (1) in illos

(1) L. V Decretalium, Tit. IX, cap. 2; ubi decretum refertur Alexandri III, statuens irregularitatem in ministrum iterato Baptismati assistentem, quod decretum, ex constanti Doctorum doctrina, a fortiori

qui, licet prudenter dubitare nequeant an primus Baptismus collatus fuerit juxta Ecclesiæ disciplinam et instituta, iterata vice baptizare præsumunt; cui pœnæ, licet multi Auctores contradicant (1), subjacere censemus etiam illos qui, in hujusmodi casu, absque prævia scil. veritatis indagatione, vel absque dubio probabili de prioris Baptismatis invaliditate, Baptismum conferunt *sub conditione* dumtaxat: ad hoc enim cogimur auctoritate Congr. S. Officii, in Instructionibus supra allatis, et ab Auctoribus non sufficienter attentis, anni 1830 et 1866 (2): quibus cæteroquin favet *Catech. Conc. Trid.*, P. II, cap. II, n. 57, cujus tenor infrà refertur: ac plene consentit Bened. XIV, *Instit.* 84ª, nn. 9-13, et *De Synodo diœc.*, l. c.

Nimirum dictæ pœnæ *objective* subsunt Baptismum conditionaliter renovantes sine seria ratione dubitandi, licet sæpissime excusentur *subjective*, sive ob ignoran-

---

applicatur ipsi rebaptizanti, relicta controversia utrum ad pœnam incurrendam requiratur delictum *publicum* necne, ac etiam utrum irregularitatis effectus restringatur ad impediendum ascensum ad ordines superiores, an vero extendatur etiam ad impediendum exercitium ordinis suscepti: quam alteram controversiam in severiorem sensum solvit Ben. XIV, *Instit.* 84ª, n. 13.

(1) Cf. Suarez, *De Censuris*, Disp. XLII, S. I, n. 1; Laymann, l. I, Tract. V, P. V, C. II, n. 1; Barbosa, *In Jus Pontif.*, in h. tit., n. 2; Pirhing, *Jus Canon.*, in h. tit., § III, n. 13; Schmalzgrueber, *In l. V Decr.*, ad h. tit., n. 36; Reiffenstuel, *Jus Canon. Univ.*, ad h. tit., n. 37; Leurenius, *Jus Canon.*, ad h. tit., n. 1; Salmant., *De Censuris*, cap. VIII, n. 61; S. Alph., l. VII, n. 356; Baller-Palm., IV, p. 539-540; Santi, *Prælect. Juris Canon.*, ad h. tit., n. 7; Gasparri, *De Sacra Ordinatione*, I, n. 329; Van der Velden, *Principia theol. mor.*, II, p. 475; Bucceroni, *Theol. mor.*, n. 1327; Lehmk., *Theol. mor.*, II, n. 1006; Hilarius a Sexten, *De Censuris*, p. 299; D'Annibale, *Summula*, I, n. 410; Wernz, *Jus Decretalium*, II, n. 135, licet minus absolute loquatur.

(2) « Nemo enim ignorat.... Baptismum hujusmodi a ministro hæretico vel schismatico collatum non posse, *licet sub conditione* absque gravi piaculo et *irregularitatis pœna* renovari, *nisi ex tantum eventu quo dubium adsit probabile* invaliditatis Baptismi. Non igitur quæcumque levis in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ad hoc ut sub conditione quis iterum baptizetur, sed omnino requiritur probabilis dubitatio, quæ facta etiam diligenti indagine, discuti nullo modo possit... ».

nam legis vel ejusdem poenæ, sive de bonam fidem quæ nempe sibi imaginantur sufficiens præsto esse motivum dilationis et sacramentum repetendi, vel ad delectum proportionis motivi non attendimus; quibus prævalidis habitis, haud ægre intelligitur solutio C. S. O. 22 Febr., 1886, circa casum puerorum Baptismi sine convenienti examine baptisatorum in Anglia, irregularitatem tolerantes, nata exposita, non desse mœrsum [illegible] quam solidioribus S. Congr. memorat N. R. th., XVI, p. 241. Hæc dum videre piaculis non contingere de omnibus dictorum opposita sententiæ.

2.

Thesis autem procedendo. Informatio esse potest vel mera notitia collationis et circa ordinem Baptismi collatæ, de qua libere dubitatur, utpote frequentem et magis probabile [illegible] agere intendimus, omittendo, pro dictandis [illegible], ad Decr. C. S. O. 5 Jan. 1704 (Gasparri, n. 1[illegible]), Consult. Benedict. XIV, 25 Febr. 1747 (Gasparri, n. [illegible]), et Instr. C. S. O. 1 Aug. 1883 (Gasparri, n. 1[illegible]).

Forma vero peculiarem potest dicere ex capite solutæ materiæ vel formæ et ex capite intentionis ministri. Jeanneau.

Ad quod **intentionem** spectat, notissimum est ad eam rite ponendam, dum in Baptismum conferunt, omnino ipsam posse solvere in materia baptismi. Unde Benedict. XIV, De Syn. diœc., l. c., n. 4, gravissime mirat Episcopum, ne interrogam et dubium permittat Baptismi validitatem hac tantum nomine, quod haereticus minister a quibusdam editus, dum non poterit per rationem dubitandi, perinde, ac si non contulerit in necessarium periculum, atque illud non haberet

---

[1] Nemo enim [illegible] quamquam [illegible] Benedict. [illegible] [illegible] [illegible]

intentionem illud conficiendi, prout a Christo Domino est institutum ».

Nimirum, juxta Instruct. S. C. de Prop. Fide, 1669, etiam in hæreticis et incredulis *præsumenda est intentio* sufficienter implicita, *quotiescumque materiam et formam rite adhibent,* cum aliàs non baptizarent; adeo ut ne dubius quidem sit habendus Baptismus « si expresse declaratum fuit a ministro, antequam baptizet, Baptismum nullum effectum habere in animam »; quod ultimum decrevit C. S. O., 18 Dec. 1872, uti refertur in ejusdem Congregationis Instr. 1877, apud *Collect.*, n. 659. Cf. etiam decr. S. C. C., 27 Martii 1682, citatum a Bened. XIV, *Instit.* 84ª, n. 7. Examen igitur vix non unice versatur

B' circa **materiam et formam**. Quocirca imprimis non sufficit ad hoc ut in dubium vocetur recta materiæ et formæ administratio (1), quod domi fuerit collatum Baptisma (2); sed oportet ut, prævio instituto diligenti examine, accesserit positiva ratio prudenter suspicandi defectum essentialem.

« Caveat igitur, inquit Bened. XIV, in Instit. 8ª, n. 6, sacerdos, cui munus hujusmodi demandatum fuerit, ne Baptismi sacramentum sub conditione infantibus conferat, ea causa permotus, quod obstetricum manu lustrati tantum expiatique privato loco fuerint ».

Contra quem abusum, indistinctim rebaptizandi infantes domi ablutos, vehementer insurgit *Catech. Conc. Trid.*, l. c.: « Neque enim desunt qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa (si non es baptizatus...) baptizent:

---

(1) Recta materiæ et formæ administratio importat profecto non tantum usum debitæ formæ et materiæ tum remotæ tum proximæ, sed etiam utriusque elementi collationem ab eodem ministro, morali simultate servata.

(2) Excipitur casus quo fœtus in utero fuit ablutus, qui fœtus, juxta decretum S. C. C., 12 Julii 1794, ab eadem Congr. confirmatum 16 Martii 1897, post ortum sub conditione baptizandus est. Cf. *Anal. Eccles.* 1897, p. 105.

et probitate, sufficere testimonium duorum vel trium testium ocularium de valida sacramenti collatione contestantium.

Ad hoc autem ut necessaria inquisitio opportune fieri queat, bonum est quod fideles publice moneantur ut tempestive certiorem faciant sacerdotem de ablutione privatim facta, et non expectent usque ad ipsum momentum quo puer ad fontes defertur; quam cautionem adhibendam etiam commendat R. P. Fiat, apud *Nouv. Rev. théol.*, XXX, p. 442.

vel 2° modo generali, inquirendo circa probitatem et signanter circa peritiam personae, medici nempe vel obstetricis, cui passim munus obtingit privatam Baptisma conferendi (1).

Nimirum si parocho sufficienter constat, praevio examine, de dictae personae peritia, regulariter sufficit ut sciat Baptismum in casu ab illa persona ministratum, praesertim si, interrogatione facta, attestatio accedat hic et nunc omnia fuisse rite peracta (2); quo casu sane non major est ratio dubitandi de sacramenti valore illudque iterandi, quam si cognoscitur a sacerdote administratum; quod egregie vindicat Bened. XIV, *De Syn. diœc.*, l. c., n. 41 « Enimvero, si obstetrices de sacramenti materia, forma, et necessaria in ministro intentione, sint legitime edoctae, — eaque in speciali eventu, quo Baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem parocho interrogatae, omnia a se rite adhibita testentur, quae ad sacramentum valide conficiendum requiruntur; nulla sane subest ratio, cur

(1) Circa instructionem a parochis dandam obstetricibus et circa examen ad quod ab iisdem parochis sunt vocandae, vide Bened. XIV, Instit. VIII, Pastorale Prugense, p. 21, ac prae caeteris, [illegible] ab Episcopis Austriacis exaratam, apud *Rev. théol.*, fr. 1900, p. 62 et seq.

(2) Nudum nempe factum quod medicus v. gr. [illegible] baptizaverit, si passim sufficit, posset interdum fallere, signanter quando extraordinaria prorsus fuerunt adiuncta et valde turbatae et anxiae hactenus circumstantiae, in quibus ablutio fieri contigit.

Baptismus debeat aut licite possit sub conditione repeti » (1).

Quodsi *neutro modo* fieri possit investigatio circa Baptismi validam collationem, quia neque ipsa persona, quæ Baptisma contulit, neque testes de servato sacramentali ritu possunt interrogari, ac aliunde ignota manet ministri idoneitas, adeo ut non relinquatur nisi nudum ignotæ personæ testimonium de facto collationis: hoc regulariter non sufficiet ad moraliter certam reddendam validam sacramenti confectionem, ac ratio erit prudenter suspicandi valorem adeoque et sacramentum sub conditione iterandi.

Quæ solutio conformis est cum doctrina sæpe laudati Bened. XIV, *De Syn. diæc.*, l. c., n. 5: « Aliud est, ait, cum collati Baptismi testimonium præbetur a persona incerta: etenim... non debemus rem adeo gravem committere fidei personæ ignotæ, cujus qualitates... explorare non possumus ».

Quo etiam refertur Instructio S. C. de Prop. Fide, 1851 (*Collectan.*, n. 658), in qua declaratur Baptismum addita conditione administrari posse, si « perquisitio aut examen ad validam invalidamque Baptismi collationem dignoscendam, arguendamve, aut omnino institui nequeat, aut nulliter et sine ulla dubii illustratione certo fieret ».

Hæc sunt principia in ipsa doctrina generali circa sacramenta fundata et ab Ecclesia servanda proposita, a quorum practica observatione, uti suprà diximus, facilius forsan recedere videntur nonnulli sacerdotes, magis quam par est, solliciti de salute æterna infantis,

(1) « Scimus utique in aliis Synodis... cautum reperiri, ne plena fides habeatur solius obstetricis testimonio, nisi comprobetur assertione aliorum, qui Baptismo præsentes fuerunt. Verùm, quanquam ex plurium attestatione major profecto hauriatur rei gestæ certitudo, attamen sacri canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis per unicum testem, præcipue si is testificetur de facto proprio; hoc est si affirmet illud fuisse a se legitime administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahat ». Ibidem.

et non satis recogitantes solum verum et laudandum esse zelum animarum qui infra limites exercetur a provida Matre Ecclesia assignatos. Utiliter legentur, apud *Pastor Bonus*, 1901, p. 345 et seq., et apud Lintzer *Quartalschrift*, 1901, p. 133 et seq., disquisitiones practicæ circa conditionatam Baptismi iterationem, quam tamen facilius forsitan permittere videntur.

## § II

## SOLUTIO.

1°/ Si attenduntur modò proposita, non est ratio prudenter dubitandi de intentione medici, de quo quæritur, si potest moraliter certò constare de materia et forma ritè adhibitis.

2°/ Porro moralis certitudo de recta materiæ et formæ administratione difficulter obtinebitur, cum, juxta exposita, non pateretur medicus N ut quis circa modum quo Baptismum conferre soleat, et in specie hic et nunc contulerit, inquirat vel interroget; adeoque Baptismi valor regulariter evaderet dubius ac iterandum foret sacramentum.

Dicitur: « *regulariter* » quia si accederent testes fide digni asseverantur contestantes dictum medicum passim rite conficere sacramentum, eumque in particulari, qui præfertur, eventu, debitam materiam et formam usurpasse, non video quomodo, salvis principiis suprà adductis, posset repeti sacramenti administratio.

A. D. S.

# LOI

SUR LES

# UNIONS PROFESSIONNELLES

## (31 MARS 1898).

Plusieurs demandes de renseignements nous ont été adressées concernant les avantages que peut procurer aux Unions professionnelles reconnues la loi du 31 Mars 1898, et concernant les formalités à remplir par les unions pour obtenir la personnification civile. Afin d'être complet et d'éviter les répétitions inutiles, nous croyons qu'il sera utile de donner le texte intégral de la loi, et d'expliquer les principales dispositions au moyen de quelques annotations concises, rédigées surtout au point de vue pratique. La question des Unions professionnelles est d'un intérêt assez général et actuel, par suite de la création, sur divers points du pays, de fédérations d'Unions professionnelles reconnues, et notamment d'Unions professionnelles agricoles.

Notre but, nous le répétons, n'est pas de donner un commentaire doctrinal approfondi de la loi du 31 Mars 1898, mais simplement d'en faire voir les avantages, et de faciliter l'intelligence et l'application de ses principales dispositions. L'article 2 toutefois qui expose l'objet de la loi et les principales œuvres que les Unions peuvent organiser, reclame un commentaire assez étendu.

On pourra consulter avec fruit l'excellent ouvrage de M. Th. Théate, *Les Unions Professionnelles*, (Commentaire de la loi du 31 Mars 1898), extrait de *la Revue pratique des Sociétés civiles et commerciales*, 2e édition, Bruxelles 1899. — A. Castelein S. J. *La loi belge sur les*

*Unions Professionnelles* (Extrait de la *Réforme Sociale*). Paris 1898 — G. Malherbe, *Etudes théoriques et pratiques sur les syndicats agricoles*. Brochure du Cercle de Binche. 3e édition 1899 — A. Vermeersch. S. J. *Manuel Social*, Louvain 1900, p. 471 ss. — *De Boer, (Le Paysan)*, Louvain, nº de Janvier 1899.

## Loi sur les UNIONS PROFESSIONNELLES

LÉOPOLD II, Roi des Belges,
A tous présents et à venir, SALUT.

Les Chambres ont adopté et Nous sanctionnons ce qui suit :

ARTICLE PREMIER. — Les Unions professionnelles jouissent de la personnification civile (1) dans les limites et sous les conditions résultant des dispositions de la présente loi.

(1) Les Unions professionnelles ne jouissant pas de la personnification civile sont toujours légales et licites en Belgique, en vertu de l'article 20 de la constitution combiné avec le principe général de la liberté des conventions (article 1134 du code civil). La présente loi leur accorde un *privilège* en leur reconnaissant la personnification civile, c'est-à-dire le caractère d'êtres juridiques distincts de la personnalité des membres qui les composent. Elle leur garantit des conditions normales d'existence et leur octroie une certaine capacité civile : elle leur permet notamment d'ester en justice (art. 10) de contracter (art. 2), de posséder (art. 11) de recevoir des dons et des legs (art. 12). — Cfr. Théate, *o. c.*, p. 6. — Il résulte des discussions parlementaires que les Unions professionnelles *ne sont pas des administrations publiques* comme les hospices, les bureaux de bienfaisance etc., quoiqu'elles touchent à un intérêt d'ordre social. (*Annal. parlem.* Ch. des Représ. 1897-98, p. 155). A notre avis, dit M. Théate (p. 11) *ce sont des personnes civiles d'un type spécial*, occupant une place intermédiaire entre les sociétés commerciales et

les établissements d'utilité publique. Des conséquences pratiques importantes découlent de cette conclusion : notamment le droit, pour les Un. Prof. d'emprunter, d'aliéner leurs immeubles, de les hypothéquer, d'ester en justice, de transiger (art. 2043-55 c. civ.) *sans devoir solliciter à ces effets l'autorisation de l'autorité*. Celle-ci ne pourra, d'autre part, les *forcer* à faire valoir leurs droits devant les tribunaux.

Art. 2. — L'Union professionnelle est une association formée exclusivement 1° pour l'étude, la protection et le développement de leurs intérêts professionnels (3), entre personnes exerçant dans l'industrie, le commerce, l'agriculture ou les professions libérales à but lucratif 2°, soit la même profession ou des professions similaires, soit le même métier ou les métiers qui concourent à la fabrication des mêmes produits (5).

Les Unions ne peuvent exercer elles-mêmes ni profession ni métier (6). Elles peuvent néanmoins faire :

1° Les commandes et, notamment, les achats et les ventes nécessaires au fonctionnement de leurs ateliers d'apprentissage (7) ;

2° Les achats, pour la revente à leurs membres, de matières premières, semences, engrais, bestiaux, machines et autres instruments, et généralement de tous objets propres à l'exercice de la profession ou du métier de ces membres ;

3° Les achats des produits de la profession ou du métier de leurs membres et la revente de ces mêmes objets (8) ;

4° Toutes opérations de commission, pour leurs membres, relatives aux actes prévus au 2° et au 3° du présent article ;

5° Les achats de bestiaux, machines et autres instruments et généralement de tous objets destinés à rester la propriété de l'Union pour être mis à l'usage de ses membres par location ou autrement, en vue de l'exercice de leur profession ou de leur métier (9).

Les diverses opérations prévues aux n°s 2° à 5° ne

peuvent donner lieu à bénéfice au profit de l'Union (10) et ne sont, en aucun cas, réputées actes de commerce dans son chef (11), elles font l'objet d'une comptabilité distincte de celles des autres actes de l'Union (12).

L'Union peut déposer et posseder des marques de fabrique ou de commerce pour l'usage individuel de ses membres, en se conformant aux prescriptions de la loi du 1er Avril 1879 (13). Elle est seule propriétaire de la marque. Elle en permet l'usage à ses membres, aux conditions de son règlement et sous son contrôle, sans qu'il puisse en résulter un bénéfice à son profit (14).

(2) **Le but ou l'objet** de la loi se trouve ici exposé. Ce but ainsi défini domine et inspire toutes les dispositions de la loi. L'Un. prof. est constituée *exclusivement* à l'avantage professionnel de ses membres. Son but n'est ni la politique, ni l'exercice d'un métier en commun, ni le commerce. Elle ne peut donc pas *comme telle* présenter des candidats aux élections communales, provinciales ou législatives : elle peut toutefois en présenter pour les Conseils des Prud'hommes et les Conseils de l'Industrie et du Travail. Cependant elle peut recruter ses membres uniquement parmi les personnes adhérant aux mêmes principes religieux, politiques ou sociaux : elle peut célébrer des fêtes religieuses, posseder des drapeaux, faire dire des messes pour les membres défunts. Au point de vue légal rien ne s'oppose donc à ce que l'on rattache l'U. P. à une institution pieuse, et que l'on inscrive dans les statuts ces caractères religieux qui, d'après les enseignements de S.S. le Pape et de N.SS. les Évêques (*Coll. Brug.* I, p. 260 ss.), doivent être à la base de toute œuvre sociale.

L'U. P. n'exerce *elle-même* ni métier ni profession, mais elle peut faire des contrats de travail pour ses membres (art. 10).

Il lui est interdit également de faire le commerce ou d'avoir des parts ou actions dans une société coopérative. Elle peut cependant, à condition de n'en retirer aucun bénéfice faire certaines opérations qui ont paru propres à favoriser le commerce ou l'industrie de ses membres : le législateur les énumère *limitativement* dans le présent article.

3. Nous [illegible] quelques considérations con- [illegible] œuvres que l'Un. Prof. peut organiser et la manière d'organiser les œuvres qu'elle ne peut instituer directement.

[illegible] dans [illegible] *exemplaire*, les termes *intérêts professionnels*. Cette énumération vise surtout les U. P. d'ouvriers.

« *Tout d'abord*, déterminer et organiser les meilleures et les plus productives conditions du travail : par l'étude en commun de ces règles et de ces conditions ; par l'organisation et [illegible] par la formation de bons apprentis ; par la création de bibliothèques, de collections, de champs d'expérience etc. par l'étude des conditions du travail et de la situation des marchés à l'étranger ; par des missions, des voyages dans ce but.

[illegible] travail, jours de repos, repos dominical ;.... déterminer les conditions de mesurage et de contrôle ; s'occuper des questions concernant le salaire, le taux, le paiement des salaires, la participation aux bénéfices, des études et des recherches à faire ou des moyens à mettre en œuvre pour améliorer les conditions d'hygiène et de sécurité du travail, de la mise en contact et rapport avec l'inspection du travail de l'assistance judiciaire pour l'exécution du contrat de travail.

[illegible] les secours à accorder aux membres de l'Union sans travail, [illegible] France » (*Ann. Parl.* Ch. des Repres. 1897-98, p. 521).

***

Néanmoins il y a de nombreuses œuvres et institutions [illegible] l'U. P. *comme telle* ne peut organiser *directement*, et notamment, celles qui sont prévues et régies par une législation [illegible]

ves, caisses de crédit Raiffeisen, syndicats d'achat, et de vente procurant un benéfice à l'Union ou vendant à des tiers non syndiqués;

2° les sections de *prévoyance* telles que l'assurance contre la maladie et la vieillesse (caisses de pensions ou de retraite), l'assurance contre la mortalité du bétail, la grêle, l'incendie etc., caisses de réparation contre les accidents de travail.

Ces institutions rentrent cependant dans le domaine propre de l'U. P., et les ligues agricoles notamment possèdent ordinairement plusieurs de ces sections incorporées dans l'Union. L'Union reconnue comme U. P. d'après la présente loi, ne pourra plus *comme telle* s'occuper *directement* de ces sections. Le législateur ne les a pas complètement exclues, mais a seulement voulu éviter les inconvénients résultant de la fusion de ces institutions avec les syndicats, et des complications d'une comptabilité excessive. *La difficulté légale cependant est facile à tourner :* « il n'y a là qu'une question d'un papier, d'un acte ». Toutes ces sections, en effet, peuvent être organisées *à côté de l'Union reconnue; elles peuvent être composées identiquement des memes membres; bien plus, elles peuvent avoir les mêmes administrateurs.* Les œuvres économiques peuvent se constituer sous la forme coopérative en conformité avec la loi du 18 mai 1873 modifiée par celle du 22 mai 1886; les sections de prévoyance peuvent s'organiser conformément à la loi générale du 23 juin 1894 sur les sociétés de secours mutuels, ou aux lois spéciales qui régissent certaines institutions. La ligue ou l'Union formera donc un aggrégat de plusieurs personnes civiles ou d'êtres juridiques distincts quoique comprenant les mêmes membres et le même personnel dirigeant.

(4) Il faut entendre par « professions libérales à but lucratif » toute *profession* libérale dans laquelle la préoccupation d'un gain à réaliser entre dans les intentions de celui qui l'exerce. Telles sont par exemple les Unions composées de membres de la presse, les Unions d'auteurs et compositeurs; d'inventeurs; de professeurs et d'instituteurs libres *rémunérés* à raison de leur profession; — telles ne seraient pas au contraire les Unions de *fonctionaires* attachés à un service public d'instruction, d'administration etc.

(5) Sont donc admises au bénéfice de la loi, non seule-

ment les Unions ouvrières proprement dites, mais aussi les Unions *patronales* et les Unions *mixtes*.

Les mots « soit la même profession etc. » doivent être pris dans leur sens le plus restreint. (Théate p. 41). Ainsi les maçons, les couvreurs et les charpentiers ne peuvent pas faire partie d'une même Union professionnelle sous prétexte qu'ils appartiennent tous à l'industrie du bâtiment.

Dans une U. P. *agricole* peuvent être admis en qualité de *membres effectifs* les cultivateurs propriétaires, les fermiers, les métayers, les propriétaires fonciers, les ouvriers agricoles, les jardiniers et les arboriculteurs, les ingénieurs agricoles et les médecins vétérinaires, les personnes attachées à la direction d'une distillerie agricole, d'une laiterie coopérative etc. etc.

(6) Elle facilite simplement à ses membres l'exercice de leur profession.

(7) C'est-à-dire ayant comme but l'enseignement professionnel. Ces ateliers ne peuvent donc pas se transformer en ateliers de production. Le législateur n'a pas permis davantage aux U. P. d'ouvriers de créer des *ateliers de chômage*. Elles peuvent cependant instituer dans leur sein des *caisses de chômage*, non seulement des caisses de résistance visant les cas de chômage volontaire, comme en temps de grève, mais en outre des caisses destinées à venir en aide aux ouvriers sans travail, dont le chômage aurait pour cause le cas fortuit ou le manque d'ouvrage (Théate p. 19).

(8) Ce faisant, l'U. P. n'accomplit pas des actes de commerce, mais il peut en être autrement des membres qui lui remettent leurs produits à cette fin. La loi permet donc que l'Union achète et vende, non sous forme collective au nom de tous, mais en *centralisant* les achats et les ventes individuels, et en laissant à chacun son bénéfice personnel, sans autre déduction, pour la Caisse syndicale, que celle des frais de l'opération.

(9) Cette concession intéresse spécialement les *Unions d'agriculteurs :* il s'agit, par exemple, de l'achat d'un animal reproducteur, taureau ou étalon, d'un semoir, d'une moissonneuse, d'une batteuse, d'ustensiles de laiterie etc. devant rester la propriété de l'Union pour être mis exclusivement à la disposition des membres.

(10) Interdiction formelle est donc faite aux U. P. de *réaliser des bénéfices* sur les opérations précédentes. Cependant elles ont la faculté de comprendre dans le prix de revient des objets que le présent art. 2 leur permet de vendre, le prix d'achat augmenté du montant *de gérance et d'administration*. Mais il nous paraît plus que douteux, dit l'honorable p. 36, que le législateur ait entendu leur permettre de majorer ce prix global du montant de frais généraux quelconques, ou de l'amortissement du capital engagé, ou *a fortiori* de prélèvements opérés au profit d'une réserve ayant pour but de parer aux aléas de l'avenir. — En outre, le prix retiré par l'Union de la location de ses machines, instruments ou autres objets à ses membres, doit être égal au prix de revient, que s'il le dépassait, il y aurait contravention à la loi. (*Ibid.* p. 34)

(11) En effet, pour qu'un acte soit réputé *commercial* il faut qu'il y ait *but de lucre* : c'est un principe admis par la doctrine commune des auteurs et la jurisprudence. Les Unions qui exercent les opérations dont il est question, n'acquièrent donc nullement la qualité de commerçantes, et en conséquence, les règles spéciales auxquelles sont soumis les commerçants ne leur sont pas applicables. Il en serait autrement si elles se livraient au commerce en violant les prescriptions de la loi.

(12) D'après l'art. 8 ce compte spécial de l'exercice clôturé au 31 décembre doit être envoyé avant le 1 mars de l'année suivante à la Commission d'enterinement. Cette obligation sanctionne l'interdiction faite aux Unions de réaliser des bénéfices. L'art. 14 édicte en outre la peine de la dissolution pour toute contravention à l'art. 2.

(13) D'après le § 1 de cette loi « est considéré comme marque de fabrique ou de commerce tout signe servant à distinguer les produits d'une industrie ou les objets d'un commerce ». Cette marque de fabrique peut procurer aux membres de grands avantages, pourvu toutefois qu'on en contrôle sévèrement l'usage. C'est ainsi que, dans l'espace de quelques années, la vente du beurre danois sur les marchés anglais a passé de 3 à 43 millions de kilos, grâce à l'emploi judicieux et sévèrement contrôlé des marques corporatives et fédératives.

(14) Le législateur défend donc que l'Union achète ou se crée une marque au moyen de laquelle elle spéculerait.

Art. 3. — L'Union comprend au moins sept membres effectifs (15).

Le mineur parvenu à l'âge de 16 ans et la femme mariée peuvent être membres d'une Union (16), sauf opposition du père, du tuteur ou du mari, notifiée à l'un des directeurs de l'Union ou au délégué de la direction.

Le mineur et la femme mariée peuvent se pourvoir contre l'opposition devant le juge de paix, qui statue sur simple réquisition, parties entendues ou appelées. Les actes relatifs à cette procédure sont exempts des droits de timbre et de greffe et enregistrés gratis.

Le mineur membre de l'Union n'y a pas voix délibérative.

L'Union peut admettre des membres honoraires, même non professionnels; le nombre des membres honoraires ne peut dépasser le quart du nombre des membres effectifs (16).

Ne peuvent faire partie d'une Union en qualité de membres honoraires, les personnes qui sont exclues de la direction aux termes de l'article 4 et les débitants de boissons, à moins que ces derniers n'aient exercé, durant quatre ans au moins, la profession ou le métier que l'Union concerne.

(15) **Les Membres.** — *Ce nombre minimum d'associés* est exigé également dans les sociétés anonymes et coopératives. Les étrangers peuvent faire partie des U. P. en Belgique.

(16) L'autorisation du *père* ou *tuteur* et l'autorisation du *mari* n'est pas requise au préalable : ceux-ci peuvent toutefois faire opposition dans les limites ci-après établies.

(16) Afin que l'influence des non professionnels ne puisse altérer le caractère professionnel de l'institution.

Art. 4. — Les statuts mentionnent :

1° La dénomination adoptée par l'Union et le lieu de son siège;

2° L'objet pour lequel l'Union est formée;

3° Les conditions mises à l'entrée et à la sortie des diverses catégories de membres reconnues par les statuts.

Chaque associé a le droit de se retirer à tout instant de l'Union (17); celle-ci ne peut, le cas échéant, lui réclamer que la cotisation échue et la cotisation courante;

4° L'organisation de la direction de l'Union et de la gestion des biens, le mode de nomination et les pouvoirs des personnes chargées de cette direction ou de cette gestion.

La direction de l'Union ne peut être confiée qu'à des Belges ou à des étrangers autorisés à établir leur domicile dans le royaume et y résidant effectivement. Ils sont choisis par l'Union elle-même, parmi ses membres majeurs et, pour les trois quarts au moins, parmi les membres effectifs. Les femmes peuvent participer à la direction.

Ne peuvent faire partie de la direction de l'Union: *a/* ceux que l'article 12 de la loi du 23 Juin 1894 prive du droit d'être administrateurs des sociétés mutualistes reconnues: *b/* ceux qui — soit directement, soit par personnes interposées — tiennent un débit de boissons spiritueuses, à moins qu'il ne s'agisse de la direction d'une Union formée entre débitants de boissons;

5° Le terme du mandat des personnes chargées de la direction et de la gestion.

Ce terme ne peut excéder quatre ans; le mandat est toujours révocable par l'assemblée générale;

6° Le genre de placement des fonds sociaux.

Il est interdit à l'Union de prendre des parts ou des actions dans des sociétés commerciales;

7° Le mode de règlement des comptes;

8° La procédure à suivre pour les cas de modification ou de revision des statuts ou de dissolution de l'Union. *(Voir art. 15 alin. 3).*

La dissolution de l'Union et les modifications aux statuts ne peuvent être valablement décidées qu'à la majorité des trois quarts au moins des membres présents, dans une assemblée générale spécialement convoquée à cette fin et composée de la moitié au moins des membres ayant droit de vote;

9° Les sanctions que l'Union édictera, le cas échéant, pour l'observation de ses règlements (18).

Ces sanctions ne peuvent se rapporter à des stipulations ou à des faits qui seraient de nature à porter atteinte aux droits des personnes étrangères à l'Union (19).

Elles ne peuvent faire l'objet d'une action civile (20);

10° L'engagement de rechercher, de commun accord avec la partie adverse, les moyens d'aplanir, soit par la conciliation, soit par l'arbitrage, tout différend intéressant l'Union et portant sur les conditions du travail (21).

(17) L'article 4 expose les **mentions statutaires obligatoires.** Toute stipulation contraire serait donc nulle de plein droit.

(18) Les U. P. peuvent *sanctionner* par voie d'amendes, proscriptions ou interdictions les dispositions de leur règlement d'ordre intérieur. Les Unions ont, à cet égard, toute liberté. Le Rapport au Sénat mentionne à titre *d'exemples :* l'admonestation, la privation de certains avantages inhérents à la qualité de membre, l'amende, la suspension, l'exclusion ou renvoi.

(19) Cette restriction indique suffisamment que le législateur rejette l'Union ou le syndicat *obligatoire ;* elle garantit (ensemble avec la disposition de l'art. 4 § 3 qui permet aux syndiqués de se retirer de l'union quand ils le veulent) la liberté du travail. Le « boycottage » est défendu. Ainsi, les Unions n'ont pas le droit de porter la défense de travailler avec des ouvriers non syndiqués, ou d'interdire le travail dans telle ou telle usine, mais elles peuvent édicter des pénalités contre ceux de leur membres qui consentiraient à travailler moyennant un salaire inférieur à celui que l'Union aura fixé comme le juste salaire. L'ouvrier qui a pris ces engagements peut toujours — il importe de ne pas l'oublier — obtenir par sa retraite volontaire, la résiliation des engagements qui le lient vis-à-vis de l'U. P. (Cfr. *Docum. parlem.*, Théate p. 53 s.).

(20) Les U. P. ne peuvent donc faire consacrer et appliquer par les tribunaux les sanctions édictées dans le règlement. Cette nouvelle restriction apportée ou droit des Unions garantit à son tour la *liberté absolue* pour les membres de quitter en tout temps le syndicat.

(21) Il résulte des discussions qui eurent lieu à la Chambre qu'il s'agit ici non d'un arbitrage forcé, mais d'une *simple obligation morale* d'accepter la tentative de conciliation, obligation n'ayant d'autre sanction que l'approbation ou la condamnation de l'opinion publique.

Cette disposition n'a pas pour effet de porter atteinte aux dispositions de la loi du 16 Août 1887 sur les Conseils de l'Industrie et du Travail. (Théate p. 55).

Art. 5. — Sont annexées aux statuts :

1° La liste des membres qui, à un titre quelconque (22), participent à la direction de l'Union ou à la gestion de ses biens. Elle porte, en regard de chaque nom et prénom, l'indication de la nationalité, de l'âge, de la résidence, de la profession et de la qualité de membre effectif ou de membre honoraire.

2° Une déclaration, signée par les directeurs, attestant que l'Union est formée, en ce qui concerne les diverses catégories de ses membres, conformément aux prescriptions des articles 2 et 3 de la présente loi.

**Annexes à joindre aux statuts.** (22) On voudra bien remarquer que ces termes ne comportent *aucune exception ni restriction*. Cette rigueur se justifie par la nécessité de rendre efficace la responsabilité de la direction de l'Union vis-à-vis des tiers, quant à l'observation des prescriptions légales et à l'exécution des conventions ou contrats que peut faire l'Union.

*A suivre.* A. C.

# Ex S. Congregatione Rituum

## I

## COLIMEN.

R^mus D. Josephus Amator Velasco, Diœceseos Colimen. Vicarius Gubernator, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime proposuit; nimirum:

I. .....

II. .....

III. Rubrica dicit: ... *delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad altare;* hæc verba *ad altare* interpretandane sunt *in medio altaris?*

IV. Post sacrosancti sumptionem Sanguinis et ante ablutionem, quædam consecrati vini particulæ in calice manent; quæritur: an in casu ablutio sumenda sit, vel iterum admovendus sit calix ori celebrantis, ut eæ reliquiæ Sanguinis singillatim sumantur?

V. Ubinam genuflectere debet Subdiaconus, ut Celebrans eum benedicat, post cantatam Epistolam, an inter aram et Celebrantem in suppedaneo, an potius inter parietem et ipsum Celebrantem in plano?

VI. Cum Rubricæ dicant, quod Celebrans et Ministri in Missa solemni pergere debent ad sedendum per breviorem, an permitti possit in Missa cum Sanctissimo Sacramento exposito per longiorem recedere in eundo ad sedilia?

VII. .....

VIII. Servarine licebit consuetudo instrumento quodam utendi ad ungendos infirmos; similiter et pueros baptizatos, quamvis periculum contagionis non adsit?

IX. Licetne canere Vesperas secunda vel prima hora noctis, atque in illis Sanctissimum exponere, ea de causa scilicet, quia Ordinarius permittit expositionem in Vesperis?

X. An tolerari possit Feria V in Cœna Domini altare majus Ecclesiæ Sepulcri altare esse; necnon in ipso altari Sepulcri ostensoria, calices et ciboria ornati causa exponere?

XI. Quum Diaconus a cornu Epistolæ Sacerdoti assistat ad elevationem, permittine potest acolytho Sanctissimum a parte Evangelii thurificare?

XII. Quando Ecclesia Cathedralis officium chorale non persolvit, quia Capitulo caret, plures Missæ eadem die et de eodem officio cantarine possunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I et II. .....

Ad III: *Affirmative*, seu *in medio altaris.*

Ad IV: Servetur Rubrica Missalis.

Ad V: *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad VI: Serventur Rubricæ.

Ad VII. .....

Ad VIII: Servetur Rituale Romanum, et dentur Decreta *num. 3051, Portus Aloisii,* 9 Maii 1857, ad II, et *num. 3276, Toletana,* 31 Augusti 1872, ad I, III et IV.

Ad IX: Pro prudenti Ordinarii placito.

Ad X et XI: *Negative.*

Ad XII: *Affirmative*, juxta Decretum *num. 3921*, diei 30 Junii 1896.

Atque ita rescripsit, die 12 Julii 1901.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Adnotatio** ad V: « Subdiaconus igitur, ut aiunt *Ephem. liturg. 1901, p. 464 in nota,* benedictionem post Epistolam a Celebrante accepturus, genuflectere debet in suppedaneo, non in plano, neque in gradu inferiori, ante Celebrantem ipsum, qui ad eum parumper convertitur, et ante ipsam aram, quæ ad dexteram ejusdem Subdiaconi manet. Hoc animadvertisse juvabit, eo quod verba in dubio allata *inter aram et Celebrantem,* non sunt accipienda stricto sensu, quasi deberet Celebrans se retrahere ad locum Subdiacono suppeditandum, sed quasi dicerent infra angulum a Celebrante et Altari efformato ».

Ad VIII: Ita decreta citata: N° 3051. « Circa Extremæ Unctionis administrationem Libellus inscriptus: Ordo administrandi Sacramenta ex Rituali Romano

extractus, et jussu Episcoporum in Anglia adhibendus, dicit : *Intincto stilo vel pollice in Oleo Sancto*, etc. Quum vero Theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stilum in hac Sacra Unctione, et Theologi ipsi concludant, quod quisque sequatur usum Ecclesiæ suæ ; quæritur : Utrum in Diœcesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione Extremæ Unctionis, usus ipse tuto continuari possit ? *Resp.* : Negative, excepta necessitatis causa. »

N° 3276, ad I : « Attenta praxi communi et perantiqua utendi penicillo seu virgula argentea in administrando Baptismi Sacramento in Ecclesia, loco pollicis manus dexteræ, abolenda ne erit hujusmodi consuetudo, utpote contraria Rituali Romano ? *Resp.* : Affirmative, excepta necessitatis causa, juxta Decr. S. R. C. in una *Portus Aloisii*, d. 9 Maii 1857, ad II. » — « III. Utrum possit continuari consuetudo administrandi sanctum Sacramentum Extremæ Unctionis, utendo penicillo seu virgula argentea, generaliter et extra casum necessitatis, loco pollicis intincti in Oleo sancto, juxta præscriptum in Rituali Romano ? » — « IV. An prædicta praxis servari liceat extra casum necessitatis, saltem quando extrema Unctio ministratur sine populi concursu ? *Resp.* ad III et IV : Provisum in primo. »

Ad XII : Ita decretum citatum : « Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quæ, præter Conventualem nunquam in Collegialibis Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter præfatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale Officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas. »

## II

## ROMANA.

In ordine divini Officii recitandi Sacrique peragendi pro anno 1901, ad usum R^mi Capituli et Cleri Patriarchalis Basilicæ Vaticanæ, ad diem 11 Junii, festum S. Barnabæ Apostoli dupl. maj. habet integras Vesperas, in concurrentia cum festo S. Leonis III Pont. Conf. ejusdem ritus et æque primario. Quum vero circa has Vesperas ita dispositas aliqua exorta fuerit dubitatio, quidam calendaristæ a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam declarationem super dignitate S. Barnabæ Ap. in Sacra Liturgia humillime expostularunt.

Et Sacra eadem Congregatio, porrectis precibus annuens, circa hujusmodi quæstionem, præhabito voto Commissionis Liturgicæ, exquisivit etiam specialiter suffragia duorum ex suis Consultoribus, quæ omnia scripto exarata præloque impressa, una cum informatione, subjecta fuerunt judicio E^morum Patrum. Itaque infrascriptus Cardinalis, ipsimet Sacræ Congregationi Præfectus, et Relator, in Ordinariis Conciliis die 30 mensis Julii nuper elapsi ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: An Festum et Officium S. Barnabæ Ap. in occurentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, nec non in repositione, ceteris paribus, sit præferendum?

Porro E^mi et R^mi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus hinc inde accurate perpensis, ac præsertim iis, quæ in Sacra Scriptura atque in Libris Liturgicis Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis de S. Barnaba perleguntur, rescribendum censuit:

*Affirmative*, ratione dignitatis apostolicæ.

Quam resulutionem, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit, die 11 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

## III

## VICENTINA.

Hodiernus Magister Cæremoniarum diœcesis Vicentinæ, de consensu R^mi^ sui Episcopi sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Cong^ne^ humillime postulavit nimirum:

I. .....

II. Absolutiones ad tumulum suntne faciendæ immediate post Matutinum, si Missa de Requie, ritu permittente, sit potius lecta quam cum cantu?

III. Psalmus *De Profundis* cum versiculis et Oratione post absolutionem ad tumulum recitandus debetne persolvi in Sacristia an in Choro ante altare majus?

IV. .....

V. Feria sexta in Parasceve, post orationes, debetne per celebrantem discooperiri Lignum seu reliquia S. Crucis, vel imago Crucifixi?

VI. Utrum post Missam Præsanctificatorum removenda sint ornamenta Altaris in quo SS^m^ Sacramentum Feria quinta præcedente fuit reconditum?

VII. Consuetudo hic viget dicendi ℣ *Dominus vobiscum*, ante orationes, quibus Litaniæ B. M. V. vel hymni in Sanctorum honorem concluduntur coram SS. Sacramento publice exposito; cum non immediate, sed post cantum *Tantum ergo* et orationem *Deus, qui nobis,* detur benedictio cum eodem, potestne talis consuetudo servari?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, ita respondendum censuit:

Ad I. .....

Ad II: In casu fiant post Missam de Requie sive lectam sive cantatam.

Ad III: Servetur Rituale Romanum. (1)

Ad IV. .....

Ad V: Alterutrum fieri posse et debere.

Ad VI: *Affirmative.*

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.* 1899, p. 364 et 484.

Ad VII: Stetur decretis, præsertim *n. 1265, Granaten.*, 16 Junii 1663, ad 7; *n. 1548, Salernitana*, 28 Septembris 1675, et *n. 3751, Bobien.*, 20 Novembris 1891.

Atque ita rescripsit, die 20 Augusti 1901.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

**Adnotatio** ad VII: Ita decr. nº 1265. « ... VII. An in festo Corporis Christi, in reponendo Ss^mo Sacramento, servanda sit dispositio Cæremonialis Episcoporum quoad Orationes, vel potius Ritualis Romani, ubi dicitur, addi: *Dominus vobiscum?* R. Ad. 7: Servanda est dispositio Cæremonialis Episcoporum *l. 2, cap. 33, vers.* **Quo facto,** ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum,* sed jubetur tantum post ℣. *Panem etc.* et ℟. *Omne delectamentum...* cantari Orationem. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., quod observetur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant. »

Decr. 1548 idem repetit, iisdem fere verbis.

« Animadvertendum, quod in novissima editione typica Ritualis Romani, loco citato, fuit ablatus ℣. *Dominus vobiscum*, ideoque cum Cæremoniali Episcoporum concordat. » Ita *Ephem. liturg.* p. 471, nota.

In Decr. 3751 « quæritur: I. Ante Orationem quæ dicitur post Litanias, dicendusne est versiculus tantum *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, ut refertur in Appendice Ritualis Romani, sine adjectione ℣℣. *Domine, exaudi etc.* et *Dominus vobiscum?* II. In casu affirmativo, cum talis sit praxis universalis; si in Diœcesi aliqua esset Parochia in qua, post ℣. *Ora pro nobis* adjiceretur quoque *Domine exaudi* et *Dominus vobiscum*, Episcopus Diœcesanus, ut melius præscriptio pontificia adimpleatur et uniformitas in tota Diœcesi obtineatur, possetne præscribere quod in omnibus ecclesiis suæ diœcesis recitetur in casu ℣. *Ora pro nobis...* tantum? III. Tandem tenendum ne est, tamquam norma generalis, quod versiculi *Domine exaudi* et *Dominus vobiscum* præmit-

tendi sint Orationi, iis tantum in casibus, in quibus Rituale Romanum illos præscribit? »

S. R. Cong. « propositis dubiis ita rescribere rata est: Servetur Rituale Romanum. »

# Jurisprudence administrative

## I

### EMPLACEMENTS DES ÉGLISES.

*Circulaire ministérielle du 27 avril 1902.*

M. le Gouverneur,

J'ai l'honneur de vous communiquer ci-après le texte de la lettre que je viens de recevoir de la commission royale des monuments, relativement à l'emplacement des églises.

« Notre collège est appelé à donner son avis au sujet des emplacements destinés aux nouvelles églises dont l'érection est décrétée dans le pays.

« Il arrive fréquemment que l'on nous consulte alors que l'acquisition du terrain est un fait accompli. Malheureusement, nous devons souvent constater que l'emplacement choisi ne convient nullement à sa destination; qu'il ne permet pas de ménager des dégagements suffisants ni d'obtenir un éclairage convenable de l'édifice; qu'il est impossible de l'orienter suivant les traditions constantes et les prescriptions liturgiques, heureusement d'accord dans notre climat avec les meilleures dispositions techniques.

« Des acquisitions ainsi prématurées nous placent dans une situation vraiment délicate.

« En vue d'y remédier, il conviendrait que notre collège fût consulté avant toute acquisition de l'espèce. »

Je vous prie, M. le Gouverneur, de bien vouloir donner les instructions nécessaires pour qu'il soit tenu compte du vœu exprimé dans le dernier alinéa de la lettre de la commission royale des monuments.

Le Ministre de la justice,
J. Vanden Heuvel.

II

BUREAU DE BIENFAISANCE. — CHARGE DE REMETTRE AU CURÉ LES SOMMES NÉCESSAIRES AU SERVICE DES MESSES. — CONDITION NON ÉCRITE.

*Arrêté royal du 23 juillet 1901.*

Cet arrêté royal annule la condition imposée par le testateur, au bureau de bienfaisance, de remettre [illegible] sommes nécessaires pour acquitter le service des messes instituées. Cette annulation est motivée comme suit :

« Considérant que le trésorier de la fabrique d'église est seul chargé, aux termes de l'article 25 du décret du 30 décembre 1809, de [illegible] la fabrique [illegible] la testatrice [illegible] pour le service des messes [illegible] par le bureau de bienfaisance au curé desservant l'église de Wasseiges sont contraires à la loi, et [illegible] comme non écrites en vertu de l'article 900 du code civil... » (*Moniteur* du 3 Août 1901, p. 3409.)

**Observations.** Dans l'espèce, la testatrice avait institué le bureau de bienfaisance son légataire universel avec charge de faire célébrer annuellement et *à perpétuité* dans l'église de Wasseiges un certain nombre de messes. Cette disposition équivaut à une fondation de services religieux ; partant la fabrique de l'église de Wasseiges avait seule qualité pour accepter la rente annuelle constituée pour l'exonération des dits services et aux termes de l'art. 25 du décret du 30 Déc. 1809, cette rente doit être touchée par le trésorier de la fabrique. (V. *Collat. Brug.* T. II, p. 260.)

Il en eut été autrement, s'il se fût agi d'une disposition testamentaire ordonnant la célébration de messes *une fois dites* ; cette stipulation ne constituant pas une fondation au profit du culte mais une simple charge d'hérédité, la fabrique n'aurait pas eu à intervenir et

le curé eut été légalement désigné pour recevoir du bureau de bienfaisance la somme affectée à l'exonération de ces messes. (V. *Collat. Brug.* T. II, p. 411 sv. — De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. comp.* éd. 1899, T. II. p. 321).

H. V. D. B.

# Consultationes

## I

**Quæritur.** Juxta disciplinam Romanam, apud *Collat. Brug.*, VI, p. 214 et seq. compendiose expositam, potest communis confessarius, in casibus urgentioribus, pœnitentem a censuris Rom. Pontifici reservatis absolvere, directe et *absque onere recurrendi Romam*, quando dictus pœnitens, scribendi incapax, alium confessarium adire renuit, et simul coram eodem confessario iteratò sese præsentare non valet.

Porro dubitatur de natura impossibilitatis ad eumdem confessarium redeundi, utrum nempe sufficiat impossibilitas ex *morali* exoriens impedimento, puta ex infamia incurrenda, an vero requiratur impedimentum *physicum*, quale habetur in magna distantia qua ab invicem separantur confessarius et pœnitens?

**Respondetur.**

Licet forsitan in decretis Romanis directe et exercite intendatur impedimentum pœnitentem ab accessu ad priorem confessarium *physice* prohibens; attamen nulla videtur adesse ratio ut ad sola id genus obstacula restringatur impossibilitas, de qua quæritur.

Quo pacto ab adeundo priore confessario impeditum censemus pœnitentem, quotiescumque coram dicto sacerdote, absque vero et fundato infamiæ periculo, infra mensem iterum sese sistere nequit. Quod non semel fieri est natum, uti monet ipse consulens, v. gr. ubi

agitur de persona apprime nota, quam incolæ loci, et signanter familiæ membra, attenta præfatæ personæ constanti praxi semel tantum in anno confitendi, non sine gravi suspicione viderent, infra mensem inde a præcedenti confessione, ad confessionale rursus accedere.

Quæ benignior interpretatio admodum congruit cum integra œconomia reservationis Pontificiæ, in qua disciplina manifeste apparet summa Ecclesiæ sollicitudo ut in omnibus, in quantum fieri potest, famæ consulatur pœnitentis a censuris Pontifici reservatis absolvendi.

A. D. S.

II

Anno elapso locum habuit venditio omnium bonorum mobilium quæ Titius dives moriens absque liberis nulloque condito testamento dereliquerat. In hac publica auctione Eligius emit armarium quod ipse Titius conficiendum mandaverat. Armarium illud, utpote majus quam ut integrum in domum suam transvehi potuisset, Eligius disjungendum atque reædificandum Caio lignario commisit. Quod opus cùm perageret Caius 75 nummos aureos (1500 fr.) annorum 1865-1885 in secreta armarii parte reconditos casu invenit, totamque summam nemine, ne Eligio quidem, certiore facto domum asportavit. Post paucos tamen menses anxius dubitare cœpit utrum pecuniam illam tuta conscientia servare posset, parocho rem integram exposuit, rogans eum ut secundum æquum et justum, modum agendi in casu servandum proponere vellet. Parochus autem, inquisitione facta, certior fit Titium anno 1863 matrimonium, nullo tamen contractu civili circa bona inito, iniisse cum Catharina quæ a. 1891 obiit, et testamento valido usumfructum omnium bonorum suorum marito concesserat; utrumque Titium scil. et Catharinam plures reliquisse consanguineos lege ad hæreditatem vocatos.

**Quæritur** 1° Utrum Caio *integræ* summæ restitutio imponenda sit?

2° *Cuinam* et quanam proportione Caius restituere teneatur?

**Respondetur** *ad 1m :* Affirmative. *Ratio* est quia summa pecuniæ detecta nullo modo in casu æquiparari potest thesauro invento. Etenim juxta jus nostrum civile (a. 716 c. c.) in hoc juri naturæ plane congruens, « thesaurus est res quæcumque pretio æstimabilis, abscondita vel infossa, *cujus nemo se dominum probare valet*, et quæ (ordinarie) fortuitò detegitur ». Jam vero in casu exposito, ut ex variis adjunctis liquet, hæredes Titii et Catharinæ se possunt probare *dominos* pecuniæ detectæ: constat enim pecuniam illam durante matrimonio Titii et Catharinæ, vel saltem post mortem Catharinæ a Titio (v. infrà) fuisse absconditam. Est igitur *res amissa* quam hæredes illi armarium vendentes nullo modo Eligio cesserunt, quæque igitur domino i. e. hæredibus *integra* est restituenda. (1)

*Ad 2m:* Licet certum sit dominium inventæ pecuniæ hæredibus Titii et Catharinæ et nulli alii esse adjudicandum, non eadem tamen certitudine constat utrùm utriusque consanguinei ad hæreditatem vocati, vel potius consanguinei solius Titii domini sint dicendi. Etenim nulla prostant indicia e quibus *moraliter certo* constet durante matrimonio vel tempore viduitatis Titii pecuniam fuisse reconditam. Si moraliter certo constaret durante matrimonio summam in armario fuisse sepositam, dimidia pars consanguineis Titii ad hæreditatem vocatis, dimidia etiam hæredibus Catharinæ tribuenda foret.

---

(1) Simile exemplum ex Toullier affert Gousset *Cod. Civ.*, a. 716: « .... Si parmi les choses cachées, il se trouve des pièces de monnaie de fabrique récente, dont la date indique que le dépôt a été fait au temps où mon père, ou mon grand-père occupait la maison *ce n'est plus un trésor*, ce sont des choses égarées. Il est à présumer que mon père ou mon grand-père, qui habitaient cette maison, y avaient caché cet argent, dont le souvenir s'est perdu par accident. En vendant la maison, je n'ai point vendu ce dépôt que j'ignorais, il doit m'être rendu ».

Etenim, matrimonium contrahentes absque ullo circa bona sua contractu civili expresso, a lege nostra (art. cod. civ. 1393 et 1400) censentur inire regimen communitatis *legalis,* quod legum statutis regitur et in quo bona mobilia omnia (sive tempore matrimonii acquisita sive matrimonio jam contracto acquirenda) patrimonium communitatis ingrediuntur (art. 1401). Soluta autem morte conjugis bonorum communitate, bona communia bipartito dividuntur, et dimidia pars obvenit utrique conjugi aut illius hæredibus (1).

E contrario, si moraliter constaret Titium pecuniam abscondisse post mortem Catharinæ adeoque post solutam communitatem bonorum inter ipsam et Titium vigentem, et post receptum usumfructum bonorum Catharinæ, quin læserit jura hæredum ejusdem Catharinæ (quod hîc, deficientibus quibusvis contrarium probantibus, omnino supponendum est), hæredibus Titii solis integra summa addicenda foret.

Ut ex præcedentibus liquet, hæredes Titii qui in ejus jura successerunt, *certum* habent jus ut dimidia pars summæ sibi tradatur, jus insuper *probabile* ad partem reliquam accipiendam; contra hæredes Catharinæ *nullum habent jus certum* in ullam nummorum partem; ipsis solum competit jus *probabile* ad dimidium vindicandum. Cùm autem utrimque sit jus *æque probabile* ad dimidium, res meliori quo potest modo « secundum justum et æquum » componitur ex æquo partem dubiam inter dominos probabiles dividendo (2). Caius igitur hæredibus Titii restituat tres quatuor partes pecuniæ sc. 1125 fr., hæredibus Catharinæ vero partem reliquam sc. 375 fr.

A. C.

---

(1) Cfr Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *De Jure et Justitia*, Brugis 1885. T. I, p. 99 ss.

(2) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.* Tom. II, n. 331.

# Libri dijudicati

**LES LITANIES DE LA SAINTE VIERGE**; *pieuses lectures pour tous les jours du mois de Marie*, — 2 volumes in-12 de 220 et 206 pages — Desclée, De Brouwer et Cie — (Prix: 2 fr. 25). — En vente à la société de St Augustin et dans toutes les librairies catholiques.

La récitation des Litanies de la Sainte Vierge est une des pratiques les plus usitées de la dévotion envers la Mère de Dieu. L'Église elle-même a consacré cette formule de piété en l'admettant au rang de ses prières liturgiques, et les Souverains Pontifes l'ont enrichie de plusieurs précieuses indulgences. Malheureusement bon nombre des invocations dont elle est composée, sont peu comprises par les fidèles et n'offrent à leur esprit que des mots vides de sens: c'est le cas notamment pour celles qui représentent la beauté morale de la Sainte Vierge sous la forme de certains symboles ou emblèmes mystiques (*Vase spirituel*, *Tour de David* etc.). C'est pourquoi il serait souverainement désirable que les prédicateurs expliquent quelquefois, p. ex. aux exercices du mois de Mai, cette formule de prières devant leur pieux auditoire. A cette fin ils pourront se servir utilement de l'excellent ouvrage, que nous signalons ici à l'attention de nos lecteurs.

L'auteur distingue dans les Litanies de la Ste Vierge, outre le prélude et la conclusion, cinq strophes qui énumèrent successivement 1° *les privilèges* de Marie *(Sainte Marie — Mère de la divine grâce)*; 2° ses vertus éminentes *(Mère très-pure — Vierge fidèle)*; 3° les emblèmes ou symboles de sa beauté et de sa puissance *(Miroir de justice — Étoile du matin)*; 4° les effets de sa bonté maternelle *(Santé des infirmes — Secours des chrétiens)*; 5° ses grandeurs et ses gloires *(Reine des Anges — Reine du très-saint Rosaire)*. Chaque volume contient

une allocution pour l'ouverture du mois de Marie et une instruction ou lecture pour chaque jour du même mois. Tous les vocables qui désignent la Sainte Vierge y recoivent successivement et dans l'ordre des litanies une explication claire et solide, que l'auteur fait suivre de quelques applications morales généralement des plus heureuses.

Qu'il nous soit permis toutefois de faire nos réserves au sujet d'une assertion comme celle-ci : « Elle (Marie) visite les âmes du purgatoire, et son apparition est une espérance » (2e vol. p. 41) ; et encore (p. 91) : « Elle descend au lieu de la souffrance et de l'expiation... » Le fait de ses descentes de la Ste Vierge au purgatoire mériterait d'être prouvé.

Nous regrettons aussi de devoir constater que l'ouvrage dont s'agit, manque absolument de références : les textes de l'Écriture, les citations des SS. Pères ou des Docteurs de l'Église y sont rapportés sans aucune indication des sources, auxquelles on voudrait cependant pouvoir recourir pour plus amples développements : c'est évidemment une lacune, que l'auteur, nous n'en doutons pas, voudra combler dans une édition subséquente de son beau travail.

H. V. D. B.

---

**GESCHIEDENIS VAN O. L. VROUW VAN VIVEN**, *heerlijkheid, kapel, wonderbeeld, proostdie, kerk, pastorie, kloosters, parochie* — door **A. Van Becelaere**, eersten proost van Viven. — Rousselare, J. De Meester, 1891, gr. 8°, 352 bl.

Recens omnino est parœcia B. Mariæ Virg. in Vivia, primum sacellum sæculo XIV mediante tantum erectum fuit, et non adeo multa videntur esse documenta in archivis ecclesiæ asservata. Non minimi tamen laboris opus aggressus est diligentissimus ac doctus auctor,

qui, memor verbi: *colligite fragmenta ne pereant*, omnia curiose investigavit ac religiose tanto fructu collegit ut nobis præstaret monographiam completam meritis plenam, quæ non tantum exponendi arte amœnam et pietati fovendæ ideneam, verum etiam scientiæ historicæ non inutilem lectionem præberet. Generali huius regionis historicæ conditioni maxime pro temporibus antiquis, sobrie et generatim exacte expositæ, tanquam formæ inserunt speciales, qui Viviam respiciebant, eventus, eosque ita evolvit ut cuivis lectori facile pateant. Documenta ea, qua par erat, diligentia enucleavit et ex illis hausit facta quorum plurima omni attentione sunt digna et multum conferre possunt ut intimius perspiciatur historia nostræ Flandriæ. Per monographias enim ad accuratam notitiam generalem devenire oportet. Si pro singulis parœciis haberemus sedulo notata res et gesta particularia, qualia hic invenimus, quæ spectant v. g. vitam et jura dominorum temporalium aut parochorum, rapinas gentiorum vel vexationes revolutionis gallicæ, erectionem et restaurationem ecclesiarum, majoris momenti processus juridicos, praxim religiosam et consuetudines locales, quam facile ad solidam magisque accuratam historiam generalem totius vitæ majorum nostrorum perveniri posset!

Ad recentiores sæculi nostri eventus quod spectat, grati animi affectu erga optime meritos benefactores, et cum vero amore notavit auctor, ut testis in multis oculatus, totam historiam restaurationis sacelli, erectionis præposituræ et parœciæ et omnia quæ vitam religiosam tangunt.

Libenti igitur animo hoc opus commendare placet ut lectionem utilem ac amœnam necnon ut exemplum imitandum sive ad conficiendum *Librum Memorialem* parœchis auctoritate episcopali præscriptum sive etiam ad similem monographiam parochialem conscribendam.

C. C.

# Collationes Brugenses

## De Sanctissimæ Eucharistiæ specierum genuinitate et conservatione curanda ad Rev^mos DD. locorum Ordinarios.

*Ill^me ac R^me Domine,*

Pluries et variis ex locis Supremæ huic Congregationi S. Officii dubia proposita sunt circa materiam (panem et vinum) SS^mi Eucharistici Sacramenti. Cum enim inhonestorum quorumdam mercatorum eo jam malitia pervenerit, ut farinas triticeas aliarum tum vegetalium tum etiam mineralium substantiarum admixtione adulterare, vinaque vel ex toto vel ex parte haud ex genimine vitis conficere passim non vereantur, cumque non raro difficile admodum sit, vel ipsis chimices peritis hujusmodi fraudes agnoscere; non immerito dubitatum est, num ad licitam, imo et validam consecrationem farinæ vel hostiæ vinaque quæ sunt in commercio, tuto adhiberi valeant.

Cum res, ut patet, maximi sit momenti et, ceterum, de farinarum vinorumque frequentibus adulterationibus dubitari nequeat; E^mi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales pastoralem R^morum DD. Ordinariorum sollicitudinem excitandam censuerunt ut, accuratis institutis investigationibus, si quos abusus irrepsisse compererint, funditus convellere satagant, ac diligenter caveant ne quid in posterum in propriis ditionibus fiat quod a latis nedum circa naturam sed et circa conservationem Sacrarum Specierum dispositionibus, quæ a probatis auctoribus traduntur quæque præsertim in Rubricis Missali Romano præpositis continentur, quomodocumque sit absonum. Quoties vero de venalium farinarum vel hostiarum vinorumque genuinitate rationabile adsit dubium, Sacerdotes sibi subditos ab eorum usu in conficiendo SS^mo Altaris Sacramento omnino prohibeant, eosque practicam rationem doceant genuinam materiam sibi comparandi. Quod demum spectat ad Missas dubia materia antehac forte celebratas, ad S. Congregationem recurrant.

Quæ quidem omnia dum, ut mei muneris est, cum Ampl. Tua communico, libenter occasionem nactus, fausta quæque ac felicia Tibi precor a Domino.

Datum Romæ ex S. O. die 30 Aug. 1901.

L. M. Card. PAROCCHI.

# Meditationes theologicæ

(*Sequitur.* — *Cfr. supra, tom. VI, pag. 633.*)

—

25°. Itaque, operationis divinæ ad extra primam functionem consideremus jam prout est causa esse non sc sola sed esse alicujus a causa secunda producti.

Agitur autem, ut patet, de productione esse materialis, sive organici sive inorganici, cum in opere naturæ non adiuscetur creatio, formæ vero spirituales, sive separatæ seu Angeli, sive formæ corporum seu animæ rationales hominum, sint per se creatæ. Et præprimis loquimur nunc de rebus materialibus inorganicis, seu de productione tum esse accidentalis in ipsis, tum esse substantialis seu productione mixti ex elementis vel aliis mixtis, aut elementorum ex dissolutione mixtorum.

His positis, primo adverte cum Ferrariensi (1): « Esse absolute sumptum, ut comparatur ad hoc vel illud esse, est primum in generatione, sicut indeterminatum determinato; ut autem comparatur ad terminum cujuscumque productionis, ut actus ad potentiam, sic est ultimum, tamquam complementum omnis perfectionis. »

Qua animadversione facta, rite intelligemus principium seu fundamentum, bene retinendum, quod ponit S. Thomas: Esse est proprius effectus Dei, quodque ostendit duplici via. Prima quidem, sumendo esse in posteriore sensu: « In omnibus causis agentibus ordinatis, quod est ultimum in generatione, et primum in intentione, est proprius effectus primi agentis; sicut forma domus, quæ est proprius effectus ædificatoris, posterius provenit, quam præparatio cæmenti et lapidum et lignorum, quæ fiunt per artifices inferiores, qui

(1) In III c. *Gent.*, c. 66; et cf. in II, c. 21.

subsunt ædificatori; in omni autem actione, esse in actu est principaliter intentum, et ultimum in generatione; nam, eo habito, quiescit agentis actio et motus patientis: est igitur esse proprius effectus primi agentis, scilicet Dei, et omnia quæ dant esse hoc habent in quantum agunt in virtute Dei (1). »

Altera via idem principium demonstrat Angelicus Doctor, sumendo esse in priore sensu supra indicato: « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse: nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantes et determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones, quæ determinant esse (2). »

Ex his habemus, in productione alicujus substantiæ materialis per agentia naturalia, primum seu subjectum actionis esse a Deo eoque solo; medium seu activitatem moventem ad esse, a Deo esse ut causa prima, ab agente naturali ut causa secunda; ultimum tandem seu effectum, qui est actu esse, rursum esse a Deo principaliter et directe, a causa secunda instrumentaliter et concomitanter ac indirecte tantum.

257. Revera, materia prima, quæ est esse maxime indeterminatum et in potentia a Deo solo est, et supponitur necessario ut subjectum omni actioni agentis naturalis, omni productioni per causam secundam alicujus substantiæ materialis.

Activitas movens ad esse est tum a Deo, tum a causa secunda, utrimque totaliter quidem, modo vero diverso. Etenim, substantiæ ipsæ, quibus vires naturales insunt, sunt a Deo vel immediate se solo eas ab initio creante

(1) *C. Gent.*, l. III, c. 66, n. 3.
(2) Ibid., n. 5.

aut producente, et conservante, vel, ut hic explicatur, eas producente simul cum anteriore causa secunda, eaque mediante eas conservante, mediatione nempe suppositi ast immediatione virtutis suæ, ita ut tandem unaquæque substantia a Deo omnino dependeat, mediantibus quidem suppositis omnium causarum secundarum a quibus producta sit, immediate tamen a virtute divina, quæ non solum mediante virtute illarum causarum operatur, sed etiam in singularum operationibus. Vires naturales, quæ substantiis materialibus insunt, similiter sunt productæ a Deo, simul cum causis secundis, seu mediantibus illis mediatione suppositi seu agentis, immediatione tamen divinæ virtutis, sine qua nihil operatur, et pari modo a Deo conservantur. Denique, ipsa actualis efficientia istarum virium non est sine divina motione, ut jam in dictis continetur, vires in actum reducente et applicante ad operationem.

Activitas ergo movens ad esse totaliter est a Deo, et totaliter a causa secunda, ast modo diverso: causæ secundæ vires sunt particulares, determinatæ, non universales ad esse producendum, quod solius Dei est, sed ad producendum esse *hoc*, particulare, determinatum; adeoque causa secunda est particulans et determinans activitatem primi agentis, et producit tamquam proprios effectus perfectiones determinantes esse; activitas proin primi agentis est principalis, causæ vero secundæ quasi instrumentalis, sicut in artificio motio agentis principalis determinatur et particulatur ex instrumento.

Ultimum seu actu esse similiter est a Deo, ut causa prima, principaliter et directe; a causa secunda, secundario et indirecte seu concomitanter: nam, ut vidimus, causa secunda est directe et per se causa fieri tantum, quia non agit nisi movendo, scilicet disponendo materiam et educendo formam de potentia materiæ, et non movet nisi mota seu in quantum sibi adjungitur moveri, quod rursum non est nisi a Deo, sive immediate sive

mediate, immediatione vel mediatione suppositi, semper vero immediatione virtutis.

258. Similiter, de mutatione accidentali agendo, primum seu subjectum est esse *hoc* seu substantia materialis, quæ est a Deo, sive immediate et solo, ut in principio rerum, sive mediate, ut modo supra. Medium seu activitas est a causa secunda et a Deo, modo explicato. Ultimum est actu esse *tale* seu inesse, estque rursum a Deo et a causa secunda, ut diximus.

« Ex hoc apparet, *ait S. Thomas* (1), quod Deus est causa omnibus operantibus, ut operentur. Omne enim operans est aliquo modo causa essendi, vel secundum esse substantiale, vel accidentale : nihil autem est causa essendi, nisi in quantum agit in virtute divina, ut ostensum est. Omne igitur operans operatur per virtutem Dei. » Aliis verbis, cum Ferrariensi (2), apparet divinam providentiam ad esse rerum omnium se extendere, adeoque et ad omnium rerum operationes. Et ita deducimur ad divinam motionem, divinumque concursum ulterius considerandum ; quæ tamen cum valde diversa sint, non solum in ordine gratiæ et in ordine naturæ, sed etiam, manendo in hoc altero ordine, in diversis agentibus, spiritualibus præsertim et materialibus, magis opportunum videtur nos intra limites rerum jam expositarum, quæ ad præsens intentum sufficiunt, continere, et prius disputationem nostram de conditione, conservatione, cæterisque functionibus operationis Dei ad extra, quod res materiales inorganicas attinet, complere; eo vel magis quod ab his minus perfectis incepit divina operatio. Hoc autem præstabimus, primo quidem, universa supra explicata quasi applicando et in concreto Deum, omnipotentem ac summe sapientem, a principio rerum operantem considerando, quamquam parergon quodammodo videri po-

(1) *C. Gent.*, l. III, c. 67. n. 1.
(2) In eumd. loc.

test, deinde vero, sequetur complementum doctrinæ, de rebus inorganicis agendo, ut modo dicebamus.

## PARERGON.

*Doctrinæ cosmogonicæ modernæ cum doctrina scholastica supra exposita compositæ.*

259. Deum, in condendo et adornando hoc universo, a minimo seu maxime imperfecto ad perfectius, adeoque in mere materialibus a magis simplici ad compositum, ab informi et rudi ad ornatum et perpolitum procedere voluisse, tum sacræ Litteræ insinuant, tum natura ipsa rerumque naturalium scientia docet, quod et S. Thomas a nobis olim citatus (1) advertit. Idque nec omnipotentiam dedecet, quæ ex minimis maximeque imperfectis tam grandia ac perfecta mira varietate educere potuit; nec sapientiam, ut Petavius advertit: « Paulatim enim in rerum conditu progredi divina sapientia voluit, et rude primum atque imperfectum opus edere, ut qui tum spectatores erant angeli, quibusdam veluti gradibus ad perfectæ summi opificis sapientiæ intelligentiam erudirentur, ac pedetentim per rerum creatarum vestigia pervenirent (2). »

Igitur primam rerum conditionem quomodo concipiamus jam uno conspectu exhibebimus, secundum hypothesim nobis magis vero similem visam, quam cum modernis placitis, positis ponendis, haud parum congruere videbimus, et salva quidem manente quoad substantiam doctrina philosophica Scholasticorum supra exposita.

Hoc modo plura nobis obvia erunt commoda, scilicet tum brevem ante oculos habebimus synthesim totius disputationis præcedentis, tum quædam clarius et intimius explicabuntur, ut puta divina motio concursusque divinus, tum etiam via sternetur ad complendam doctrinam de perfectioribus creaturis; ita ut principale intentum hujus paragraphi de propria ratione conditionis ac conservationis rerum, necnon de cæteris functionibus operationis Dei ad extra, in ordine naturæ, sponte tamquam conclusio ex dictis effluat.

---

(1) Num. 248, ubi cit. I, q. 47, a. 2.

(2) *De sex primorum mundi dierum opificio*, l. I, cap. IX, n. II.

260. Itaque Deus hujus universi aspectabilis totam primum creavit materiam primam sub concreata forma maxime imperfecta, quam *etheream* vocabimus.

Est igitur una specifica substantia pure materialis omnino primigenia, quam appellamus *etherem*, minimæ actualitatis et perfectionis, plus seu maximum habens de materia, minus vero seu minimum de forma, adeoque et minimæ activitatis. Quam quidem activitatem minimam statim, eadem actione qua formam cum materia concreando univit, Deus movit seu in actum reduxit, quo produceret effectus substantiæ ethereæ intrinsecos, scilicet primum accidens seu quantitatem cum reliquis ab hac inseparabilibus. Nam, cujus est movere materiam ad formam, ejusdem est et dare motum consequentem formam: quod præprimis valet de Deo primam substantiam materialem creante, qui proin simul ac eamdem creavit et energiam ab ea non distinctam indidit, hanc quoque movit ad actum (1).

Erat ergo in principio ether totam universi materialis materiam primam complectens, sub una quantitate continua spatium reale universum implente; adeoque erat de facto et per accidens indivisus, cum nihil esset præter divinam virtutem ad dividendum eum, maxime vero divisibilis seu minime unus, utpote minime actualis seu perfectus. Re quidem vera, cum forma etherea sit minimæ perfectionis, vim habet minimam continendi seu contrahendi materiam: si ergo initio erat ether maximæ quantitatis continuæ, totum spatium implentis, hoc erat, non ex parte formæ intensioris virtutis ad continendam materiam, sed ex parte materiæ sub forma illa infirmissima maxime divisibilis, aliis verbis, hoc erat quia ether, utpote infimæ actualitatis, maximum habens de materia, minimum de forma, continebat in potentia particulas substantiales individuas numero prope infinito, ita ut si dividatur, quod fit secundum quantitatem, materia sub minima quantitate sufficiat ut forma etherea contineatur; dum aliæ substantiæ perfectiores, puta elementares nobis experientia notæ, majorem quantitatem specificam exigunt, sicut formæ earum majorem vim continendi materiam habent; et a fortiori substantiæ mixtæ, quæ statim

(1) Cf. S. Thomas, I, q. 105, a. 2.

ac quantitas major ipsis propria deficit, resolvuntur in elementa, sicut hæc, deficiente propria quantitate, miscentur ad invicem seu mutantur in aliud corpus (1).

261. Ex his apparet etherem esse substantiam materialem infimam, minimæ unitatis ac cohæsionis atque densitatis, maxime divisibilem, diffusam ac subtilem seu fluidam, maxime passivam ac mobilem seu receptivam actionis extrinsecæ, intrinsece vero minimæ activitatis ex natura sua, quamquam ratione immensæ quantitatis hæc activitas ingens esse possit, et reipsa sit, ut videbimus.

Et hic audiamus verba S. Thomæ valde notabilia: « Non est autem verum quod quantitas impediat actionem formæ, nisi per accidens, in quantum scilicet omnis quantitas continua est in materia, forma autem in materia existens, cum sit minoris actualitatis, est per consequens minoris virtutis in agendo, unde corpus quod habet minus de materia et plus de forma... est magis activum. Supposito autem modo actionis, quam forma in materia existens habere potest, quantitas coauget magis quam minuat actionem, nam supposita gravitate æque intensa, quanto majus fuerit corpus grave, tanto velocius movebitur motu naturali: et inde est, quod tardius movetur motu innaturali; quia igitur corpora gravia sunt tardioris motus innaturalis, cum fuerint majoris quantitatis, non ostenditur quod quantitas impediat actionem sed magis quod coaugeat ipsam (2). »

Nihil igitur prohibet etherem primitus indivisum sub una forma et quantitate continua totum spatium reale implentem, primitus quoque in illa quantitate totam universi materialis energiam continuisse, virtute quidem, non vero actu. Quod ut melius intelligatur, attendantur sequentia. Diversi gradus perfectionis corporalis non se habent ex parte materiæ, ut patet, quæ est omnibus substantiis corporalibus communis, nec ex parte quantitatis materialiter sumptæ, quæ se habet

(1) Cf. supra nostrum num. 243, ubi de divisibilitate corporum citavimus verba S. Thomæ, *De pot.*, q. 4, a. 1, ad 5; et *De sensu et sensato*, lect. 15; coll. textu citato n. 244 in fine, sc. *De nat. mat.*, c. 8. — Hæc breviter dicta de functione quantitatis in corruptione et generatione corporum valde attendenda sunt, utpote summi momenti, ut infra patebit.

(2) *C. Gent.*, l. III, c. 69.

ex parte materiæ ut sic, sed perfectio se habet ex parte formæ; quæ tamen cum exigat quantitatem specificam minimam, infra quam non est divisibile corpus quin mutetur in aliud, dicendum est perfectionem specificam corporis se habere ex parte formæ et quantitatis specificæ ei respondentis, ut sic. Nihil igitur refert ad perfectionem specificam substantiæ corporalis *extensio* formæ ejusdem ad majorem vel minorem quantitatem materialiter sumptam; et ita, quod ether totum spatium impleat, vel solum cubiculum, manet eadem perfectio specifica etheris; sed refert intensio virtutis et perfectio formæ, ex qua oritur major vel minor quantitas specifica, ratione cujus corpus sit minus vel magis divisibile, quin mutetur in aliud.

Itaque, quo perfectior forma, eo major quantitas specifica, eo minus multiplicabilis forma per divisionem seu minus divisibile corpus in individua homogenea. Præterea, ut supra vidimus, forma est principium activitatis, non tamen independenter a materia, et reipsa qualitates activæ et passivæ sunt in quantitate, per quam habetur contactus cum alio corpore et exercetur activitas. Juxta ergo perfectionem formæ, et pro magnitudine quantitatis specificæ, erit perfectio virium, seu intensio activitatis, quævis sit quantitas materialiter sumpta; quamvis eædem vires, in eodem gradu intensitatis manentes, augeantur additione seu extensione, pro numero individuorum ejusdem substantiæ. Aliis verbis, in concreto loquendo, in substantia v. g. etherea minimæ perfectionis, vires erunt minime intensæ, quævis sit quantitas etheris; sed, quo major erit illa quantitas materialiter sumpta, eo major erit summa earumdem virium minime intensarum, seu extensive erit major energia. Si quantitas materialiter sumpta non est continua, sed constituitur ex singulis individuis, manet eadem intensio et extensio augetur pro majore numero particularum substantialium; si vero sit continua, manet extensio ac si non esset continua quantitas, sed intensio augetur indirecte, relate ad alias substantias corporales: non ita videlicet quod intensio specifica augeatur, sed quod ex illa intensione relate ad alia corpora, nihil detrahatur per activitatem particularum homogenearum in invicem: corpus enim non solum agit in aliud corpus diversæ substantiæ seu perfectionis sed etiam in aliud corpus

a se divisum ejusdem substantiæ: ubi vero est una quantitas continua adeoque et una forma, quantacumque sit illa quantitas, ibi est unum tantum corpus indivisum et una indivisa energia.

Ex his omnibus manifestum est etherem primitus indivisum, sub una forma et quantitate continua totum spatium implentem, habuisse vires relate ad alia corpora intensione minimas, extensione maximas, et rursum ratione indivisionis, indirecte maximas intensive quas pro intensitate specifica minima habere potuit.

Adeoque primitus continere potuit ether universam energiam materialem. Quantavis enim sit perfectio adeoque et intensio virium aliarum substantiarum materialium, quas Deus postea produxit, cum eadem maneat materia, et eadem summa quantitatis universi, nihil prohibet Deum ita res disposuisse ut major hæc intensio compensaretur tum ex divisione etheris intensitatem virium sic amittentis, tum ex minore extensione virium ejusdem etheris cujus quantitas minuebatur. Diximus contentam fuisse universam energiam in ethere, virtute quidem, non vero actu: quod manifestum est, cum nihil fuerit (præter Deum) ad reducendas vires in actum, nec quidquam ad recipiendam activitatem etheris.

262. Itaque, concipere possumus Deum *in primo instanti* rationis ac temporis creasse totam universi materiam primam, sub concreata forma maxime imperfecta etheris, simul energia a substantia etherea non distincta in actum reducta, ita ut unum corpus ethereum immensum sub una quantitate continua totum spatium reale impleret; simulque, ut explicatum est, virtute contineret universam energiam materialem. Eratque, ex dictis, ether indivisus, solus existens, adeoque immotus, sine ulla actuali activitate ad extra (1), nec poterat agere nisi unum, scilicet energia a sua substantia non distincta et a Deo in actum reducta seu applicata ad opus simul cum creatione, producere quantitatem et in ea reliqua accidentia ab ipsa inseparabilia.

(1) Jam inter modernæ scientiæ cultores inveniuntur, qui nebulosam primigeniam statuant primitus sine motu, probabiliter sine calore; cf. E. Pasquier, *Les hypothèses cosmogoniques*, apud *Revue Neo-scolast.*, præs. nº 1 mai 1898, p. 271 ss. et p. 275 ss.

*In secundo instanti* rationis vel et temporis, Deus divisit etherem ut, in diversis partibus spatii, e potentia materiæ sub forma etherea existentis, in ordine ad novas formas recipiendas prævie dispositæ, educeret formas perfectiores, nempe elementorum. Hæc omnia, ut ex supra dictis de rerum distinctione elucet, effici debuerunt actione Dei immediata, scilicet immediatione non tantum virtutis sed et suppositi.

Ubi nota, quod si ponamus elementa ita fuisse producta ut sub quantitate continua singula continerentur, eorum energiam primitus fuisse quam maxime potuit intensam, quod modo dicta num. præc. declarant; ex quibus quoque intelliges quidquid ether energiæ amisit, tum indirecte intensitate, tum extensione, id transiisse in elementa, in singula nempe eorum pro gradu perfectionis, et pro certa mole seu numero individuorum quæ in potentia continebant. De distinctione enim rerum agentes vidimus Deum, non tantum certum fixumque numerum specierum, sed et individuorum in singulis speciebus corporalibus constituisse ad evolutionem universi.

Quod autem addidimus *in diversis partibus spatii* Deum elementa produxisse, id non sine ratione additum (1) mox elucebit, explicando divinam motionem et mutuam corporum activitatem.

263. Postquam Deus juxta etherem, alia corpora, nempe elementaria, ex partibus etheris divisi, inque certis partibus immensi spatii etherei produxit, quæ rursum, simul ac creata, ad actum applicata singula suam quantitatem et reliqua accidentia produxerunt, jam eo ipso erant diversa corpora, singula cum suis viribus, quæ in invicem agere et ab invicem pati poterant. Quo posito, *in tertio instanti rationis,* si non temporis, Deus energiam universi, qua corpora in invicem agunt, tum in ethere reliquo adhuc immenso, tum in elementis omnium futurorum mixtorum contentam, reduxit in actum, eo quem nunc ostendemus modo. Estque hæc ultima interventio Dei immediata, immediatione videlicet suppositi, necessaria ad evolutionem universi materialis inorganici. Est hæc universi materialis a se jam constituti

(1) Quod rursum quidam moderni in suis hypothesibus cosmogonicis affirmandum censent. Cf. E. Pasquier, l. c., p. 274 (Ch. VII, n. 4).

motio primi motoris Dei, nunc explicanda, ad quam omnis activitas materialis sequitur; eaque prima motio est causa *perseverantiæ* motus mundi materialis, modificationes autem hujus motus seu *diversitas* motuum in mundo materiali sunt ex causis secundis agentibus sub eadem motione prima Dei.

Obiter ast diligenter attende in modo dictis indicari præcipua elementa solutionis, postea deducendæ, quæstionis nostræ principaliter intentæ, de quadruplici functione operationis Dei ad extra relate ad res inorganicas, productionis nempe, conservationis, motionis atque concursus.

Ut hæc motio primi motoris Dei rite intelligatur, imprimis in memoriam revocanda sunt tria, supra jam exposita, in ipsa rerum natura fundata: 1/ corpus agere, in quantum est in actu, in aliud, prout est in potentia; 2/ corpus non agere in aliud, nisi movendo, mutando illud, et nisi ipsum movens movcatur; 3/ principium activitatis esse formam, dependenter tamen a materia: cum nonnisi in ea, tanquam subjecto, inesse seu existere queat, et corpus non agat in aliud nisi per contactum, qui est per quantitatem, se habentem ex parte materiæ, et nisi qualitatibus suis quæ sunt in quantitate.

His positis, materia licet in hoc corpore sub hac forma elementari aut etherea, sit actuata, manet tamen ex natura sua in potentia remota ad quamvis aliam formam, et in potentia plus minusve proxima ad quasdam determinatas formas, v. g. ad eam formam mixti, in qua virtute contineri potest ejus actualis forma elementaris, sicut vicissim, materia mixti, postea exorti, erit in potentia magis proxima ad formas, quas virtute continet forma ejusdem mixti.

Universim ergo est in corporibus quibusvis, sive ejusdem sive diversæ substantiæ, ab invicem divisa quantitate distinctis, mutuus quidam ad invicem appetitus seu affinitas, prout unum est in potentia, ratione materiæ, et alterum in actu, ratione formæ, et vicissim. Adeoque vi naturæ suæ, utpote ex materia et forma composita, nata sunt ferri ad invicem vi quadam attractiva, quæ est origo et principium omnis motus et actionis corporeæ. Hanc autem vim Deus determinavit ad actum, objective quidem, eo ipso quod diversa corpora produxit, corpora enim agunt per naturam et ab invicem determinantur ad agendum; subjective vero, vires ipsas seu universam energiam materialem primitivam appli-

cando ad opus. Hæc est prima motio divina in rebus inorganicis, cujus immediatus effectus est attractio universalis a Newton definita.

264. Attractio universalis sufficit, uti demonstrant moderni, ad explicandum formam ac motus astrorum; leges horum motuum a Kepler definitæ manuduxerunt Newton ad legem attractionis enuntiandam et reapse ad hanc consequuntur. Si quæ difficultates remanent circa motum uniformem plerorumque astrorum, circa motum retrogradum aliquorum, id diversis hypothesibus, nihil mutando in prædicta lege attractionis, legibusve Kepleri, explicari potest, neque etiam obstat nostris placitis. Quæ quidem omnia exposita invenies in citatis articulis Professoris E. Pasquier (1).

Solet attractio a physico-mathematicis generaliter repræsentari hac formula $f\frac{Mm}{r^2}$, in qua $M$ et $m$ figurant massas corporum attrahentium, $r$ distantiam qua separantur, $f$ vim attractivam quando massæ et distantia ad unitatem redactæ sunt. Hanc formulam, quæ legem Newtonii accurate refert, ulterius non explicant; in nostra autem hypothesi Scholastica intimior explicatio attractionis et interpretatio ejusdem formulæ amplior suppetere videtur. Quod quidem corpora distantia se invicem attrahant, cum actio in distans admitti non posse videatur, id explicamus per etherem, qui motum transmittit quasi vehiculum, et ita quidem ut duæ massæ ab invicem distantes agant quasi essent solæ. Etenim, oportet etherem, totum primitus spatium implentem, concipere ita immensum ut quantitates reliquorum corporum, ex eo postea a Deo in diversis dissitisque spatii partibus productorum, sint quasi puncta in oceano natantia, et tali quidem distributione a Deo sapientissime facta, ut sit æquilibrium inter attractionem corporum, magis intensam minus vero extensam, et etheris minime intensam, extensione maximam. Istud æquilibrium, ex quo fit ut diversa systemata mundorum sese evolvunt, vel ab initio productionis elementorum a Deo constitutum est, vel etiam post ingentes collisiones in diversis partibus a Deo præordinatas constitui potuit (2).

---

(1) *Revue Néo-Scolastique*, 1897, 1er août et 1er novembre; 1898, 1er mai et 1er août; præsertim Chap. III et VII.

(2) Quidam moderni ad hypothesim hujusmodi collisionum recurren-

Ex immensitate etheris et dicto æquilibrio fit ut diversa mundorum systemata, ab invicem in immensum distantia, quasi ab invicem non dependere et vix in invicem agere considerari possint, quod etiam moderni animadvertunt.

Ex eodem æquilibrio, aliis verbis, ex eo quod ether undequaque in immensum astra circumdet, merito concluditur eumdem attractionem suam æqualiter in omnem partem exerere, ita ut relate ad idem corpus a se distinctum nullum effectum habeat, nisi æquilibrii, adeoque duo corpora in invicem agant, quasi sint sola sine intermedio ethere; unde, si approximative tantum ut ajunt, dimetiri possumus activitatem astrorum in invicem, id inde est quia præter duo considerata, alia sunt ejusdem systematis quæ in ista duo vicissim agunt, non ex actione etheris, simpliciter æquilibrante.

Itaque, in nostra hypothesi facit ether ut duo astra seu corpora distantia invicem attrahere possint; idque in ratione directa, ut dicitur, massarum, quod quidem rursus cum dictis de quantitate omnino convenit. Præterea, quod nulla ratione reddita in formula mathematicorum additur, et de facto quidem constat, nempe attractionem se exerere in ratione inversa distantiæ per se ipsam multiplicatæ $r^2$, id ex interjecto ethere inter corpora attrahentia iterum declaratur: etenim, resistentia etheris interjecti, vi inertiæ, non solum, duplicata v. g. distantia, duplicatur, sed pro utroque corpore fit duplo major, adeoque quadriplicatur.

Quodsi nulla esset interposita resistentia inter corpora attrahentia, non intelligitur quomodo distantia se sola quidquam efficere posset ad minuendam attractionem. Cæterum ex absurdo sequitur quodlibet: et dicendum foret, duo corpora, inter quæ intercedit nihil, se contingere; vel, si per impossibile se non contingunt, licet nihil intercedat, ea in invicem agere non posse, imo ab invicem magis removeri, si ab alia parte a corporibus aut ethere attrahantur.

265. Ex dictis elucet attractionem in ethere relate ad alia corpora invicem attrahentia esse causam æquilibrii in universo; item, etherem esse vehiculum attractionis universalis reliquorum corporum.

---

dum esse haud improbabiliter censent, ad explicanda quædam facta, quorum alii ægre rationem reddere possunt, V. Pasquier, cit. Chap. VII.

Præterea, constat attractionem esse originem omnis motus corporei; hanc autem attractionem, in qua primitus tota energia universi materialis continebatur, a Deo primo motore rebus materialibus inorganicis inditam et ad actum applicatam, jam per diversæ naturæ corpora, in diversis adjunctis, transeuntem, pro earumdem causarum secundarum natura, diversimode modificari, ita ut una tandem maneat summa energiæ et una vis originalis, nobis maxime probabile videtur et ex præcedentibus efficaciter suadetur. Nec ipsam affinitatem chemicam, quam vocant, excipimus, eamque tandem ad attractionem seu motum modificatum reduci persuasum habemus.

Sicut enim motus, certis in adjunctis, puta resistentiæ determinatæ ejus impulsui, etc., mutatur in calorem, et sic de cæteris viribus naturæ; quarum quidem mutationum seu modificationum naturam, leges, conditiones indagare scientiarum experimentalium objectum est, quæ ad physicam pertinent: sic rursum attractio seu motus originalis, certis in adjunctis, functionem exercet affinitatis chemicæ, ita ut non tantum in corporibus mutationes accidentales, quas physicas appellare solent, producat, sed ad intima corporum pertingat et eadem substantialiter immutet, eductis novis formis ex materia prævie mutata ac disposita.

266. Et hæc quidem adjuncta seu conditiones generales requisisitæ ad combinationem, ut ajunt, chemicam, breviter considerare inutile non erit. Primo quidem, prævie ad omnem mixtionem perfectam requiritur ut substantiæ quarum est mixtio dividantur, idque ad ultimum limitem suæ divisibilitatis, seu reducantur ad ultima individua, ad minimam quantitatem suam specificam. Quod quidem ex pluribus factis, experientia notis, apud omnes constat. Ratio autem est quod, cum in corpore inorganico per simplicem divisionem multiplicentur formæ adeoque individua, quamdiu remanet certa quantitas supra limitem ultimum divisibilitatis, et manent in illa quantitate vires seu qualitates proportionatæ, eadem quantitas eo ipso manet sufficiens et apte disposita ut virtus formæ eamdem ita signatam et propriam actuet in talem substantiam, ita ut subeat mutationes physicas quidem, mediante ethere, non vero mutetur in aliam substantiam. Ubi nota in statu naturali quietis corporum,

id est, extra actum mixtionis vel dissolutionis mixti (1), reapse numquam inveniri quantitatem reductam ad unam moleculam mixti, aut solitarium atomum simplicis. Si vero ita debilitetur virtus formæ per divisionem quantitatis et consequentem remissionem qualitatum, ut jam non sit quantitas propria et disposita quæ in talem substantiam stabiliter actuetur, eo ipso incipit primus actus transformationis substantialis, quam explicari vi tandem attractionis posse putamus. Videlicet, agendo primum de mixtione elementorum, influxu extrinseco virium tum aliorum corporum, tum alterius miscibilium, motu, calore, electricitate, etc. quæ tandem sunt diversæ modificationes attractionis, atomi homogenei ab invicem dividuntur ad ultimum limitem, ita ut, perseverante eodem influxu, majori attractione extrinseca vincatur eorum mutua attractio interna seu inter se et magis magisque separentur, dum simul attractio ad invicem atomorum heterogeneorum, scilicet unius miscibilis in alterius atomos, inter se exercetur eoque magis augetur quo inter homogenea minuitur; ita ut se mutuo attrahant elementa miscibilia heterogenea in ratione directa mutuæ quantitatis et, suppressa tandem distantia ac ethere recedente, in unam quantitatem coëant (2), in qua pariter singulorum qualitates jungantur et sese mutuo temperent, adeoque e materia sub nova quantitate, rite disposita, nova educatur forma, virtute quidem continens miscibilium formas, actu vero earum temperatas vires, seu qualitates quæ sunt proprie in quantitate (3).

Quod autem divisio ultima certa adjuncta requirat, aut actione miscibilibus totaliter extrinseca egeat, vel contra, ipsis in se mutuo agentibus perficiatur, id repetendum est tum ex diversa non solum quantitate sed et dispositione materiæ sub diversæ perfectionis formis, tum ex variis circumstantiis extrinsecis. Similiter, quod, divisione facta,

---

(1) In actu mixtionis vel dissolutionis mixti, contra inveniuntur moleculæ et atomi solitarii, quem statum chemistæ vocant *l'état naissant*.

(2) Agnoscunt moderni massam mixti esse summam massarum seu quantitatum miscibilium.

(3) Re quidem vera, qualitates manere possunt etiam sine forma, ut constat v. g. in Eucharisticis accidentibus seu speciebus miraculose conservatis absque substantia.

potius cum uno quam cum altero mixtio fiat, id inde est quod ad mixtionem non solum ultima divisio prærequiritur, sed et certa quantitas, certaque dispositio materiæ, quæ quidem ex diversis perfectionibus formarum elementarium oriuntur.

267. Vicissim, de dissolutione mixti loquendo, ex opposito illius quod de mixtione dicebamus, vires attractivæ dividentes, quibus mixtum ad ultimas moleculas separatur, perseverante eodem illo influxu suo, quo virtutem formæ mixti debilitant, simul eo ipso æquilibrium seu temperamentum qualitatum, per attractionem mutuam, ut supra, elementorum heterogeneorum, ex quibus mixtum coaluit, inductum, rumpunt, ita ut mixtum dissolvatur, et elementa virtute in eo contenta, vel assumantur, fortiori attractione extrinseca alterius elementi vel mixti, in novum mixtum, vel ex diversis moleculis separatis prioris mixti sese resolventis cum suî similibus coëant, ad moleculas proprias corporis elementaris constituendas absque mixtione. Ubi nota modernam scientiam multis factis probare vires in mixtione amissas in dissolutione restitui, et vicissim ex dissolutione restitutas in nova mixtione amitti. Sed de his pro nostro intento satis, quæ tamen intimius scrutanda, præ oculis habita hypothesi attractionis tamquam sola energia originaria, philosophis ac scientiæ chemicæ cultoribus multum commendamus (1).

Unum addimus, quod forte in præcedentibus obscurum mansit; videlicet, quomodo fiat ut nulla sit mixtio alicujus elementi cum ethere, qui, cum sit maxime subtilis, inter diversa corpora, interque diversas unius corporis moleculas intercedit. Ratio autem est, quia cum ether, ut vidimus, sit maxime divisibilis, omnes aliæ substantiæ corporeæ jam ad ultimum divisibilitatis limitem reducuntur, antequam ether; adeoque ether, utpote maxime divisibilis, est maxime incorruptibilis et non ingreditur aliquod mixtum, sed est principium quoddam energiæ, simulque vehiculum motus seu

(1) Utiliter leges apud *Revue Néo-Scolastique*, mai et novembre 1898, *La nature du composé chimique*, par D. Nys; quæ post conscriptos præcedentes articulos, præsentem vero scribendo, obvia habuimus et cum jucunditate ac fructu legimus.

[illegible]

[illegible] oculis habita doctrina scholastica mostraque universum proposita hypothesi, ad trutinam revocare satagant. Dubium nobis dubium est quin nova et utrique scientiæ, et philosophiæ, et theologiæ non [illegible] ad majorem omnipotentis Dei gloriam.

Quod spectat [illegible] hæc non numerari differre posse possumus, a nostra hypothesi [illegible] quod [illegible] sed ex [illegible] [illegible] quæ [illegible] [illegible] [illegible]

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Martii.

—

I

Explica Ps. XLIV, 9, 10: Mirrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

II

Quæritur utrum in Deo sint plures perfectiones.

III

Demonstra omnem legem inducere obligationem conscientiæ.

IV

Quomodo theoretice et in dubio practice distinguitur desperatio a diffidentia?

V

Indica remedia a confessario proponenda et a peccatore adhibenda contra desperationem?

VI

Determina generatim jura parochi circa oblationes liberas fidelium.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. Breviter explica Ps. IV. *Cum invocarem.*

R. Psalmista primo sermonem ad Deum dirigit: *Cum invocarem, exaudivit* (melius juxta textum hebr.: *cum invoco, exaudi*) *me Deus justitiæ meæ,* h. e. Deus, defensor justæ causæ meæ, olim jam te tutorem meum ostendisti nam *in tribulatione dilatasti mihi*, cum essem in angusto periculi deduxisti me in spatiosum securitatis (Ceulemans) (1) quapropter cum fiducia oro in præsenti tribulatione: *miserere mei et exaudi orationem meam.*

Deinde alloquitur adversarios suos: *filii hominum* (hebr. *filii viri* quod significat fortes, magnates) *usquequo gravi corde:* LXX, ex quorum translatione nostrum Psalterium immediate ortum est, legerunt *kebede leb lammah* loco *kebodi liklimmah* — *usquequo gloria mea erit in ignominiam* apud vos, *ut quid* cur *diligitis vanitatem et quæritis mendacium,* duæ expressiones idem significant: quare inanes conatus contra me molimini. Decipiuntur ergo adversarii et statim additur quomodo errorem suum cognoscere possint: *et scitote quia mirificavit Dominus sanctum suum,* inspicite quomodo Deus mira faciet erga me fidelem servum suum atque amicum *et exaudiet me cum clamavero ad eum.* Ad meliorem ergo frugem convertantur: *irascimini* (vox hebr. probabiliter significat *contremiscite, timete*) *et nolite peccare;* sequentia

---

(1) *Introd. et comment. in Psalmos.* Mechliniæ 1900.

ita reddi debent: *dicite in cordibus vestris* (1) *in lecto vestro et tacete*, vobiscum reputate, serio recogitate justam meam causam, nocturno tempore quod accommodum est rebus rite expendendis et abstinete ab impugnatione. Silentium non tantum est sermonis et vocis, sed etiam operis et motus. *Sacrificate sacrificium justitiæ et sperate in Domino,* offerte pro culpa vestra sacrificium justum cum recta animi dispositione, tunc poteritis in Domino confidere.

Tandem ad Deum iterum sermonem convertit: *Multi* ex amicis meis animum despondentes *dicunt: quis ostendit nobis bona*, quis dabit nobis salutem; ego autem confidenter rogo: *attolle* (ita sec. hebr.) *super nos lumen vultus tui*, quod designat non lumen rationis, ut multi scholastici dixerunt, sed benevolentiam tuam; *dedisti lætitiam in corde meo* (sequentia juxta hebr.) *præ* seu magis quam *tempore* [*quo*] *frumentum et vinum eorum multiplicata sunt* (2), majorem dedisti laetitiam quam tempore messis. *In pace in idipsum dormiam et requiescam,* in hebræo *simul* (3) *accumbam et dormiam,* non inquietas et insomnes noctes protraham, sed statim ac accumbam dormiam, *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me* quod non significat *tu solus Domine*, neque *in singulari* seu maxima *spe* sed *in securitate me*

(1) Probabile est genuinam versionem latinum habuisse: *dicite in cordibus;* ita enim legitur in vetustis eodd. Sangerm. Corb. et Carnut, ap. S. Cypr. (dom Sabatier, Bibliorum Sacrorum latinæ versiones antiquæ, Parisiis 1751, II); hanc vero lectionem postea corruptam esse in *quæ dicitis.*

(2) Olim legebatur in vers. lat. *a tempore:* ita in Ps. Sang. Veron. Rom. Mediol. Mozarab. Corb., Carnut. apud S. Aug., S. Hil., Cassiod. Apud LXX legitur απο καρπου, quia tamen vetus latina juxta LXX facta est, concludere possumus olim exstitisse lectionem απο καιρου licet hæc in nullo jam, quod sciam, codice reperiatur. *Et oleum* non legitur in hebr., facile additum est in gr. quia tria hæc: frumentum, vinum, oleum frequenter conjunguntur in Scriptura.

(3) *In id ipsum* serviliter vertit επι το αυτο (LXX) et semper in Psalmis significat *simul.*

*habitare fecisti etiamsi sim solitarius;* solitudo tolleret securitatem nisi Dominus defenderet.

A. D. B.

II

Q. *In quo consistit* sanctitas *Ecclesiæ?*

R. Sanctitas Ecclesiæ, in quantum est proprietas Ecclesiæ, ipsi, qua societas est, intrinsece inhærens, consistit in hoc quod 1°/ sociali suo influxu operose et active influit in sanctificationem membrorum; et quod 2°/ sub ejus influxu sanctificante multa membra reipsà sanctitate floreant et in omni gradu et conditione emineant. Sub 1°/ describitur sanctitas, uti aiunt *activa,* et sub 2°/, sanctitas *passiva.*

**Explicatur.**

A/ Socialis ille influxus in sanctificationem membrorum, quo Ecclesia sancta vocatur sanctitate *activa*, exercetur tum per *magisterium*, quo fideles docet sanctitatis præstantiam ac eminentem dignitatem, ejusque desiderium in cordibus excitat, atque viam ostendit quæ ducit ad sanctitatem; tum per *regimen*, quo leges condit quibus subditos suos practice et efficaciter ducit ad praxim virtutum et bonorum operum; ac tandem per *cultum* et *administrationem sacramentorum,* quibus abundanter gratias diffundit, ad exercitium virtutum necessarias, atque impedimenta removet ab acquirenda sanctitate retardantia (1).

B/ Ad sanctitatem, quæ vocatur *passiva*, non sufficit ut membra existant sancta, sed postulatur ut ad sanctitatem pervenerint *sub actione efficaciter sanctificante Ecclesiæ,* per integrum organismum socialem, sanctitatem operose promoventis.

---

(1) Notetur sanctitatem activam Ecclesiæ deduci, minus ex nuda et materiali possessione sacramentorum, quam ex modo quo illis constanter utitur Ecclesia in sanctificationem membrorum.

Nequaquam vero, ad hoc ut Ecclesia sanctitate membrorum sancta dicatur et sit, opus est quod *singuli* fideles sancti sint, nec etiam quod *major pars* membrorum sanctitate præstet; sed sufficit ut in Ecclesia apud *multos* floreat cultura virtutum et sanctitas *sub ejus influxu adepta*.

« Et recte quidem, ait Billot, *Tractatus de Ecclesia Christi*, tom. I, p. 183, ab illis vel paucioribus... denominatur societas, quia isti sunt pars potior et per se, in qua nimirum socialia principia ad plenum vim suam exerunt »; dum contrà mali ad Ecclesiam pertinent quasi per accidens, siquidem ideo sunt mali « quia in sua vivendi ratione sequuntur normam contrariam ei quam præscribit propria religio, nec utuntur mediis ab ea suppeditatis (1) ». Cf. Palmieri, *Tractat. de Rom. Pontifice*, in prolegomeno de Ecclesia, p. 274.

Quinimo non officit sanctitati alicujus societatis quod plures comparative in ejus gremio reperiantur mali, iique pejores, quam in alia communione religiosa. Et sane, quamvis professio sanctæ religionis sit de se frenum cohibens ne turpia quæque admittantur, potest accidere quod illam profitentes majora et fortiora habeant obstacula vincenda, obnoxii sint vehementioribus causis corruptionis et in majores inducantur tentationes: quod optime natum est fieri cum in illos præcipui conatus impietatis et portarum inferi noscantur convergere (2). Cf. Billot, op. cit., p. 185.

Porro requiritur vel saltem congruum est ut sanctitas

(1) Hac ratione, non obstante malitia multorum membrorum, Ecclesia vere dici potest non habere aut maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, quatenus nimirum « si considerantur personæ prouti ab Ecclesia in membra corporis Christi *efformantur*, et prouti ab Ecclesia *moventur*, nihil in ipsis est nisi sanctum ». De Brouwer, *Tractat. de Ecclesia*, n. 299.

(2) Frustra igitur opponuntur « argumenta allata ex statisticis; quibus gens confertur ad gentem et regio ad regionem, quoad decrementum populationis, numerum nativitatum illegitimarum, et præsertim quoad tranquillitatem politicam aut temporalem prosperitatem ». Billot, op. cit., p. 185.

omnes conditiones societatis pervadat, atque in omni gradu colatur etiam supremo et heroico, eo vel magis quod heroica sanctitas facilius omnium oculis apparet et splendescit, ac virtutem sanctificantem Ecclesiæ magis illustrat et manifestam facit.

**Nota.** Profectò Ecclesia sancta est ratione finis in quem est instituta, ratione Auctoris a quo est condita, ac etiam ratione charismatum seu miraculorum, quibus speciali Spiritus Sancti præsentia apparet nobilitata: atvero hæc potius extrinsece sese habent ad Ecclesiam, unde minus proprie ex illis exurgere dicitur sanctitas Ecclesiæ *tanquam intrinseca proprietas ipsius.*

A. D. S.

III

Q. *Da notionem voluntarii et involuntarii eamque explica.*

R. I. *Voluntarium* recte definiri potest: *id quod procedit a principio intrinseco ex cognitione finis.* Cfr. S. Thomas 1-2, q. 6, a. 1-2.

Dicitur 1/ *id:* sub quo vocabulo generali comprehenduntur tum *actus elicitus* voluntatis, tum *objectum* terminans illum actum; quod objectum est vel *actio* (voluntarium *positivum*), ejusve *omissio* (voluntarium *negativum*), (1) vel *effectus* ex actione aut omissione secutus.

2/ *Quod procedit a principio intrinseco:* de ratione scilicet voluntarii est quod principium ejus sit intra ipsum agens (S. Th. l. cit. art. 1 in corp. et ad 1m). Unde *violentum* non est voluntarium, cum procedat a principio extrinseco, uti exponit S. Th. eadem quæst.,

(1) Voluntarium positivum vocat Angelicus l. cit. art. 3 *directum,* negativum vero *indirectum:* « voluntarium dicitur non solum quod procedit a voluntate *directe,* sicut ab agente, sed etiam quod est ab ea *indirecte,* sicut a non agente, » videlicet ut ibidem notat S. Doctor et omnino addi debet, « cum potest et debet agere ». Adverte voluntarium negativum non esse idem ac non-voluntarium: illud enim est voluntarium cujus objectum est negatio actus, hoc vero negatio voluntarii, ut infra dicemus.

art. 5; ubi deinde ad 2m notat voluntarium posse aliquid dici dupliciter: « uno modo secundum actionem, puta cum aliquis vult aliquid agere; alio modo secundum passionem, scilicet cum aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati. » Attamen quod non procedit ab aliquo influxu voluntatis elicientis vel saltem imperantis dici nequit voluntarium sensu proprio, id est sensu *causali*, sed sensu improprio seu mere *objectivo*, quatenus est objectum in quod fertur voluntas et terminus extrinsece denominatus a volitione; et hoc potius dicitur *volitum* quam voluntarium: sic pluvia volita est ab agricola, non ipsi voluntaria, item actio ab alio posita, me approbante, non cooperante (1).

3, *ex cognitione finis*. Duplex, ut notat Angelicus in corpore art. 2, distingui debet finis cognitio, cui duplex etiam respondet appetitus: est *intellectualis* cognitio finis, qua « non solum apprehenditur res quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum » seu proportio mediorum ad finem; « et talis cognitio finis competit soli rationali naturæ, » cui cognitioni respondet *appetitus rationalis* seu voluntas. Est et alia cognitio « quæ in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem; et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus..... » et vocatur *sensitiva*, cui respondet *appetitus sensitivus*. Jamvero id quod procedit ab appetitu sensitivo cum sensili cognitione finis nonnisi improprie dicitur voluntarium, et melius vocatur *spontaneum;* sed voluntarium sensu proprio est id quod procedit ab appetitu rationali cum intellectuali cognitione finis et est eo perfectius volun-

(1) Billuart, *De actibus humanis*, diss. I, art. 1; Suarez, *De voluntario et involuntario*, Disp. 1, Sect. 1, n. 2. — Observa tamen quod volitum potest esse peccatum, cum omnis volitio sit voluntaria.

tarium quo perfectior est illa prævia cognitio. Hac significatione propria utuntur theologi morales, quoties sine addito voluntarium nominant. Unde « voluntaria neque sunt neque dicuntur ea, quæ fiunt per somnum [nisi forte sint voluntaria in causa] vel ab amentibus vel ab infantibus, cum judicium rationis aut impeditum sit aut nondum ejus potestas acquisita (1). » Satis patet requiri cognitionem *intrinsecam* ipsi agenti, a quo actus procedit : etenim operationes etiam mere naturales reguntur per aliquam finis cognitionem, sed existentem in Deo conditore naturæ ipsius ; nec minus manifestum est cognitionem finis intelligi de fine movente et alliciente in ratione boni, cum sub hac tantum ratione sit objectum voluntatis (2).

II. *Involuntarii notio.* Ex statim dictis habemus duo concurrere ad rationem voluntarii : nimirum ut procedat a principio intrinseco, np. a voluntate, sive immediate (voluntarium elicitum), sive mediate (imperatum), quod deinde principium sit motum ex prævia intellectuali cognitione finis, ipsi agenti intrinseca. Unde « involuntarium dicitur quod non est vel a principio intrinseco vel cum cognitione finis (3). » Porro duplex distingui potest involuntarium : unum ad quod voluntas se habet negative, ita ut voluntas nullo modo interveniat, et est involuntarium sensu latiori, et melius vocatur *non-voluntarium ;* alterum erga quod voluntas contrarie se habet, seu quod actu positivo aversatur et est *involuntarium* sensu proprio (4). Apposite S. Thomas *de malo* q. 3 a. 8 : « non-voluntarium dicitur per solam remotionem actus voluntatis, sed involuntarium dicitur per hoc, quod voluntas contrarietur ei quod fit. »

H. M.

(1) Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale,* T. I, p. 13.

(2) Billuart, *l. cit.* — Cfr. Ferretti. *Institutiones philosophiæ moralis,* T. I (Romæ, 1887), p. 109 sqq., Bouquillon, *Theol. mor. fundam.* ed. 1ª, p. 36 sqq.

(3) Billuart, *l. cit.*, art. 5.

(4) Bouquillon, *Theologia moralis fundam.* ed. 1ª, n. 36, ed. 2ª, n. 324.

## IV

Q. *An et quare conveniunt voluntarium et liberum in re morali?*

R. *Voluntarium et liberum formali conceptu differunt, cum notio liberi aliquid addat supra notionem voluntarii; sæpe tamen adhibetur voluntarium pro libero, cum in præsenti vita, ut plurimum, actus voluntarius sit simul liber.*

**Explicatur.** Ex responso præcedenti colligitur omne voluntarium esse liberum a coactione seu a necessitate ab extrinseco illata; nunc jam inquirimus utrum omne voluntarium sit etiam liberum a necessitate intrinseca seu a determinatione ad unum opposita illi activæ indifferentiæ, quæ est essentialis nota libertatis humanæ in præsenti vita, id est libertatis electionis. Ut notionem traditam voluntarii possimus conferre cum notione liberi, hanc breviter adumbramus ad mentem S. Thomæ, considerantes, ut fieri solet in theologia morali, solam libertatem electionis (1). *Liberum* scilicet definiri potest *id quod procedit à voluntate elective agente*. Per primas particulas definitionis indicatur omne liberum esse voluntarium; unde prior pars definitionis explicatur in responso præcedenti. Additur: *elective agente*. Apposite S. Thomas 1, q. 83, a. 3: « Dicendum quod proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere, et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. » Ex hoc apparet discrimen inter voluntarium et liberum: liberum præsupponit voluntarium eique superaddit aliquid, activam nempe voluntatis indifferentiam in agendo, qua indifferentia si voluntas careat relate ad actum determinatum, hic actus quidem erit voluntarius, id est procedens vitaliter ab appetitu rationali, sed non erit liber, verum

(1) Notionem libertatis compendiose exhibitam invenies apud Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *Collat. Brug.* T. V, p. 585 sqq.

necessarius. Hinc omne liberum est voluntarium sed non omne voluntarium est liberum, non quod liberum sit aliquod elementum reale distinctum a voluntario, sed quod addat essentiæ voluntarii relationem dependentiæ a potentia eliciente actum et simul habente potestatem non eliciendi eumdem actum, (1) aliis verbis, actum libere fieri dicit actum procedere a voluntate, quæ in signo priori ad actum est indifferens ad agendum, a qua potentia libera ipse actus denominationem liberi accipit. Discrimen illud manifeste apparet in prima operatione appetitiva quæ est amor, seu motus in bonum secundum se, absolute et qua tale, quæ operatio vitalis dicitur proprio sensu amor naturalis, prout contradistinguitur ab electivo et libero (2); similiter in actu amoris quo Beatus amat Bonum infinitum intuitive visum, qui amor est perfecte voluntarius, cum procedat a voluntate cum perfectissima cognitione, et tamen non est liber libertate electionis (3).

Ex dictis satis constat voluntarium et liberum non esse formaliter idem; attamen in communi loquendi scribendive modo frequenter voluntarium adhibetur pro libero, ita ut nomine actus voluntarii sæpe intelligatur actus voluntarius simul et liber. Ratio est quia actus procedentes a voluntate hominis viatoris, qui agit sui compos, circa media in finem sunt voluntarii simul et liberi; et idcirco, cum scientia moralis versetur circa illos ipsos actus ad finem, non est mirum in re morali nomen voluntarii supponi pro libero et non voluntarii pro non libero (4).

H. M.

---

(1) Lehmkuhl, *Theologia moralis,* T. I, n. 7 (ed. 9ª, p. 16). Cfr. Ferretti, *l. cit.,* p. 132 sqq.

(2) Cfr. Ill^m ac Rev^m Waffelaert, *Collat. Brug.,* T. V, p. 371 sqq.

(3) Hoc exemplum adduci potest in quæstione satis celebri *utrum voluntarium perfectum sit idem quod liberum,* contra Vasquez, Lessium aliosque negantes voluntarium necessarium posse esse perfectum. Lege Billuart, *De actibus humanis,* Diss. 1, art. 2; cfr. Frins, *De actibus humanis,* 1897, p. 95 sqq.

(4) Ballerini-Palmieri. *Opus theol. morale,* T. I, p. 12-13.

V

Q. *An et quomodo peccat qui ex mera curiositate ritibus cultûs acatholici vel concioni hæreticorum interest? Adde rationem.*

R. *Prænota:* Ut ex ipso quæstionis tenore satis elucet, supponimus agi de *assistentia mere materiali et passiva* una alterave vice habita, sine ullo reverentiæ signo et absque ulla communicatione formali in sacris: hujusmodi enim formalis cooperatio falsæ religioni est semper intrinsece mala et graviter prohibita (1). Hoc prænotato, quæstionem hanc controversam ita breviter solvimus, solutionis rationes in subjuncta explicatione adducturi:

**Solutio.** *Secluso casu legis ecclesiasticæ prohibentis, qui ritibus cultûs acatholici vel concioni hæreticorum ex mera curiositate interest, per se ad summum veniale tantùm committit peccatum contra virtutem studiositatis, at per accidens committere potest et sæpe committet peccatum (quod practice et ordinarie erit grave) contra virtutem fidei, aliquando ratione cooperationis cultui vetito præstitæ, regulariter ratione periculi perversionis in fide cui se exponit, atque ratione scandali.*

**Explicatio.** 1°/ Dicitur: *secluso casu legis ecclesiasticæ prohibentis.* Etenim si positiva lex ecclesiastica sive generalis sive particularis hujusmodi assistentiam prohibeat, jam contrà obedientiam auctoritati ecclesiasticæ debitam peccat qui ritui acatholico vel hæreticæ concioni interest, etiam absque ulla illicita cooperatione materiali omnique seposito perversionis periculo atque scandalo. Talis quidem prohibitio lata fuit in *Instructione* quam, approbante Leone XIII, Em. Cardinalis Vicarius

(1) Ità evidenter non licet sumere cœnam hæreticam; matrimonium celebrare coram ministro hæretico; fungi officio patrini in baptismo hæreticorum; in eorum conventibus psalmos cum eis cantare et alia hujusmodi.

Urbis 12ª Julii 1878 *pro parochis et confessariis Romæ* concinnavit, et in qua legitur. « 5. Peccant vero graviter qui vel sola curiositate ducti scienter ingrediuntur fana seu aulas hæreticorum dum hi conciones vel collationes habent, quique illas audiunt, similiter qui damnatis eorum sacris materialiter tantum adstant eisque communicant, et vel cantu aut musicis instrumentis eisdem sacris cooperantur, etsi id fiat solius lucri aviditate » (1). Auctores quidam contenderunt omnia omnino statuta in hac *Instructione* inserta ubique gentium eodem modo obligare (2). Communis tamen sententia tenet quædam (et in specie statutum 5ᵐ suprà citatum) pro loci et temporis adjunctis fuisse prohibita; merito observant magnos variosque quos tunc temporis Romæ conatus adhibebant Protestantes ad errores suos spargendos, severioribus quibusdam prohibitionibus particularibus ansam præbuisse, ut cæteroquin integrum *Instructionis* præambulum suadere videtur (3). Huic sententiæ benigniori favent *Acta S. Sedis* (4), scriptum periodicum

(1) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, T. XX, p. 407. — *Acta S. Sedis*, T. XI, p. 168 ss.

(2) *Nouv. Rev. Théol*, T. XV, p. 595 s. T. XX, p. 401 ss. p. 538 ss. — Theol. Mechl. *Tract. de Virt.* 1896, p. 95 s.

(3) Ità attendantur sequentia verba: « *Ibi (Romani) tamen et quotquot undique Romam petunt,* in discrimine versantur amittendæ fidei.... nisi adversus hæreticorum fraudes et deceptiones præmuniantur. Deplorandum quidem est, *Romanos* præmuniri debere adversus hæresim protectam et patrocinatam in eorumdem civitatem, caput centrumque Jesu Christi Ecclesiæ. Quoniam vero prospicere cogimur *sanctam civitatem* profanationi subjici, et hæresim caput attollere *in conspectu ipsius Magistri Fidei infallibilis:* atque ad rebellionem lacessiri in Romanam Ecclesiam *populum Romanum*, cujus maximum ipsa efficit decus.... oportere duxi me nonnullas constituere normas, per quas, cum Parochorum et Confessorum auxilio, fideles propria edoceantur onera, adversus hæreticorum insidias, blanditiis cumulatas ». *Acta S. Sedis*, T. XI, p. 170. — Ut merito notavit circulus quidam, legem hanc esse particularem suadent tùm lingua vernacula in qua Instructio concinnata fuit, tùm ejus divulgatio ad parochos Urbis restricta. Neque oppositum satis evincit argumentum quod apud *Nouv. Rev. Théol.*, T. XX, p. 406 ss. e statutis diœceseos Albanensis (1887) deducitur.

(4) T. XI, p. 172, n. 1 et p. 174 n. 1.

Linzer Quartalschrift (1), Lehmkuhl (2), Sabetti (3), Génicot (4).

Nec ulla alia lex positiva generalis adducitur quæ prohibeat quominus catholicus ex mera curiositate ritui vel concioni hæreticorum intersit. Præterea, ut testatur Lehmkuhl (l. c.), in Germania aliisve regionibus acatholicis vel mixtis communis sensus est, nisi adjuncta periculi, scandali etc. adsint, illam hæretici templi visitationem non esse graviter illicitam.

2° Dicitur: *per se ad summum veniale tantum peccatum committit contra virtutem studiositatis*, inordinato scil. cognoscendi desiderio (5). Supponimus enim assistentiam nulla omnino rationabili causa cohonestari seu ex *mera* curiositate fieri. Nam si levis quædam ratio v. g. instructionis, studiorum etc. (6) adsit, assistentia jam nulla modo peccaminosa foret, ut monet Lugo (7). Et quia levis quædam causa ab hac curiositate excusat,

---

(1) 1882 p. 143 ubi eodem sensu sumitur responsum S. Officii 14 Januarii 1818 quasi S. Officium hoc responsum extenderet ad tempus quo concio habetur aut ritus hæreticus celebratur. « An liceat catholicis adire templa hæreticorum? R. Licere si adeant meræ curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsæ religionis; quandoquidem sicut profana ædificia, sic et templa hæreticorum adire, est actus per se indifferens, qui non nisi a pravo fine vel circumstantiis efficitur malus etc. » (*Collectanea*, n° 1833). Ballerini-Palmieri (*Opus theol. mor.*, T. II, (1890), p. 41) pariter censet Congreg. S. Off. loqui de ingressu in templum cum sacra peraguntur; oppositum opinatur Lehmkuhl (Tom. I, (ed. IX), p. 390, n. 1. Rem ut dubiam habemus; nullo tamen modo responsum hoc sententiæ benigniori contradicit.

(2) *Theol. Mor.* Tom. I, (ed. IX), p. 187.

(3) Apud Genicot, *Theol. mor. Instit.*, Lovanii 1896, T. I, p. 187.

(4) *l. c.*

(5) Hæc virtus studiositatis est species modestiæ, modestia autem est virtus temperantiæ stricte dictæ annexa seu ejus pars potentialis. Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp.*, Brugis 1889, p. 334 ss.

(6) A fortiori si quis doctus eo tendat animo ut errores postea confutet, vel si quis ritui puta funeri vel matrimonio assistat ad civile obsequium præstandum. Cfr. *Collat. Brug.*, T. II, p. 106 ss.

(7) *De Virt. fid. div.* Disp. XIV, s. V § 6.

ideo auctores plures simpliciter resolvunt non esse per se illicitam talem assistentiam (1). Idcirco etiam destinatò scripsimus eum *ad summum* veniale peccatum committere.

*Ratio* autem cur assistentia mere materialis ritui acatholico vel concioni hæreticæ, per se nullum involvat peccatum contra fidem est quia ille actus de se est indifferens; adeoque nonnisi quà participatio in divinis erit illicitus, quando nempe speciem cooperationis falso cultui præ se fert et fidei negationem continet (2); vel etiam absque cooperatione in divinis, propter scandalum, perversionis periculum aliosque malos effectus. Prædicta autem cooperatio formalis ex hypothesi deficit, materialis solummodo per accidens aderit.

3°/ Itaque *per accidens* ratione circumstantiarum personarum, loci, temporis etc. taliter assistens *committere potest et sæpe committet peccatum commissionis contra virtutem fidei, aliquando (licet raro) ratione cooperationis cultui vetito præstitæ*, quando nempe ex peculiaribus adjunctis assistentia apparet actus protestativus falsæ religionis, et sic peccat contra præceptum externæ professionis fidei. *Regulariter* peccatum contra virtutem fidei in casu oritur ex duplici alio capite: nempe

a/ *ex periculo perversionis in fide cui se exponit* temere assistens, et sic peccat contra præceptum fidei interne custodiendæ: etenim ex obligatione fidem interne custodiendi, ipso jure naturæ sequitur obligatio vitandi periculum perversionis in fide;

b/ ex peccato *scandali* quod pro aliis catholicis adesse potest. Scandalum quidem in casu merito supponitur esse *indirectum* (3); at vero cùm agatur de violanda

(1) Ità Ballerini-Palmieri, *o. c.*, p. 41. — Aertnys, *Theol. Mor.* Tornaci 1890. T. I, p. 113.

(2) Cfr Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1878, n. 272. — Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annotat. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 272 s.

(3) Cfr. Bouquillon et Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, 534, 541.

virtute fidei quæ etiam obligat ad impediendum peccatum (si possibile sit), et a fortiori ad non dandam occasionem peccato, speciei contra charitatem per accidens additur species contra obligationem indirectam virtutis fidei (1).

Illud peccatum quod per accidens committi potest erit ex genere suo grave; et *practice erit ordinarie grave*, attenta nempe gravitate materiæ (sc. fidei) de qua agitur.

Præterea, licet talis assistentia ex mera curiositate et absque ulla causa excusante habita, possit contingere absque peccato contra fidem, *sæpe* tamen practice speciem contra fidem contrahet, quia raro in praxi omnis cooperatio vel cooperationis periculum, ac præsertim periculum perversionis ac scandalum aberunt.

Inde optime intelliguntur varia responsa romana quæ pronuntiant Catholicis *regulariter* non licere hæreticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis, matrimoniis adesse (2).

Præcedens solutio æque valet de assistentia acatholico ritui ac de assistentia hæreticæ concioni; concio tamen, cæteris paribus, majus perversionis ac scandali periculum præ se fert, præsertim autem pro personis fidei scientiam parum edoctis (3).

A. C.

VI

Q. Quænam missæ solemnes vel cantatæ *de Requie*, præter exequialem, celebrari possunt diebus quibus officium est ritus duplicis?

R. Notandum, quoad privilegium celebrandi missam

(1) Cfr. opusculum Ill^i ac Reverendi Waffelaert, *Etude sur la Coopération et sur l'espèce morale du scandale*, Bruges, 1883.

(2) Ità resp. S. Off. 10 Maii 1770.

(3) Per se licitum esse ex curiositate adire templa hæreticorum ad eorum structuram, ornatum etc. inspiciendum eo tempore quo ritus aut concio non celebrantur, ex dictis satis elucet, et expresse declaratum fuit a S. Officio (v. notam 1 p. 87).

de Requie in duplice, perinde esse quod sit solemnis vel simpliciter cantata; non requiritur scilicet assistentia Diaconi et Subdiaconi, sufficit ut cum cantu celebretur. His prænotatis, missa *de Requie* solemnis vel cantata, præter exequialem de qua jam dictum est (1), celebrari permittitur, non obstante occurrente officio duplici, in sequentibus casibus:

1° In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum. Die enim 2 Novembris qua celebratur hæc Commemoratio, vel 3 Novembris in quam aliquando transfertur (2), juxta decretum generale S. C. R. 9 Julii 1895 officium fieri potest de die octava *(ritus duplicis)* aut de festo duplici majori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicuti de alio festo translato cui in calendario locus pro eo anno non suppetat » (3), sed missæ *omnes* esse debent de Requie, « sola, ubi dicenda est, conventuali excepta » et excepta etiam missa votiva de SS. Sacramento pro Oratione 40 horarum vel Adoratione perpetua (4). Ergo illa die cantantur (imo leguntur) missæ *de Requie*, quamvis officium fiat duplex.

2° Missa solemnis vel cantata celebrari potest « pro prima tantum vice post acceptum a locis dissitis nuntium obitus alicujus, die quæ prima occurrat, non impedita a festo duplici primæ et secundæ classis vel a festo de præcepto » aut Dominica (5). Hoc juxta decretum 2 Decembris 1891, n° 3755, ad 3. In casu ergo, missa de Requie celebrari potest in duplici minori, imo majori

---

(1) *Collat. Brugen.* 1901, p. 665.

(2) « Si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, vel alicubi festum aliquod cum feriatione celebrandum, aut duplex primæ classis, quamvis sine feriatione ». *Decr. cit.*

(3) Occurrente festo duplici primæ classis transfertur Commemoratio Defunctorum; occurrente autem festo secundæ classis hoc transfertur ut celebretur Commemoratio (*Decr. cit.* ad 2 et 3).

(4) Decr. cit. ad 4. Vide *Collat. Brugen.* 1901, p. 624.

(5) Impeditur etiam publice exposito SS. Sacramento. Idem dicendum de aliis missis de Requie extra diem Commemorationis omnium Fidelium; cfr. 1901, p. 625.

non festivo, dummodo non occurrat in die Dominica et cantetur *prima die libera* a duplici 1$^{mæ}$ vel 2$^{dæ}$ classis et a festo de præcepto aut Dominica (1).

3° Anniversarium stricte sumptum seu missa cum cantu pro defunctis, sive fundata pro die anniversaria obitus vel depositionis aut pro alia die determinata, sive non fundata sed celebrata ex petitione viventium, recurrente ipso die obitus vel depositionis, permittitur in duplici minori et etiam majori (a fortiori in semiduplici et diebus inferioris ritus), non tamen in duplicibus primæ et secundæ classis, in Dominicis et festis de præcepto, infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et SS$^{mi}$ Corporis Christi, necnon feria IV Cinerum, majori Hebdomada, in vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiæ, in respectivis ecclesiis tantum. Et « eadem anniversaria, si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri possunt, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari : dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur ». (Decr. 2 dec. 1891, n° 3753 ad 1 et 2). Ergo etiam in diem duplicis minoris vel majoris transferri vel anticipari possunt sub datis exceptionibus.

4° Missa cantata in die tertia, septima vel trigesima ab obitu (juxta idem decretum ad 3) etiam permittitur in duplici minori vel majori sub iisdem exceptionibus quæ ponuntur pro anniversario stricte dicto (supra 3°), eodemque modo, si liturgice impeditur, anticipari vel transferri potest, in primam diem etiam duplicis minoris vel majoris ab eodem impedimento liberam. Et notandum, sicuti diem anniversarium pro defunctis, ita quoque « dies 3, 7 et 30, tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse » (idem decr. ad 4); et computari « potius a die depositionis seu sepulturæ, qualiter indicare videtur ipsum Missale Romanum per

(1) Cfr. *Ephemer. liturg.* 1900, p. 601.

subscriptionem » in die tertio, septimo et trigesimo *Depositionis defuncti* », ne scilicet dilata, more patrio, cadaveris inhumatione dies tertius occurrens in die depositionis, per celebrationem missæ exequialis supprimatur » (1). Insuper ad quæstionem utrum in determinando die 3, 7 et 30 ab obitu vel depositione, dies mortis vel depositionis debeat includi vel excludi, ex. gr., si depositio fiat die prima mensis et velit determinari dies tertia a die depositionis, an ea sit tertius vel quartus ejus mensis, S. R. Congregatio 23 Februarii 1884 ad X respondit « utrumque servari posse juxta Ecclesiæ consuetudinem ». (2)

5° Anniversaria late dicta « quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent », die aliqua fixa vel mobili, quamvis non sit anniversaria ab obitu vel depositione alicujus e confratribus, decreto eodem jam citato 2 dec. 1891 ad V, « de speciali gratia permittitur ut in duplicibus *minoribus* celebrari possint », non autem in duplicibus majoribus, vel primæ et secundæ classis et exceptis etiam illis diebus quibus neque anniversarium stricte sumptum permissum est. (3)

6° Eadem speciali gratia permittitur, ut in duplicibus *minoribus*, sub eadem limitatione, celebrari quoque possint anniversaria illa, « quamvis etiam a die obitus non sint », « quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent ». Infra ergo prædictam octavam missæ *de Requie* cantatæ quæ a privatis personis requiruntur, adnumerantur et æquiparantur anniversariis late sumptis et quotidie celebrari

---

(1) Ill. Vanderstappen, *de rubricis Missalis Roman.* q. 347.

(2) Hoc dubium et responsum X decreti *in Neapolitana* 23 feb. 1884 e nova Collectione quidem expuncta sunt, sed, cum nulla dispositio illi decisioni opposita in posterioribus decretis habeatur, decisio lata servari potest.

(3) Cfr. *Collat. Brugen.* 1899, p. 314.

possunt, excepta Dominica et exceptis festis quæ sunt ritus duplicis majoris (ut 9 Nov. Dedic. Basilicæ SS. Salvatoris) vel 1$^{mæ}$ aut 2$^{æ}$ classis.

7° Missa solemnis vel cantata permittitur aliquando in duplici vi indulti specialis concessi a S. Sede vel S. Congregatione Rituum. Ita pro Diœcesi Brugensi, ut servari possit consuetudo, qua fit ut in ecclesiis parochialibus, feria secunda intra Octavam Patroni et feria pariter secunda post festum Dedicationis, solemnes exequiæ celebrentur pro animabus omnium Fidelium Defunctorum cujusvis parochiæ, concessum est (1) privilegium ea occasione missam *de Requie* cum cantu celebrandi, occurrente licet officio ritus duplicis, ab hac tamen concessione exclusis duplicis primæ et secundæ classis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis. Hæc missa juxta recentius decretum 2 dec. 1891 uti anniversarium late dictum considerari posset (2) et in duplici minori celebrari, juxta indultum autem etiam in duplici majori permittitur. Item pro Diœcesi Brugensi, ut in ecclesiis parochialibus facilius impleantur onera, tam fixa, quam adventitia missarum *de Requie* cum cantu celebrandarum, concessum fuit indulto 27 Junii 1867, ut biduo in qualibet hebdomada locum habeant missæ *de Requie* semper cum cantu, attamen exceptis ab hac concessione duplicibus primæ et secundæ classis, festis de præcepto servandis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. Duobus ergo diversis diebus cujuscumque hebdomadæ licet in ecclesiis parochialibus cantare missas etiam plures *de Requie* in duplici minori vel etiam majori, exceptis tamen illis diebus in quibus anniversaria stricte dicta prohibentur (supra 3°). Et hoc privilegio uti licet in hebdomadis in quibus occurrunt officia semiduplicia vel inferioris ritus (3).

H. V. D. W.

---

(1) Decr. 29 Nov. 1855.
(2) Cfr. *Collat. Brug.* 1898, p. 594.
(3) S. R. C. 20 Dec. 1867, *in Brugen.*

# Dissertatio.

## De confessione communioni præmittenda.

Notissimum est et ab omnibus admissum quod « nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modò non desit illis copia confessarii », simul urgente necessitate communicandi vel celebrandi; quo casu requiritur et sufficit elicere actum contritionis perfectæ. Conc. Trid., Sess. XIII, cap. VII.

Quæ confessio, licet suadenda, non est tamen imponenda peccatori ante suscipienda reliqua sacramenta vivorum, pro quibus satis est ut, etiam extra necessitatis casum, per contritionem perfectam justificationem consequatur.

Porro controvertitur inter Auctores utrum confiteri teneatur communicaturus 1° si recordatur peccati mortalis in confessione bona fide omissi; 2° si dubitat utrum peccatum mortale commiserit necne; ac 3° si dubitat utrum post peccatum certò admissum confessionem rite instituerit.

**Primam quæstionem** plerique olim Doctores solvebant in partem affirmativam, seposito utique necessitatis casu, adeo ut De Lugo, *De Sacr. Euchar.*, Disp. XIV, n. 126, testetur se nullum invenisse auctorem qui contrarium docuerit (1).

(1) Cf. Auctores citatos apud S. Alph., l. VI, n. 257, inter quos Bonacina, *De Euchar.*, Disp. IV, Qu. IV, P. I, n. 17; Suarez, *De Euchar.*, Disp. LXVI, sect. IV, § *sed hujus occasione;* Layman, *Theol. mor.*, l. V, tract. IV, cap. IV, n. 5; Salmant., *De Euchar.*, c. VII, Punct. III, n. 30; quibus consentit Billuart, in III Partem, Dissert. VI, art. IV.

Recentiores vero communiter ab omni obligatione confessionem communioni præmittendi absolvunt hujusmodi communicantes, quod judicio S. Alph., VI, n. 257, videtur rationi omnino consentaneum.

Et revera peccatum inculpabiliter in confessione omissum, utpote indirecte remissum et quoad culpam deletum, nullo jam nomine gravat conscientiam pœnitentis, qui proinde eo ipso non subest præcepto Tridentino, solos afficienti illos « quos conscientia peccati mortalis gravat ». *Conc. Trid.*, sessio XIII, can. 11.

Porro praxis fidelium, qua maxime nituntur contradicentes, si est admittenda, « non est habenda, uti monet S. Alph., l. VI, n. 257, ut regula certa obligationis sed potius ut pius et laudabilis usus ».

Sufficit igitur ut hujusmodi peccatum in sequenti confessione clavibus subjiciatur, et nihil impedit quominus hæc confessio post alteram vel tertiam communionem differatur.

Evidenter non tenetur peccati mortalis in confessione oblitus ad eliciendum contritionis perfectæ actum, casu quo a confessione communioni præmittenda impeditur, uti fatentur ipsi Auctores modò nobis oppositi, et in specie De Lugo, l. c., n. 121.

**Secunda quæstio** inhæsitanter est in eumdem sensum solvenda, ita ut dubitanti de peccato commisso nulla imponenda sit obligatio confessionem instituendi in ordine ad SS. Eucharistiæ susceptionem.

Posita enim probabilitate de non admisso peccato non potest hujusmodi fidelis haberi tanquam peccati conscius, cum scientia rei non consistat cum probabilitate rem non esse.

Jamvero, uti vidimus, lex Tridentina solos attingit peccati mortalis *conscios* seu peccati mortalis conscientia gravatos, scientes scilicet se in peccato lethali versari; ac proinde qui probabiliter non peccavit, ne materialiter quidem legi confessionis est obnoxius et deficit obligatio etiam *objectiva*.

Quodsi prælata lex confessionis, saltem qua divina est, dicatur omnes amplecti culpæ lethalis quomodocumque [illegible], ab ea observanda excusatur dictus pœnitens, vi principiorum probabilismi, cum ejus reatus, stante probabilitate circa factum commissionis, eatenus non sit certus.

Tertiæ quæstioni applicatur solutio modò proposita nec ad prævie confitendum peccatum in confessione probabiliter expositum ullatenus tenetur communicans.

Ratio est eadem, quia nempe probabilitas de confessione instituta excludit conscientiam peccati.

Quibus attentis apparet frustra opponi a S. Alph., l. VI. n. [illegible], et *Hom. Apost.*, Tract. XIV. n. 34, et ab aliis post ipsum, principium possessionis in favorem præcepti prohibentis a communione illum qui certò commisit peccatum adeoque conscius existit peccati, quatenus præceptum eum urget donec certus sit se per confessionem probatum fuisse: certum enim, aiunt, peccatum certam exigit confessionem qua deleatur. Et profecto verum est certam requiri confessionem quousque conscientia perseverat peccati: atvero peccatum in casu certum quidem erat seu conscientia erat peccati antecedenter ad probabilitatem de confessione instituta, nullatenus autem consequenter ad eam.

Attamen provide monent Auctores ordinarie *suadendum* esse, præterquam scrupulosis, confessionem peccati, sive dubie contracti sive dubie clavibus subjecti, cum id passim prosit ad conscientiæ tranquillitatem.

*
* *

Hac autem occasione opportune tractari potest quæstio, apud Theologos non sufficienter forsan agitata, utrum nimirum in casu peccati mortalis dubie commissi vel dubie accusati, seposita obligatione illud confitendi, non sit asserenda necessitas eliciendi actum contritionis ante accessum ad SS. Eucharistiæ sacramentum.

Ratio affirmandi est in hoc quod alias dubie versans

in peccato mortali periculo sese exponat suscipiendo sacramentum *infructuosè*, ac adeo irreverentiam irrogandi in SS. Sacramentum; non minor enim videtur generatim adesse irreverentia in infructuosa susceptione sacramenti quam in invalida ejusdem administratione, imo potius major videri posset, cum prior irreverentia afficiat sacramentum objective existens, dum contrà invalidè confectum nunquam exstiterit.

Porro ex virtute religionis non licet exponere sacramentum, et signanter sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, *periculo* irreverentiæ, ad quod proinde periculum vitandum tutior est sequenda via (1).

Quo pacto qui probabiliter reus est peccati mortalis deberet, antequam communicet, de illo peccato, in quantum ipsi est obnoxius, saltem contritionis actum habere, ut obicem, si adsit, ad fructum, quo securius posset, auferat.

Neque opponatur deesse invocatum periculum infructuositatis, ac inde exurgentis irreverentiæ, cum sacramenta vivorum, et in specie SS. Eucharistia, per accidens infundant gratiam *primam* in illos qui bona fide in peccato versantur, quales sunt illi qui probabiliter reputant se esse in statu gratiæ. Hæc namque sententia, licet in dies communior, non excedit, si Extremam Unctionem excipias, limites probabilitatis, ac proinde nequit tollere periculum ne sacramentum in casu suo effectu frustretur.

Theoretice igitur loquendo censemus communicantem, gravis peccati probabiliter reum (2), si non conti-

(1) Ex omissione confessionis, neutiquam in discrimen vocatur valor vel fructus sacramenti, sed ad summum, uti vidimus, observatio legis, adeo ut nonnisi de sola honestate vel inhonestate actionis agi queat; unde ex hoc titulo nihil officit transitui probabilitatis speculativæ ad practicam, cui transitui hic obstat altius principium religionis, quo prohibemur non modò irreverenter tractare sacramenta, sed etiam periculo nos exponere illa irreverenter habendi.

(2) Supponitur dubium perseverare post inquisitionem factam; nam plerumque exortum dubium potest solvi et morali certitudini locum

tetur, ad actum contritionis teneri, ne infructuose, ac eatenus irreverenter, sacramentum suscipiat.

Attamen *in praxi* sufficit *serium ad id adhibere conamen*, nec oportet ut ad certitudinem de contritione perfectè habita deveniat. Ratio est quia secus continuis perplexitatibus et anxietatibus præberetur ansa, cum difficulter quis certus existat de contritionis elicitæ perfectione : cui incommodo, cum sacramenta sint propter homines, cedit periculum irreverentiæ irrogandæ ex infructuosa forsan susceptione, quemadmodum periculum invalidè conferendi sacramentum cedit necessitati spirituali fidelium.

Quæ conclusio plane convenit cum doctrina a Lehmk., *Theol. Mor.*, II, n. 150, absque argumentis, proposita; quo sensu etiam intelligi potest Sporer, *Theol. Mor.*, Tom. I, Tract. I *De Conscientia*, cap. I, n. 57, ubi dicit virtutem Religionis de servanda reverentia sacramento non posse obligare cum tanto gravamine.

Cf. controversiam in diversum sensum agitatam apud *Pastor Bonus*, 1898, p. 17 et seq., et p. 111 et seq.

A. D. S.

---

cedere. Ita v. gr., quod spectat pravas cogitationes, ex quibus plerumque anxietates proveniunt, præsto sunt præsumptiones ab Auctoribus probatæ, quatenus nimirum passim fiet « apud eos quorum affectus non est inclinatus ad libidinem et qui resistere solent, consensum non esse perfectum, quin id certò sciant, et contra judicium explicitum rationis superioris egerint; apud alios vero facilius esse potest consensus perfectus post judicium rationis inferioris, neglecto judicio rationis superioris quod non exspectent, adeoque licet aliquod dubium remaneat de consensu ». Ill. ac Rever. Waffelaert, *De Temperantia*, n. 206. Quibus addi potest sapienter monitum a Lacroix, *Theol. mor.*, l. I, n. 548: « Quamvis homo qui non est timoratæ conscientiæ, sed solet consentire, ex communiter contingentibus debeat in dubio præsumere se consensisse, tamen recte notat Herinx, si cœperit seriò converti, sæpe fieri ut longo tempore inhæreat cogitationi, neque tamen consentiat, eo quod habitus antiqui naturaliter operentur primum motum ».

# LOI

SUR LES

# UNIONS PROFESSIONNELLES

## (31 MARS 1898).

(*Suite*, voir p. 30 ss.)

Art. 6. — Les statuts et leurs annexes sont déposés au greffe du conseil des mines.

Le conseil des mines (23), constitué en commission d'entérinement des Unions professionnelles et siégeant au nombre de trois membres, vérifie si les conditions prescrites par la présente loi pour la constitution d'une Union professionnelle ont été observées; dans l'affirmative, il déclare les statuts entérinés et ordonne la publication au *Moniteur* des statuts et de leurs annexes (24).

La publication est faite par la voie du *Moniteur* sous forme d'annexes qui sont adressées aux greffes des cours d'appel, des tribunaux de première instance, des tribunaux de commerce, des justices de paix et des conseils de prud'hommes, où chacun peut en prendre gratuitement communication ou copie; ces annexes sont réunies dans un recueil spécial.

La publication au *Moniteur* a lieu dans les quinze jours qui suivent l'entérinement.

La forme et les conditions du dépôt et de la publication des statuts, ainsi que l'organisation et le mode de fonctionnement de la commission d'entérinement sont déterminés par arrêté royal (25).

L'Union jouit de la personnification civile le dixième jour après celui de la publication.

(23) Le *Conseil des mines* est une administration qui se rattache au Ministère de l'Industrie et du Travail. On a

choisi une commission spéciale afin d'arriver à une jurisprudence identique pour tout le pays et en vue d'éviter les soupçons de partialité.

(24) Cette décision est un acte administratif ayant pour effet d'attribuer à l'Union l'existence juridique. Toutefois, si l'application de cet acte est judiciairement demandée (p. ex. dans le cas où une Union reconnue assigne un tiers en vertu de l'art. 10 de la loi), les tribunaux pourraient tenir l'acte pour nul et non avenu, s'ils le reconnaissent contraire à la loi au sens de l'art. 107, de la Constitution. Cet art. porte : « Les cours et tribunaux n'appliqueront les arrêtés et règlements généraux, provinciaux ou locaux, qu'autant qu'ils seront conformes aux lois. »

L'acte de publication des statuts doit être *publié sur papier timbré* du timbre de dimension, et n'est sujet qu'à un simple *droit fixe* d'enregistrement de 2 fr. 40, s'il ne renferme pas des dispositions particulières, telles qu'un don, bail, marché etc. lesquels ne sont point de l'essence du contrat.

(25) L'arrêté royal organique du 30 Juin 1898 a été publié en exécution de cette disposition. Nous le donnons en *annexe*. Il a été dit par M. Nyssens, à la Chambre, que devant la Commission d'entérinement les intéressés pourraient s'expliquer, échanger des vues et modifier au besoin certaines clauses, comme cela a lieu devant la Commission permanente des sociétés mutualistes et les bureaux de l'Office du Travail. (Cf. *Ann. parlem.* Ch. des Repres. 1897-98 pp. 80, 82, 91-93 — Théate p. 61 n. 2).

Art. 7. — Les actes portant modification des statuts, changement du personnel de la direction et de la gestion ou dissolution volontaire de l'Union n'ont d'effet qu'après avoir été déposés, entérinés et publiés conformément à l'article 6.

Art. 8. — Avant le 1er mars de chaque année, l'Union adresse à la commission d'entérinement :

1° Un compte de ses recettes et de ses dépenses, clôturé au 31 décembre précédent, et, le cas échéant, le compte des opérations faites par l'Union en exécution des n° 1 à 5° de l'article 2. Ces comptes sont dressés

conformément à un modèle arrêté par le Gouvernement. Ils sont préalablement soumis à l'approbation de l'assemblée générale, après avoir été, durant quinze jours, au siège social, à l'inspection des membres de l'Union ; ils ne sont rendus publics que de l'assentiment de l'Union (26).

2° Une liste analogue à celle visée par le n° 1° de l'article 5. Cette liste est publiée comme il est dit au troisième alinéa de l'article 6 ;

3° Une déclaration analogue à celle visée par le n° 2° de l'article 5.

(26) L'observation de cette disposition et de plusieurs autres est *sanctionnée* à l'art. 17 de la présente loi, par des amendes pécuniaires.

Art. 9. — La liste des membres de l'Union est déposée et tenue à jour (27), au siège social, où tout associé peut en prendre connaissance. Elle porte, en regard de chaque nom et prénom, l'indication de la date de la naissance, de la profession, de la résidence et de la qualité de membre effectif ou de membre honoraire.

(27) Les directeurs doivent donc inscrire régulièrement sur la liste les admissions et les sorties ou exclusions avec les diverses indications en regard. (Voir art. 17). Cette disposition a été prise afin de permettre aux associés de vérifier efficacement la gestion de la direction.

Art. 10. — L'Union peut ester en justice, soit en demandant, soit en défendant, pour la défense des droits individuels (28) que ses membres tiennent de leur qualité d'associés, sans préjudice au droit de ces membres d'agir directement, de se joindre à l'action ou d'intervenir dans l'instance.

Il en est ainsi notamment des actions en exécution des contrats conclus par l'Union pour ses membres et

des actions en réparation du dommage causé par l'inexécution de ces contrats.

A moins de dispositions spéciales dans les statuts (29), l'Union est représentée dans tous les actes juridiques par ses directeurs ou par celui d'entre eux que l'assemblée générale aura délégué à cet effet.

Tous les actes ou documents quelconques émanant d'une Union portent la mention de sa qualité d'Union professionnelle reconnue (30).

(28) La faculté de l'U. P. *d'ester en justice* pour la défense *de ses droits propres* n'est pas proclamée expressément dans la loi, cette prérogative appartenant naturellement à toute personne appelée à la vie juridique. (Théate p. 75).

(29) Le pouvoir de représenter l'Union en justice d'une manière permanente peut donc être confié à une personne étrangère à la direction proprement dite de l'Union. Dans tous les cas nous estimons avec M. Théate (p. 78) qu'il est nécessaire de mentionner sur les listes (v. art. 5, 1° et art. 8, 2°), le cas échéant, cette qualité spéciale du délégué.

(30) Afin qu'on ne la confonde pas avec les Unions non reconnues.

Art. 11. — L'Union ne peut posséder, en propriété ou autrement (31), d'autres immeubles (32) que ceux qui sont nécessaires à l'établissement de ses locaux de réunion, bureaux, écoles professionnelles (33), bibliothèques, collections, laboratoires, champs d'expérience, abris pour bestiaux, machines et instruments, bureaux de placement, bourses de travail, ateliers d'apprentissage (34), hospices et hôpitaux.

Elle peut être autorisée par arrêté royal à posséder des immeubles ayant une de ces destinations, mais dont il lui serait impossible de faire immédiatement usage à cette fin.

(31) Les immeubles que peut posséder l'Union sont restreints à ses besoins ; le mot « autrement » implique évidemment qu'elle peut prendre tous les immeubles énumérés *en location*.

(32) Le droit des U. P. de *posséder des biens mobiliers et des valeurs* n'est soumis à aucune restriction, mais la loi détermine rigoureusement et d'une manière limitative les immeubles dont elles peuvent être propriétaires ou avoir la jouissance.

(33) Destinées exclusivement au perfectionnement des *seuls membres* de l'Union.

(34) Qui ne sont rien que le corollaire nécessaire et pratique des écoles professionnelles techniques. Ces ateliers toutefois ne peuvent se transformer en ateliers de production (voir note 7).

Art. 12. — Les donations entre-vifs ou par testament, au profit de l'Union, n'auront leur effet qu'autant qu'elles seront autorisées conformément à l'article 76 de la loi communale (35).

L'arrêté qui autorise, au profit d'une Union, l'acceptation d'une libéralité dans laquelle un immeuble est compris fixe, s'il y a lieu, le délai dans lequel l'immeuble devra être aliéné.

Le disposant peut stipuler à son profit et au profit de ses héritiers ou ayants cause le droit de reprendre, en cas de dissolution de l'Union, une somme (36) égale à la valeur des biens (37) faisant l'objet de la libéralité.

Cette valeur est déterminée entre les intéressés préalablement à la demande aux fins de l'autorisation prévue par le premier alinéa du présent article. Si la libéralité a pour objet un immeuble dont l'aliénation est ordonnée, le droit de reprise s'exercera, le cas échéant, à concurrence du prix de vente.

(35) Conformément à l'art. 76 en question, ces donations sont soumises à l'avis de la Députation permanente du Conseil provincial et à l'approbation du Roi, au cas où la valeur en excède 5000 fr., à la seule approbation de la Députation Permanente, sauf recours au Roi, quand elles n'atteignent pas cette valeur.

(36) Le droit de reprise ne s'exerce donc *jamais* sur les biens donnés ou légués eux-mêmes.

(37) Meubles ou immeubles.

Art. 13. — Il est établi au profit de l'État une taxe annuelle de 4 p. c. du revenu cadastral des immeubles appartenant aux Unions professionnelles (38).

Les formes prescrites pour le recouvrement de la contribution foncière seront suivies pour le recouvrement de ladite taxe.

(38) Cette taxe est une *taxe spéciale* à payer indépendamment des contributions foncières ordinaires. Elle a été établie pour compenser la part du fisc dans les droits de succession et de mutation qui frappent les propriétés immobilières privées.

*A suivre.* A. C.

---

# Ex S. Pœnitentiaria.

## I

### Responsio circa casum onanismi.

Beatissime Pater,

Joannes parochus manus vestras humiliter osculatus casum sequentem reverenter exponit:

Titius parochianus, dives, honorabilis, litteratus, ac bonus christianus, in confessione de usu matrimonii prudenter interrogatus, confitetur se cum uxore, etiam aliquatenus repugnante, coitum semper abrumpere ne sequatur proles; et a me quaesitus, fatetur se ferme semper extra vas mulieris seminare; a me redargutus, statim reponit se ita agere propter duplicem rationem: 1° ne prole numerosiore status familiæ dejiciatur (jam enim habet filium et filiam); 2° ne uxor iterata graviditate nimium defatigetur. Qui de inanitate harum rationum a parocho admonitus, reponit hunc agendi modum ipsi probatum fuisse a quodam perillustri confessario, in quodam recessu quem nuper in quadam communitate peregit, modo maritus in actu intendat sedationem concupiscentiæ, et non pollutionem.

Joannes parochus, miratus hunc præclarum confessarium, qui nuper in quodam majori seminario theologiæ moralis lector fuerat, talem agendi modum probasse, nihilominus Titium in hoc agendi modo perseverare volentem, absolvere non est ausus. Titius vero de sua dimissione offensus suum parochum ignarum ac superbum ubique prædicat, utpote sententiam aliorum corrigentem et onera importabilia pœnitentibus imponentem.

Joannes parochus, his omnibus permotus, quæ in detrimentum parochi, imo et ipsius religionis multum cedunt, ab Eminentia vestra humiliter ac reverenter exposcit:

Quidquid sit de præterito, quomodo se gerere debeat cum Titio qui probabilissime ad confitendum revertetur, et in sua agendi ratione pertinaciter perseverabit?

Et Deus...

Sacra Pœnitentiaria, mature consideratis expositis, respondet: Parochum de quo in casu recte se gessisse, atque absolvi non posse pœnitentem qui abstinere nolit ab hujusmodi agendi ratione, *quæ est purus putus onanismus.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 13 Novembris 1901.

L. ✠ S.

## Adnotationes.

Solutionem casus propositi mirabitur nemo: praxis enim abrumpendi copulam, cum seminatione extra vas *passim sequente*, evidenter est praxis onanistica, utpote *æquivalens directæ procurationi pollutionis*, adeoque, juxta dicta apud *Collat.*, VI, p. 467-468, est intrinsece mala et nullo fine cohonestari valet.

Quæ solutio Romana omnino intactam relinquit controversiam ab Auctoribus agitatam, circa legitimitatem scilicet copulæ ante seminationem abruptæ, in hypothesi, de cujus possibilitate dubium movimus apud *Collat.*, l. c., p. 477, quod contingat eam inter conjuges sine pollutionis periculo exerceri, aut cum periculo quidem pollutionis, sed *ita ut nullatenus sit inchoata pollutio*, seu *directæ pollutionis procurationi æquivalens*, quemadmodum in casu S. Pœnitentiariæ examini subjecto. Eo ipso nimirum cessaret esse actio

intrinsece mala, et, uti docuimus apud *Collat.*, l. c., esset habenda ad instar tactus verendorum, eique applicanda forent principia quæ regunt moralitatem tactus impudici inter conjuges; quibus attentis principiis a culpa posset excusari hujusmodi copula etiam periculum pollutionis inducens, modò ratio detur proportionata et urgens coeundi, absit periculum consensus in pollutionem et finis generationis non excludatur positive.

Obiter notetur a S. Pœnitentiaria absque restrictione probari modum agendi parochi consulentis, non tantum in dijudicanda et redarguenda malitia criminis in confessione expositi, sed etiam in interrogatione prudenter et discretè facta circa usum matrimonii: a qua prudenti et discreta interrogatione, juxta ipsius S. Pœnitentiariæ instructiones, (1) regulariter non est abstinendum, saltem quando adest fundata suspicio pœnitentem onamismo esse addictum, quamvis prævideatur plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse: bona namque fides, si adesse contingat, non diu durabit, ac cæteroquin res est de bono publico societatis.

A. D. S.

## II

## Solvitur dubium circa interpretationem nominis parochi in facultatibus quinquennalibus pro foro interno.

Beatissime Pater,

Inter facultates a Sanctitate Vestra per litteras S. Pœnitentiariæ diei 30 m. Aprilis h. a. pro foro interno in quinquennium benigne mihi prorogatas habetur n. XI etiam ea parochis hujus Archidiœcesis habitualiter subdelegandi facultatem dispensandi super occulto impedimento affinitatis ex copula illicita in matrimoniis contrahendis, quando tamen

(1) Cf. præ cæteris responsa 14 Dec. 1874 et 10 Martii 1886, ex integro relata apud *Nouv. Rev. théol.*, XVIII, pp. 536-542.

omnia parata sint ad nuptias. Jamvero circa interpretationem hujus verbi parochi dubium exsurgit. Sunt enim in hac Archidiœcesi præter parochos canonice institutos alii sacerdotes, rectores sic dicti, qui territoriis separatis quidem præsunt in iisque curam animarum habent ac jura quasi-parochialia exercent, quin tamen parochi veri nominis dici possint.

Nam in hisce regionibus industrialibus ob multitudinem populi christiani in dies accrescentem, ut animarum saluti melius provideatur, a parochis separentur districtus in iisque proprii constituantur sacerdotes juribus quasi-parochialibus præditi necesse est. Ad constituendam vero novam parochiam procedi nequit absque interventu regii gubernii, quod juxta leges civiles hac de re latas ad novam parochiam erigendam suam debet interponere auctoritatem. Itaque haud raro fit, ut ob defectum conditionum a jure civili requisitarum nova parochia nondum erigi possit, quamvis attento solo jure ecclesiastico omnia quæ ad talem dismembrationem faciendam requiruntur facile præstari valeant.

Quibus præmissis quæritur:

1° An sub nomine parochorum in citatis litteris S. Pœnitentiariæ veniant rectores sic dicti, qui in districtu aliquo curam animarum exercent, quin parochi veri nominis dici possint.

2° An sub eodem nomine comprehendantur etiam ii sacerdotes, qui durante vacatione parochiæ, vel occasione infirmitatis vel absentiæ parochi, tamquam administratores parochiæ deputantur.

Et quatenus negative, humillime supplico Sanctitati Vestræ, ut attentis peculiaribus circumstantiis in hac Archidiœcesi, facultatem juxta præfata extendere dignetur.

Et Deus.....

Coloniæ, die 17 m. Junii 1901. — De mandato R^mi^ Archiepi absentis, *Vicarius Archiepi Glis.*

Sacra Pœnitentiaria mature consideratis expositis, super præfatis dubiis respondet:

*Affirmative ad utrumque.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 17 Julii 1901.

B. Pompili, *S. P. Datarius.*
R. Celli, *S. P. Secr.*

# Ex S. Congreg. Indulgentiarum

**PARISIENSIS Decretum de Sodalitatum sub titulo SANCTI ET IMMACULATI CORDIS MARIÆ PRO CONVERSIONE PECCATORUM necessaria aggregatione Archisodalitati Parisiensi.**

Parisiis, in Templo Beatæ Virginis de Victoriis diebus jam ante diem [illegible] 1857 [illegible] fuit pia sodalitas sub titulo Sancti et Immaculati Cordis Mariæ pro conversione peccatorum, quæ haud multo post ab Apostolica Sede ad gradum Archisodalitatis evecta est, cum facultate [illegible] ejusdem nominis et instituti sodalitates sibi aggregandi, eisque propias Indulgentias communicandi. Quam grata hujusmodi societas exstiterit Deiparæ Virgini, et quam [illegible] in Parisiensi diœcesi [illegible] [illegible] spiritualis gratiæ, quas ut [illegible] Deus [illegible] largiri dignatus est [illegible] precum a sanctuariis ad peccatorum [illegible] [illegible] communitum [illegible].

Quamvis autem hæc [illegible] [illegible] [illegible]

Quas porro preces, in audientia habita die 8ª labentis mensis ab infrascripto Cardinali Præfecto Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ relatas, Sanctitas Sua peramanter excipiens, decernendum mandavit, ut sodalitates omnes ab Ordinariis erigendæ sub titulo Sancti et Immaculati Cordis Mariæ pro conversione peccatorum in posterum Indulgentiis non aliter perfruantur, quam sese aggregando Archisodalitati parisiensi; quod vero attinet ad sodalitates alibi jam erectas cum Indulgentiis absque debita affiliatione, idem Ss^mus^ præcepit, ut quamprimum sese eidem aggregent; quod quidem in Europæ regionibus infra annum, extra vero infra biennium a die hujus Decreti computandum, omnino erit exequutioni mandandum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 13 Novembris 1901.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro Archiep. Amiden., *Secretarius.*

# Consultatio.

**Quæritur.** Obvium habui Titium pœnitentem puberem, confitentem sese carnaliter peccasse cum sorore nondum 12 annorum ætatem adepta. Quem Titium cæteroquin bene dispositum absolvi, omni licet facultate a reservatis destitutus, reputans ipsum reservationem non incurrisse *ratione impubertatis suæ complicis.* Postulatur autem utrum in hisce recte me gesserim necne.

**Respondetur.**

*Per se* impubertas complicis in peccato nullatenus est ratio ut reservationem effugiat pœnitens pubes, quia, attento jure tum communi tum diœcesano, soli a reservatione excusantur impuberes, idque propter tenellam

et immaturam ætatem, ob quam majori indulgentia sunt digni nec tantam merentur severitatem.

Si autem contingit ut reservationi non subjaceant hujusmodi delinquentes, hoc est omnino *per accidens* et *ex consequenti* tantùm, quatenus minirum, *ratione impubertatis complicis*, non verificantur conditiones ad constituendum casum reservatum requisitæ. Et ita, ubi ad reservationem postulatur copula de se apta generationi, natum est fieri ut ipsa pars pubes, carnaliter peccando cum parte impubere, a reservatione liberetur ob defectum copulæ perfectæ ex alterius partis impubertate orientem; quod obtinere potest etiam pro casu incestus, cum et hic, uti notavimus apud *Collat.*, IV, p. 128, requiratur copula, salvo retractu onanistico, perfecta et ad generationem idonea.

Minus recte igitur ratiocinatus est confessarius consulens Titium a reservatione absolute excusans propter complicis ætatem impuberem: debebat scilicet prudenter interrogare Titium pœnitentem de natura carnalis commercii cum sorore habiti, et in specie utrum copulam peregerit cum penetratione corporis et seminis resolutione sive intra sive extra vas; et prout ad hanc quæstionem, caute et caste propositam, affirmativum vel negativum responsum dederit Titius, erat judicandum de reservatione contracta necne.

A. D. S.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Mars.

Aux termes de l'art. 5 de la loi du 4 Mars 1870, les *Conseils* de fabrique doivent se réunir le 2 Mars prochain, aux fins d'examiner et arrêter le compte annuel, que les trésoriers sont tenus de leur présenter à cette date. Nous signalons itérativement à l'attention des administrations fabriciennes les observations pratiques, au sujet de la vérification du compte en question, présentées dans les *Collationes* T. I, p. 81 ss; — T. II, p. 90 s; — T. IV, p. 109 ss; — T. V, p. 194 ss.

Le compte de la fabrique, arrêté en cette séance, doit, en vertu de l'art. 6 de la loi citée, être « transmis par le conseil de fabrique avant le 10 Avril, en quadruple expédition, avec toutes les pièces justificatives, au conseil communal, qui en délibère dans sa plus prochaine séance ».

Quant à l'obligation incombant aux marguilliers et spécialement au trésorier, de faire, à l'approche du printemps, la visite des édifices du culte, voir *Collationes,* T. I, p. 130 ss.; T. II, p. 92.

**TRACTATUM DE VIRTUTE RELIGIONIS** quem a° 1896 præcipue ad usum alumnorum Seminarii Brugensis primùm edidit O. E. DIGNANT, S. Theologiæ Doctor, in eodem Seminario olim professor, in Univers. Cathol. Lovan. professor ordinarius, Collationes nostræ (Tom. I, p. 640) sacerdotibus ac sacerdotii candidatis enixe commendarunt « utpote sobrie, dilucide, solide, atque amussim ad mentem S. Thomæ elaboratum atque concinnatum ».

Hujus optimi Tractatus prodiit editio altera aliquantis-

per auctior. (Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1901, pp. 207 in 8°; pret. 1 fr. 50). Ità modo magis evoluto clarissimus auctor necessitatem cultùs interni atque externi demonstrat (p. 8 s.); naturam devotionis latius expendit (p. 12 ss.); fusius tractat quæstionem de indole hypnotismi ac de ipsius liceitate (p. 188 ss.). P. 53 ss. probat (quemadmodum in priori ed. p. 53 ss. stabiliverat) practice probabilem esse sententiam quæ tenet, mutationem officii in aliud non multo brevius et cujus ritus non multùm discrepat, etiam identidem factam nullum substantialem aut gravem inducere defectum. Huic sententiæ quidem videtur contradicere recens decretum S. C. R. 27 Jan. 1899 (n. 4011), ad 3m: « An satisfacit obligationi suæ clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit clero, officium ab officio ipsius cleri diversum canenti vel recitanti? — R. « Generaliter Negative ». Jamvero merito respondet Auctor non facile censendam esse S. Congreg. sic obiter repudiasse sententiam S. Alphonsi et Theologorum communissimam, ità ut liceat interpretari « non satisfacit obligationi suæ toti, et præscripta Ecclesiæ leviter infringit scil. quoad circumstantias accidentales ». — Recentissima responsa romana et documenta pontificia ac episcopalia opportune semper in doctrinæ confirmationem adducuntur (p. 67, 95, 114, 178, 183 etc.).

Opus hoc eximium scientifica accuratione compositum atque summa perspicuitate præstans, cunctis sacerdotibus atque theologiæ studentibus iterùm commendatum habemus.

A. C.

# Collationes Brugenses

## Quæstiones pro Conferentiis

### mensis Aprilis.

I

Explica Ps. L, 12-14: *Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me.*

II

Quæritur cur necesse sit ut intellectus noster plures distinguat rationes in Deo et utrum nomina quæ proprie dicuntur de Deo sint synonyma.

III

Martha mater familias catholica tum filio suo qui nondum septimum ætatis annum complevit, tum marito perfecte ebrio feria VI carnes anteponit manducandas: an et quare peccat Martha?

IV

Titius sacerdos lege diœcesana obligatus ad exercitia spiritualia peragenda, his durantibus prorsùs negligit meditationem, ratus sese ad hanc non teneri, quia legislator humanus non potest præcipere actus internos; sed, ut tempus terat, legit librum prohibitum, moraliter certum habens nullum ex illa lectione sibi imminere periculum. An et quare habendus est Titius legis violatæ reus?

V

Expone notionem charitatis theologicæ.

VI

Quænam sunt jura parochi relate ad communionem paschalem et communionem infirmorum.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. Explica Ps. XXXIX, 7-9: *Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

R. Quia notabilis habetur discrepantia inter textum hebræum et textum græcum (et consequenter textum latinum) in epistola ad Hebræos canonizatum, juvat primo explicare celebrem nostrum locum juxta textum fontalem, deinde indicare quomodo versiones ab eo recedant.

V. 7. Psalmista, postquam innumera beneficia a Deo accepta recogitaverat (2-6) loquitur de modo quo dignas gratias agere possit; hic autem modus determinandus est ex voluntate divina, cui suam voluntatem psalmista conformat. Jamvero beneplacitum Dei primo negative exponitur quatenus recusat omnia sacrificia ritualia quæ per se Deo placere non possunt. Sacrificia hic dividuntur tum ratione materiæ adhibitæ in *sacrificium* seu mactationem animalium et *oblationem* ex rebus inanimatis factam, tum ratione finis intenti in *holocaustum* quod offertur ad benevolentiam divinam sibi conciliandam et (sacrificium) *pro peccato* quo vindicta ejus avertitur. Inter locutiones parallelas $7^a$ et $7^c$ positive exprimitur Dei beneplacitum: *aures autem fodisti mihi.* Immerito multi asserunt allusionem hic fieri ad legem Ex. XXI, 5, 6 (de qua vide supra p. 2 sq.), nam non agitur hic de aure (in singulari) perforanda, sed de

auribus excavandis ; verbum enim *kara* non significat (excepto forsan Ps. XXI, 17), perforare, perfodere (flandrice doorboren), sed effodere (flandrice uitgraven). Deus, quasi figulus, mollem terram premendo et excavando, informi materiæ auris formam dedit, aures mihi præstitit ita ut audire possim ejus mandata (1). Optime Muisius adnotat : « Non negat quidem simpliciter Deum velle sacrificia : illa enim sciebat lege Mosaïca esse præcepta ; sed comparate loquitur, affirmatque Deum obedientia magis quam sacrificiis delectari ». Comparari potest locus parallelus 1 Reg. XV, 22 : *Numquid vult Dominus holocausta et victimas et non potius ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

V. 8. Quando hanc voluntatem Dei perspexi, *tunc* ei obsecundans *dixi : Ecce, venio cum volumine libri de me scripti*. Expressio *de me scripti* ex se ambigua est, ex contextu autem explicanda est ita ut sensus non sit : in libro continetur affirmatio circa meam personam, sed : in illo continetur mandatum a me adimplendum. Liber autem alius intelligi nequit quam Pentateuchus in quo Deut. XVII, 14-20 leguntur leges regibus Israelitis impositæ (2).

Versiculus 9 non pendet a *tunc dixi*. Paratum se olim ostendit ad legem Dei observandum et nunc testari potest : *facere voluntatem tuam, Deus meus, est gaudium meum et lex tua est in medio cordis mei.*

*
* *

---

(1) Schegg. *Die Psalmen* 2a ed. Monachii 1857 ad h. l. suspicatur in fine hujus vers. quartum membrum, quod perficeret parallelismum, v. g. *sed obedientiam a me postulasti*, excidisse.

(2) Libri veterum non nostrorum librorum formam exhibebant sed erant chartæ papyraceæ, quæ circa virgam convolvebantur in cylindri morem et *volumina* congruenter appellabantur ; in summitate autem virgæ erat caput aliquod gallice un bouton, quod per synecdochen de integro volumine dicebatur ; inde LXX habent : ἐν κεφαλίδι βιβλίου, latini : *in capite libri*.

Ad textum græcum quod attinet, omnes vel fere omnes (1) codices versionis LXX habent: σῶμα δὲ κατηρτίσω μα, et, ut ait Muisius: « D. Paulus aut si quis est alius epistolæ ad Hebræos auctor, capite decimo laudans hunc locum, Græcum, ut solet, sequitur; nec mirum cum græce scriberet ». Improbabile tamen videtur hunc fuisse primitivum LXX textum, siquidem Irenæus et antiquum Psalterium latinum e græco translatum legunt: *aures autem perfecisti mihi*. Auctor autem epistolæ ad Hebræos, licet in uno alterove loco libere citet, hic tamen textui genuino aliam lectionem suo scopo magis conformem proprio marte non substituit, sed textum græcum accurate refert et proinde cum communiori sententia admittendum est eum in suo codice LXX jam legisse σῶμα. Hæc autem lectio sive ex intentione amanuensis, sive, quod magis placet, facili oculorum lapsu ex voce ὠτία post verbum in σ desinens, oriri potuit (2).

Præterea apud LXX et in Vulg. propositio *ut facerem voluntatem tuam Deus meus* jungenda sunt cum verbo *volui* idemque est sensus ac in hebræo. In epistola autem ad Hebræos quia propositio *in capite libri scriptum est de me* parenthetice sumitur, verba sequentia *ut faciam voluntatem tuam* conjunguntur cum *ecce venio* et proinde pendent a *tunc dixi*.

Optimo sane jure hæc verba Christo Domino applicantur: sacrificia enim legalia non tantum minus Deo

(1) Swete, *An Introduction to the Old Testament in Greek*, Cambridge, 1900, p. 479 dicit omnes codices LXX ita legere; p. vero 417 ait paucos codices cursivos legere ὠτία vel ὠτα.

(2) In hac quæstione nihil est quod inspirationi officiat, nihil etiam quod insolitum videri debeat. Nam, ut de sola epistola ad Hebræos loquar, pluries citat VT juxta LXX, etiam ubi differunt a textu hebræo: VIII, 8-12; X, 37, 38; XI, 21; XII, 5, 6; præterea XII, 15 citat Deut. XXIX, 18 juxta Versionem LXX jam tunc corruptam, legit enim ἐνοχλῇ, sicut adhuc nunc legimus in codd. B* AF* in Deut. l. c., dum genuinus textus est ἐν χολῇ.

placebant, sed brevi rejicienda erant, Deus autem Christo aptavit corpus seu voluit ut Christus corpus assumeret et homo fieret, eo fine ut Christus corpore indutus sacrificium sui ipsius in ara crucis pro peccatis hominum offerret et sic voluntatem Dei perficeret, omnia enim quæ in vaticiniis Messianicis *scripta* seu prædicta erant, Christo vere *præscripta* erant.

A. D. B.

## II

Q. *Expone in quo consistat Ecclesiæ unitas communionis et unitas fidei.*

R. I/ **Unitas socialis,** seu **communionis** in Ecclesia reperitur in mutua conspiratione omnium membrorum **in unum finem qua communem.**

**Explicatur.**

Nimirum non sufficit ad unitatem socialem ut multi de facto ad unum eumdemque finem tendant, sed debent illum communi tendentia prosequi *formaliter qua communem*, scientes scilicet eum esse finem communem seseque invicem agnoscentes tanquam contendentes **in ipsum.**

Hujusmodi conspiratio in concreto obtinetur per unum et identicum regimen, ab omnibus qua tale practice agnitum. Et profectò ex eo quod omnes sub unius ejusdemque auctoritatis ductu constituuntur in prosequendo eodem fine, eo ipso sociantur inter se et sub uno jugo junguntur et uniuntur in ipsa tendentia ad finem communem qua talem. Unde unitas socialis indifferenter vocatur etiam ***unitas regiminis.***

Porro ad unum regimen non sufficit nec requiritur identitas regis; unus namque rex duo distincta regna gubernare potest, et ex alia parte unum regimen potest esse penes plures. Opus est autem ut unica sit auctoritas suprema in sua amplitudine amplectens *omnia societatis*

*membra* quoad *omnia quæ spectant finem socialem,* adeo ut excludat omnem aliam auctoritatem in exercitio suo ab ipsa independentem.

Quo pacto non est comparanda unitas socialis Ecclesiæ cum specie unitatis quæ regnat v. gr. in confæderatione Germanica, cui quidem præest auctoritas suprema unica, sed auctoritas quæ limitatur ad quædam negotia, maxime internationalia, nullatenus vero extenditur ad omnia quæ finem tangunt socialem: in multis nempe quæ internam spectant administrationem, ab invicem et ab auctoritate imperiali plane independentes existunt varii status confæderati.

Ex quibus etiam liquet non esse confundendam *unicitatem* Ecclesiæ cum *unitate:* potuit enim Christus instituere unicam numero Ecclesiam quin eam voluerit unam unitate sociali communionis; quæ distinctio optime observatur in Constitutione Leonis XIII *De Unitate Ecclesiæ*, apud *Collat.*, I, pp. 441 et 445.

II/ **Unitas fidei** est in hoc quod omnia Ecclesiæ membra eadem omnino dogmata credant, saltem implicite, sub pœna exclusionis.

**Explicatur.**

1°/ Postulatur videlicet unitas in fide *absoluta et perfectissima*, adeo ut vel unius dogmatis negatione quis ab unitate Ecclesiæ deficiat et a censu membrorum excludatur. Ratio est quia pertinaci hujusmodi negatione ipsum motivum formale fidei rejicitur, auctoritas scilicet Dei revelantis, adeoque ipsa fides in radice destruitur et penitus impossibilis redditur (1).

---

(1) « Ita omni amota dubitandi caussa, ullamne ex iis veritatibus (tanquam revelatis ab Ecclesia propositis) potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso præcipitem in apertam hæresim? quin, sejunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa rejicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse virtutem supernaturalem, qua, Dei adjuvante et aspirante gratia, ab Eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rei veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui

2°/ Principium externum determinans unitatem fidei est illud quod « instituit Jesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: ejusque præcepta doctrinæ æque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit ». Constit. *De Unitate Ecclesiæ*, l. c., p. 451.

3°/ Non oportet ut omnes *omnia* dogmata revelata fide teneant *explicita*, et distincta ac determinata fidei professione: præter quædam puncta, de quibus necesse est unumquemque fidelem instrui, quæque diserte et explicite sunt ab omnibus credenda, sufficit ut reliqua in confuso credantur ac *implicite*, quatenus scilicet obsequium fidei præstetur in omnia et singula quæcumque a Deo revelantur et ab Ecclesia tanquam revelata infallibiliter proponuntur.

4°/ « Unitas essentialis fidei non excludit quod intra fines ipsius Ecclesiæ controversiæ vigeant etiam circa veritates objective forte revelatas, sed quæ nondum sunt sufficienter ab Ecclesia tanquam revelatæ propositæ ». De Brouwer, *Tractatus de Ecclesia*, n. 273.

A. D. S.

## III

Q. *An et quare licet observare legem certò injustam?*

R. Restringitur quæstio ad legem humanam *certò* injustam, de qua quæritur utrum absque peccato possit servari. De dubiis circà justitiam legis occurrentibus

---

nec falli nec fallere potest. Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Jacobus Apostolus de delicto judicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei judicandum: *quicumque... offendat... in uno, factus est omnium reus;* imo de opinionis errore, multo magis ». Ex laudata Constit. *De Unitate Ecclesiæ*, l. c., p. 451.

consulatur Ill^s^ ac Rev^s^ Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, p. 223 sqq. — Jamverò:

*Non licet observare legem quæ injusta est ratione materiæ i. e. quia præscribit injusta seu illicita; generatim verò licet observare legem injustam tantùm ratione modi quo fertur seu quia injuste imponit subditis quæ cœteroquin honesta sunt ac licita; imò quandoque hujusmodi legem observare quis tenetur, non quidem vi ejusdem legis sed propter altiorem legem concurrentem.*

**Explicatur.** — I. Si lex sit injusta ratione materiæ seu præscribat injusta, talia nimirùm quæ repugnant legi divinæ naturali aut positivæ vel etiam legi humanæ superiori, non licet eam servare.

Etenim quæ hujusmodi lege præscribuntur vel sunt intrinsece mala, et malum facere non licet propter quamvis causam (1); vel saltem non possunt observari quin violetur lex superior et proinde peccetur.

Attamen in praxi contingere potest ut quis præstare queat quod a lege injusta injungitur, dummodò illud non sit intrinsece malum, sed tantum ideo injustum quia adversatur legi positivæ superiori. Fieri enim potest quòd, stante illa lege injusta, tanta oriatur difficultas observandi legem superiorem cui contrariatur, ut hæc in casu non urgere censeri possit; vel etiam ut superior legislator, etsi non approbet legem istam injustam, eam tamen toleret eique a subditis obtemperari permittat. Idem notat Dignant (2), *De virtute Reli-*

(1) « Omnia in quibus naturæ lex vel Dei voluntas violatur, æque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usuveniat ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum jussa negligere, Jesu Christo parendum est jubenti *quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo* (Matth. XXII, 21), atque ad exemplum Apostolorum animose respondendum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. V, 29). Neque tamen est cur abjecisse obedientiam, qui ità se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suæ modum excedunt, justitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quæ, ubi justitia non est, nulla est » Encycl. *Diuturnum* 29 Junii 1881.

(2) Similiter Bouquillon, *De virtute Religionis*, n. 649.

*gionis* (2ª ed.) n. 270, asserens « legem quæ de facto superiori legi humanæ aut humano juri repugnat ideoque injuste conditur, interdum non injuste observari, interveniente expresso aut præsumpto consensu cujus interest ». — Tunc autem rectius dici videtur non observari legem superiorem, id permittente legislatore vel exigente necessitate, potius quam formaliter observari legem inferiorem ei oppositam ideoque injustam. — Exempla præbent in multis regionibus modernæ leges civiles immunitatem clericorum violantes (1).

II. Potest lex esse injusta quia, etsi quæ præcipit sine peccato præstari valeant, ea tamen non sine injuria subditis imponit. Hoc autem triplici ex capite evenire potest et cum læsione triplicis justitiæ: 1/ ratione *finis*, quando scilicet res præscripta non est utilis ad bonum commune, quo casu læditur *justitia legalis:* tota enim ratio gubernativæ potestatis in societate est finis societatis seu bonum commune, ideoque quodvis ejus exercitium quod ad bonum commune non tendit est illegitimum. (2) — 2/ Ratione *auctoris*, sicut cum aliquis legislator fert legem ultra sibi commissam potestatem et ità in materia sibi non subdita libertatem civium constringit; vel etiam dum contractum forte cum subditis initum in certa materia per legem suam violat; et tunc, ut patet, læditur *justitia commutativa.* — 3/ Ex parte *formæ*, quando in imponendis oneribus lex alios gravat alios verò sine justa ratione eximit; vel etiam omnes æqualiter gravat nulla habita ratione inæqualitatis virium ac facultatum; et sic læditur *justitia distributiva* (vel etiam justitia commutativa respectu illorum

(1) Circà illarum legum observantiam cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De Justitia,* T. II, nn. 424, 437, 442.

(2) « Ut autem justitia retineatur in imperio illud magnopere interest eos qui civitates administrant intelligere non privati cujusquam commodo politicam potestatem esse natam: procurationemque reipublicæ ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est geri oportere » Leo XIII, Encycl. cit.

qui indebite seu ultra æquam mensuram gravantur). — De quibus cfr. S. Thomas I, 2ae, q. 96, à. 4; Suarez, *De legibus*, lib. I, cap. IX, n. 1-15. — Ex triplici illa injustitia fieri potest (1) ut lex sit invalida ac proin per se non obliget: attamen universim licet talis legis injustæ ordinationem servare, quia bene potest quis cedere juri suo; si tamen quis per dictæ legis impletionem ejus injustitiæ seu injuriæ ea causatæ efficaciter cooperaretur sic profectò peccare posset.

Addimus quandoque non tantum licitam esse legis hoc altero modo injustæ observantiam, sed imò eam esse obligatoriam : quod obtinet cùm ex legis neglectu oritur scandalum vel societatis perturbatio. Tunc autem obligatio præstandi quod lex injusta præcipit non est ex ipsa lege humana quæ utpote invalida ex se obligare nequit, sed ex lege naturali : hæc enim generatim prohibet ne causa etiam in se non mala ponatur qua proximus in peccatum inducatur; et naturali quoque obligatione « tenemur potius aliquod damnum privatum minus grave pati, quam malum publicum et longe gravius, quod ex resistentia forte oriturum prævidetur, admittere ». Th. Meyer *Inst. Jur. nat.*, P. II, n. 503.

H. V. D. B.

## IV

Q. *Indica motivum formale actus spei theologicæ — Explica.*

R. *Motivum formale actus spei theologicæ, ut est actus formalis distinctus, est omnipotentia Dei auxilians.*

**Explicatio.** 1/ Inquiritur *motivum formale* (2) *actus*

---

(1) Non semper, in casu læsæ justititiæ *distributivæ*, invalida habenda est lex, sed tunc tantum quandò gravamen eà illatum redundat in detrimentum communitatis. Cfr. Suarez, l. c. n. 14.

(2) Objectum *materiale* spei est ipsa res sperata seu beatitudo æterna; objectum *formale* est res sperata vestita formalitatibus sub quibus in

*spei theologica* i. e. ultima formalitas determinans objectum materiale quod speratur, quæ proprie *movet* voluntatem ad actum spei circa illud objectum eliciendum, adeoque actum spei in propria specie actus theologici constituit, eumque ab omni alio actu distinguit.

2 Dicitur: actus spei theologicæ *ut est actus formalis distinctus*. Nam spes theologica dupliciter considerari potest:

a *quasi ex integro* scil. simul cum omnibus actibus voluntatis qui illum, saltem virtualiter, præcedunt (ut amor spei et desiderium), vel in eo includuntur (ut erectio animi), vel denique ut qualitas comitari possunt (ut fiducia seu certitudo et timor). Hoc autem modo si consideretur, spes est actus saltem virtualiter multiplex: diversis enim formalitatibus objecti formalis (bonum, absens, arduum, possibile) respondere possunt actus specie diversi amoris, desiderii etc., et saltem virtualiter respondent. Singuli autem actus ex motivo formali proprio exercentur. Sub hoc ergo respectu assignandum foret motivum formale spei complexum, includens varias formalitates.

b Considerari potest solus *actus formalis spei seorsim sumptus,* et súb hoc respectu actus spei est actus unus et simplex, exercitus ex motivo simplici ac proprio, scil. ex illa formalitate quæ voluntatem movet ad actum spei eliciendum. De hoc autem motivo simplici seu de hac formalitate motiva in præsenti quæstione inquiritur (1).

Jamvero si spes intelligitur actus simplex et in sua propria specie actus theologici ab omni alio distinctus, motivum ejus formale asseritur esse

---

illam tendit spes: tendit autem voluntas in rem speratam prout est *bonum vobis, futurum, arduum, possibile. Motivum formale* (seu objectum formale *quo*) est ultima formalitas dans speciem actui atque impellens ad actum, nempe quod res sperata sit *possibilis* adipisci.

(1) Cfr. Ill$^{us}$ ac Reverend$^{us}$ Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, p. 99 ss.

3/ *omnipotentia Dei auxilians*. Formalitas quæ ultimo determinat objectum formale spei et proxime movet voluntatem ad eliciendum est *possibilitas assequendi rem speratam per omnipotentiam Dei auxiliatricem*. At vero, cum spes, utpote virtus theologica, ultimo et adæquate in objectum increatum et a Deo indistinctum (1) resolvenda sit, nomine omnipotentiæ auxiliantis intelligitur non ipsum auxilium divinæ gratiæ creatum et in homine receptum, sed *actus immanens divinæ omnipotentiæ connotans effectum ad extra seu largitionem gratiæ*.

**Nota**. Motivum formale spei ab aliis quidem aliter assignatur ità ut multiplex hac de quæstione sententia enata sit et intricata vigeat controversia (2). Controversia tamen, ut notat Lehmkuhl (3), non est tantopere in re, quam in concipiendi et loquendi modo. Scilicet *ratio dissensus* ex eo potissimùm desumitur, quod actus spei ab aliis quidem ut actus simplex ac seorsim ab omnibus actibus præcedentibus necnon ab affectibus concomitantibus consideretur, ab aliis vero ut complexus omnium illorum actuum atque affectuum intelligatur. Præterea auctores quidam non satis distinguunt *objectum formale* virtutis inter ac ejusdem *formale motivum*.

Quibus attente pensatis, non re sed solo concipiendi loquendique modo a nobis dissentit sententia satis recepta atque in fidelium instructione merito usurpata, qua ut objectum formale seu motivum actus spei *ex integro considerati* proponitur: infinita Dei bonitas (seu misericordia) erga nos, ejus omnipotentia atque fidelitas in promissis. Equidem libenter concedimus omnipoten-

---

(1) Hoc tamen non impedit quominus fundamentum *mediatum* spei sint merita Christi, et quominus intercessio Sanctorum, preces justorum et opera nostra salutaria sint *causæ secundariæ et instrumentales* spei theologicæ. Ultimatim tamen Deus solus nos adjuvat ad finem speratum obtinendum, quatenus nimirum potentia sua instruit ac movet causas illas instrumentales.

(2) Ità R. P. G. Lahousse, *Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, p. 346 s. septem diversas sententias exponit.

(3) *Theol. moralis*, (ed. IX), Tom. I, p. 192.

tiam auxiliatricem præsupponere alia attributa — ut e sequenti probatione clarius patebit —: actus enim pertinens formaliter ad unum attributum divinum potest esse imperative, directive aut secundum alias rationes ab aliis attributis. Et ità requidem vera omnipotentia Dei auxilians supponit divinam misericordiam qua *imperatur*, et fidelitatem quam *exsequitur*. At verò si modo pressiori et stricte theologico loqui velimus, resolutio ipsius Omnipotentiæ auxiliantis in alia attributa non est resolutio objectiva et in esse *motivi* actus (de quo hic proprie quæritur), sed potius resolutio in esse *rei* ipsius, in ordine ad proprias causas (1). Quapropter prædictam solutionem ac propositum loquendi modum in studiis theologicis omnino eligendos ducimus.

A. C.

V

Q. *Proba responsum præcedens.*

R. *Motivum formale actus spei ut est actus simplex et distinctus, est omnipotentia Dei auxilians. Nam possibilitas æternam salutem consequendi per omnipotentiam Dei auxiliatricem, eaque sola est ratio ultimò et adæquate movens voluntatem ad actum spei eliciendum.* Etenim:

1° Omnipotentia Dei auxilians **est** immediatum et adæquatum motivum actus spei. Quærenti enim « cur speras beatitudinem æternam »? adæquate et ultimo respondetur: « quia Deus potest (utpote omnipotentia ipsa) et vult me adjuvare (auxilians) ad illam assequendam. Et hæc est ultima et adæquata spei resolutio; hîc sistit inquisitio: traditur scil. ultimum confidentiæ motivum ejusque causa adæquata. Ità si ulterius quæratur: « cur Deus omnipotens vult te adjuvare ad beatitudinem »? jam interrogatio et responsio diriguntur non in

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.* p. 102 ss.

linea *causæ formaliter moventis* ad actum spei, sed ad resolutionem auxilii divini in proprias suas causas.

Ergo omnipotentia Dei auxiliatrix ultimò seu immediate et adæquate movet ad actum spei eliciendum: est igitur formale spei motivum.

2° Omnipotentia Dei auxilians **sola** (i. e. ad exclusionem reliquarum objecti formalitatum ac aliorum Dei attributorum) immediate et adæquate exercet munus motivi cui actus spei innititur.

A. Imprimis, motivum formale actûs spei reponendum est in ultima conditione seu formalitate objecti formalis quod speratur. Ut ait S. Thomas (1), quatuor sunt conditiones seu formalitates objecti formalis: « objectum spei est bonum, futurum, arduum, possibile haberi ».

Jamvero *motivum formale, dans speciem actui ad quem movet, est sola formalitas possibilitatis. Etenim motivum spei formale non est:*

a/ ratio *bonitatis* seu bonitas Dei respectiva erga nos: hæc est motivum amoris spei seu concupiscentiæ; at spes formaliter non est simplex amor concupiscentiæ;

b/ ratio *boni futuri seu absentis*, nam hæc ratio est motivum desiderii.

Ambo illi actus nimirum actus spei et desiderium, ut in q. præc. explicavimus, licet, in actu exercito seu virtualiter saltem, præsupponantur ab actu formali spei, ab eo tamen sunt specie distincti (2).

Præterea duo illi actus sunt communes speranti et desperanti, unde evidenter apparet neutram ex assignatis objecti conditionibus ceu formale specificans spei motivum prædicari posse, cùm neutra virtutem spei a vitio opposito formaliter discernat;

c/ ratio *arduitatis seu difficultatis* boni sperati, quippe

---

(1) *Sum. Theol.* 2ª 2ᵃᵉ, q. XVII, a. 1 in corp.

(2) Cfr. Illᵐ ac Reverendᵐ Waffelaert, *Annotat. in Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, p. 96 s.

quæ ex una parte iterum speranti et desperanti est communis, et ex alia parte nedum ad boni sperati prosecutionem voluntatem elevatam inclinet, eam e contrario ab ejus prosecutione retrahere nata sit. Non enim speramus beatitudinem futuram *quia* ardua est seu difficilis adipisci, sed quia, *licet* sit ardua, est tamen possibilis per omnipotentiam auxiliantem Dei.

Unde patet motivum formale spei theologicæ esse sola formalitas *possibilitatis* per omnipotentiam Dei auxiliatricem.

B. *Præterea, asserta possibilitas æternæ beatitudinis formaliter et in recto importat solum attributum omnipotentiæ auxiliantis*, licet actus omnipotentiæ auxiliatricis secundum rationes quasdam non formales (imperative, directive etc.) in alia attributa divina tanquam in radices seu causas ontologicas resolvi possit, potissimùm autem in Dei misericordiam seu pietatem ejusque fidelitatem in promissis. At vero *remote* tantum spes nostra in pietate et fidelitate fundatur. *Pietas enim seu misericordia Dei* solùm *imperat* auxilium omnipotens quo proxime movemur ad sperandum. Pari modo actus spei ratione omnimodæ suæ firmitatis ac certitudinis præsupponit divinam *promissionem*, adeoque omnipotentia auxilians præsupponit *Dei fidelitatem*, quam exsequitur. Sed ex eo quod hæc fidelitas *præsupponatur* auxilio omnipotenti, immerito concluditur hanc fidelitatem esse proximum ac formale spei motivum (1).

Est igitur sola omnipotentia Dei auxilians formale motivum actus spei.

**Nota**. E responso præsenti ac præcedenti intelligitur quomodo in SS. Litteris, apud Patres, aliosque scriptores ecclesiasticos, nunc hæc nunc illa Dei perfectio ut fundamentum aliquod spei nostræ exhibeatur, ità ut

---

(1) Patet iterum in tribus illis attributis potissimum spem nostram fundari, (ut in vulgata actus spei formula asseritur, et populo fideli meritò proponitur), *sed non in tribus eodem modo.*

in tribus potissimùm attributis nimirum misericordia, omnipotentia ac fidelitate spes theologica radicata asseratur: non videlicet quasi multiplex esset motivum ejus formale, sed a quia misericordia ac fidelitas ut radices omnipotentiæ auxilianti (quam solam spei motivum formaliter et in recto importat) præsupponuntur; vel b quia plures textus non de solo actu spei seorsim sumpto, verùm de spe quasi ex integro sumpta agunt (1).

Propterea e ratione theologica potius quam e Scriptura ac Traditione sententiam stabilire conati sumus, licet textibus tùm scripturisticis tùm patristicis numero pluribus solide corroboretur, ut apud theologos antiquos ac recentiores passim videre est. Ità videsis Ps. XVII, 3: *Deus meus adjutor meus et sperabo in eum;* Ps. LXI; 8-9: *Deus auxilii mei et spes mea in Deo est. Sperate in Deo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Is. XXVI, 4 *Sperastis..... in Domino Deo forti* etc., etc.

Propositæ sententiæ præclare patrocinatur Doctor Angelicus, 2ª 2ᵉ, q. XVII, art. 1. « Inquantum ergo speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum *cujus auxilio innititur* ». Et rursus art. 2. « Spes..... attingit Deum, *innitens ejus auxilio* ad consequendum bonum speratum »; pariter art. 5; art. 6; *Q. Q. disput.* De Spe, art. I, etc.

A. C.

## VI

Q. *Caius parochus tumulat peregrinum qui, nulla electa sepultura, in parochia Caii accidentaliter post ultima sacramenta ibidem recepta obiit, et nullam partem emolumentorum parocho defuncti solvit: an et quare recte agit?*

*Prænotandum.* In jure funeris, quod muneri paro-

(1) Cfr. Illᵐ ac Reverendᵐ Waffelaert, *o. c.* p. 103.

chiali alligarunt sacri canones, duplex distingui debet elementum: unum *spirituale*, quod complectitur varias functiones funebres circa corpus defuncti peragendas, np. corporis levationem, funeris deductionem, officii funebris et exequiarum celebrationem et tandem cadaveris inhumationem; alterum *temporale* seu jus ad emolumenta e funeribus provenientia. De duplici hoc elemento procedit quæstio posita, intellecta np. tumulatione sensu generico, prout designat integrum elementum spirituale. Secluditur casus conventionis legitime initæ inter utramque ecclesiam.

His prænotatis:

R. ad I/ *Caius non recte agit, excepto casu quo cadaver ad propriam parochiam commode et absque periculo deportari non valeat.*

*Ratio* est quia parochus habet intentionem in lege fundatam pro sepultura suorum parochianorum: id est habet pro se præsumptionem juris, quæ non cedit nisi certæ probationi juris alterius, ita videlicet ut hic « probare teneatur non tantum jus tumulandi, si hoc notorium non sit, sed et sepulturæ electionem legitime factam vel majorum sepulcri existentiam » (1). Porro principium est certissimum quod parochiani omnes, qui sine electa explicite vel implicite (quando existit sepulcrum majorum familiare vel hæreditarium) sepultura moriuntur, tumulari debent in ecclesia parochiali. Cujus juris fundamentum est *spirituale officium* a parocho suis parochianis, dum viverent, præstitum, minime vero *obitus accidentalis* intra limites parœciæ, etiam cum administratione sacramentorum in extremo vitæ, uti luculenter constat ex textibus juris et variis declarationibus S. C. Concilii. (2). Cum igitur in casu nostro defunctus non habeat domicilium aut quasi-

(1) Van den Berghe, Tract. autogr. de Parochis, p. 45 sq.

(2) Pallottini, V° *Cadavera*, § III, n. 18 sqq. — *Acta S. Sedis*, T. XI, p. 499, coll. Van den Berghe, *l. cit.*, p. 46, et *Collat. Brug.*, T. V, p. 459.

domicilium in parochia Caii, neque ullam elegerit sepulturam, tumulari debet in ecclesia sua parochiali.

Si tamen cadaver ad hanc non valeat *commode et absque periculo* deportari (1), de jure communi humandum est in ecclesia parochiali loci ubi mors accidit (cap. *Is qui*, De sepult. in 6). « Ratio est... quod tunc parochus loci præ cæteris potissimum jus habet; tum quia parochus loci peregrinis administrat sacramenta,.... tum quia parochus habet fundatam intentionem super omnibus proventibus spiritualibus intra illius parochiam provenientibus.... » (2)

R. ad II/ *In utroque casu, sive legitime sive illegitime funera persolverit, Caius perverse agit.* Etenim 1° *si legitime:* solvere tenetur *portionem canonicam* (3) parocho proprio. Jure quidem scripto nihil expresse habetur de quarta funerali in hoc casu solvenda; sed ratio quæ viget in aliis casibus, pro quibus in jure præscribitur quarta, scilicet compensatio quædam danda ratione spiritualis officii præstiti defuncto, etiam obtinet in isto casu; ideoque canonistæ passim docent et S. C. Conc. declaravit quartam in hoc quoque casu esse solvendam, nisi alicubi consuetudo sit ut nihil solvatur. Hæc de jure communi, cui in diœcesi Brugensi neque consuetudo neque statuta particularia obstare jam dici possunt (4). — 2°/ si *illegitime* funus persolvit, tunc

(1) Quandonam hæc conditio verificetur, expositum habes apud *Coll. Brug.*, T. V, p. 459 sq.

(2) Reiffenstuel, *Jus Canonicum universum*, L. III, Tit. XXVIII De Sepult. n. 26. Ubi notat n. 27, receptionem Sacramentorum non posse censeri electionem sepulturæ in loco obitus, cum contradicat textus expressus cap. *Is qui* cit. et peregrinus sacramenta ibi suscipiat, « non quod intendat per hoc ibidem eligere sepulturam, sed quia ea aliunde habere nequit... »

(3) Quoad determinationem quartæ funeralis vide *Collat. Brug.*, T. V, p. 463 sq.

(4) Cfr. *Collat. Brug.*, T. V, p. 461 sqq., ubi vindicatur mutatio facta in ultimis editionibus *Juris Canonici Compendii* III^m De Brabandere, quam quidam circuli non attenderunt, dum solvunt Caium ab obligatione

omnia funeris emolumenta restituenda sunt proprio parocho (1), nec Caius jus habet ad quartam funeralem, quippe quæ non ratione obitus accidentalis, etiam cum administratione Sacramentorum in extremo vitæ, bene vero ratione spiritualis officii defuncto parochiano, dum viveret, præstiti, de jure debetur (2). — Attamen detrahi possent *expensæ* factæ occasione funerum, uti declaravit in simili casu S. C. Conc. in *Urbevetana* 11 Aug. 1894, ad III: an sit locus restitutioni emolumentorum pro funere defunctæ in casu? Affirmative, *detractis expensis* (3).

H. M.

---

quartæ in casu. — Advertas quæstionem non includere casum quo ex hæredum dispositione *sponte* facta (cfr. *Coll. Brug.*, l. cit., p. 462 sq.) exequiæ etiam celebrarentur in ecclesia parochiali defuncti.

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Compendium Juris Canonici* (ed. 6a), T. II, n. 771. Vide v. g. S. C. C. 26 Nov. 1864 (*Acta S. Sedis*, T. I, p. 85 sq.), 11 Aug. 1894 (*Ibid.* T. XXVII, p. 220 sqq.) etc.

(2) *Ibid.* T. I, n. 480.

(3) Apud *Acta S. Sedis* T. XXVII, p. 229. — Censemus bonam fidem Caii non posse invocari, ut ipsi vindicetur jus ad aliquid, post detractas expensas, *saltem sibi* retinendum. Unde minus placent quædam apud *Nouv. Rev. Théol.* T. XXXIV, p. 94. Sed in tali casu forsan locus esset amicabili compositioni inter utrumque parochum.

# Circa matrimonia in extremis.

Nuperrime contigit Titio vicepastori ad mulierem moribundam vocari, ut ipsi sacramenta exeuntium administranda curaret. Illico ad domum ægrotantis properavit, S. Viaticum necnon oleum infirmorum secum deferens, ac mox confessionem excipere cœpit. Porro ex confessione attonitus reperiit infirmam in concubinatu versari, quo audito non prius eam absolvit quam paratam sese ostenderit matrimonium inire cum viro, cui illegitime juncta existebat et a quo separari nec cupiebat nec valebat; deinde, licentia prævie petita et obtenta in usum scientiæ sacramentalis, duos adhibuit testes qui ex ore pœnitentis reciperent retractationem vitæ scandalosæ, ac, ita remoto scandalo, infirmæ S. Communionem ac Extremam Unctionem administrare non dubitavit.

In quibus omnibus rectissime se gessit laudatus vicepastor; in casu namque, ratione urgentis necessitatis, non erat necesse quod concubinatus præviè jam cessaverit, sed sufficiebat bona dispositio pœnitentis paratam sese exhibentis ad omnia peragenda in hunc finem necessaria.

Ad Extremam autem Unctionem et signanter ad Viaticum administrandum procedere non licebat nisi retractatione publice facta coram testibus, ad hoc a confessario advocatis illæso sigillo: graviter enim offenderetur populus fidelis si videret sacramentis illis refici publicum peccatorem quem ignorat criminosæ vitæ renuntiasse.

Hisce adimpletis, omni qua par erat diligentia, viam paravit ad expeditam matrimonii celebrationem coram facie Ecclesiæ, et ad hunc effectum quantocius sibi procuravit delegationem parochi ac facultatem ab

Episcopo impetrandam (1) dispensandi in impedimentis, si quæ forsan obstare contigerit.

Attamen cum concubinarii matrimonio coram Ecclesia copulandi ne civili quidem, uti aiunt, matrimonio existerent ligati, juxta codicem civilem Belgicum prohibebatur sacerdos, sub pœna art. 267 Codicis pœnalis comminata (2), quominus nuptiis benediceret vel assisteret, antequam coram magistratu civili formam legalem observaverint.

Equidem in casu omninò urgentissimo, in quo exspectari nequit donec legi civili factum sit satis, indubiè posset ac imo deberet parochus vel confessarius ad matrimonium religiosum procedere ut saluti moribundi consulatur, spreto periculo præfatas incurrendi pœnas (3); atvero, hoc seposito casu, lex civilis, in quantum potest, est observanda ut vitetur conflictus cum potestate civili. Cf. Instr. S. Pœnit. 15 Jan. 1866 (*Collect.*, n. 1406).

Opportune igitur omnem adhibuit industriam Titius

---

(1) Solis nimirum *parochis*, in nostra diœcesi Brugensi, hanc facultatem *habitualiter* communicavit Episcopus, vi decreti 20 Febr. 1888, qui parochi, utpote subdelegati, non possunt subdelegare vicarium, qui proinde recurrere debet ad Episcopum, si dicta facultate indigeat. Quinimo ipsis parochis non suffragatur concessa facultas nisi in casibus in quibus deest tempus Episcopum adeundi. Quocirca cf. *Collat. Brug.*, I, pp. 102 et seq.; V, pp. 419 et seq.

(2) « Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs, tout ministre d'un culte qui, hors les cas formellement exceptés par la loi, procédera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil. En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra en outre être condamné à un emprisonnement de huit jours à trois mois ».

(3) Attendatur autem sacerdotem ex hoc capite damnatum posse frui beneficio condemnationis conditionalis, ad tramites legis 31 Maii 1888, ad art. 9; quod si fiat « la condamnation sera considérée comme non avenue, si pendant ce délai (fixé par les cours et tribunaux et qui ne peut excéder cinq années), le condamné n'encourt pas de condamnation nouvelle pour crime ou délit ». Cæteroquin, juxta principia exposita apud *Collat.*, V, p. 424, a dicto periculo pœnas civiles incurrendi posset, in hujusmodi occurrentia, efficaciter præcavere vicepastor, dispensando, vi facultatis ab Episcopo obtentæ, in impedimento clandestinitatis et matrimonium absque testium præsentia celebrari curando.

ut matrimonium civile tempestive celebraretur, impetrando *dispensationem Procuratoris regii super publicationibus ac dilatione legali.*

Nimirum, uti expositum videsis apud *Collat.*, I, pp. 105-106, in jure civili requiritur ut matrimonium semel publicetur et differatur usque ad decimum diem inde a die proclamationis exclusive (1); a qua porro duplici clausula observanda, gravi de causa, dispensare valet « le Procureur du Roi près le tribunal de première instance, dans l'arrondissement duquel les impétrants se proposent de célébrer leur mariage ». Art. 7 de la loi du 26 Déc. 1891.

Circa quam **dispensationem** sequentia utiliter notari possunt :

A/ *gravis causa* potissimum habetur in legitimandis prolibus ex commercio illicito natis vel nascendis; sed etiam, extra hunc casum, dispensatio concedi potest ad obsecundandum desiderio partis moribundæ unionem legitimare cupientis. Ita Roland et Wouters, *Guide pratique de l'officier de l'état civil*, ed. 1902, n. 773.

B/ Dispensatio est impetranda per supplicam ad Procuratorem regium directam; est autem conficienda et subsignanda ab utroque vel alterutro nupturientium, vel etiam a tertia persona, puta parocho vel confessario. De jure recurrendum est *par requête sur timbre*, licet practice admittatur rerursus *par requête sur papier libre.*

Ulterius conandum est ut libello supplici adnectatur *testimonium medici*, testantis alterutram partem in periculo mortis versari; cui tamen testimonio, in urgentissima necessitate, supplere potest attestatio personæ fide dignæ, v. gr. sacerdotis supplicam offerentis.

---

(1) « Avant la célébration du mariage, l'officier de l'état civil fait une publication, un jour de dimanche, à la porte de la maison commune.... L'acte de publication reste affiché à la porte de la maison commune. Le mariage ne peut être célébré avant le dixième jour depuis et non compris celui de la publication ». Art. 1 et 2 de la loi de 1891.

En specimen libelli supplicis ab ipso sacerdote in favorem nupturientium oblati :

*A Monsieur le Procureur du Roi à ....*

*Le soussigné X (nom, prénom, profession, domicile) a l'honneur de vous exposer que le nommé A (nom, prénom, âge, lieu de naissance, domicile et résidence, qualité de majeur ou de mineur, filiation du futur époux) se propose de contracter mariage avec la nommée B (mêmes indications que pour le futur mari) devant l'officier de l'état civil de ....; que les publications et l'affichage, prescrits par les art. 1 et 2 de la loi du 26 Décembre 1891, n'ont pas été faits; que d'autre part A (ou B) est en danger de mort ainsi qu'il conste du certificat médical ci-joint, et qu'il y a donc lieu de craindre que, s'il fallait procéder aux formalités requises par les articles précités, le mariage projeté ne pourrait être célébré;*

*que A et B ont vécu maritalement jusqu'à ce jour et ont le plus grand intérêt à se marier en vue de régulariser leur union, et (ajouter s'il y a lieu) de légitimer un enfant (ou plusieurs) qui leur est né;*

*Pour ces motifs le soussigné Vous prie, Monsieur le Procureur du Roi, aux termes de l'article 7 de la loi du 26 Décembre 1891, de les dispenser de toute publication et de tout délai* (1). — *Date et signature.*

C/ Instrumentum dispensationis præsentetur oportet officiali civili (officier de l'état civil), qui dicto documento, actui matrimonali postea adnectendo, munitus, ad formalitates matrimonii civilis procedere potest, quamvis ex hoc capite non obligetur (2).

Notant autem Auctores prælaudati Roland et Wou-

(1) Si les futurs époux (ou l'un des deux, celui qui est valide) sont les signataires de la requête, ils la rédigeront dans le même sens, avec les variantes nécessaires.

(2) Officialis civilis, uti ex ipsa dispensationis formula innotescit, a Procuratore regio non accipit mandatum sed permissionem; potest proinde operam suam denegare, salva tamen ratione reddenda de modo agendi.

ters, op. cit., n. 775, quod « les tribunaux ne peuvent contrôler les motifs pour lesquels le Procureur du Roi a cru devoir accorder dispense d'une publication de mariage ».

En formulam usurpari solitam in dispensatione elargienda :

*Nous Procureur du Roi près le tribunal de première instance à ...*

*Vu la requête ci-contre;*

*Vu la loi du 26 Décembre 1891 et les autres dispositions applicables;*

*Attendu qu'il existe des causes graves justifiant l'octroi de la dispense sollicitée;*

*Dispensons les impétrants de la publication à faire à ... (ou de toute publication, s'il y en avait à faire dans d'autres endroits* (1);

*Autorisons l'officier de l'état civil de ... à procéder sans autre délai au mariage des dits requérants.*

D/ Matrimonium civile, in nostro casu occurrente, celebrari potest in domo privata futurorum conjugum, quemadmodum id semper licitum est dicendum quotiescumque alterutra pars ad aulam communalem (maison communale) tendere nequit (2).

E/ Ulterius speciales possunt occurrere difficultates, quibus vario modo est obviandum. Ita

1°/ si alterutrius partis parentes adhuc exstant, non potest matrimonium civiliter contrahi absque praevie obtento parentum consensu, vel saltem, si utraque pars majorennis evasit, absque parentum consilio per

(1) Cf. art. 5 et 6 de la loi de 1891.

(2) « Mais il faut toujours que le mariage soit célébré *publiquement*, c'est-à-dire portes ouvertes, car la publicité est un élément essentiel de la célébration du mariage.... il doit être célébré en présence de *quatre témoins*, parents ou non parents ... il faut aussi, sous peine de nullité, que les témoins soient de sexe masculin, mais le mariage ne serait pas nul, si l'un des témoins était mineur ». Roland et Wouters, op. cit., nn. 684 et 687.

actum reverentialem expostulato. Cfr. *Collat.*, VI, pp. 188 et seq.

Ast si periculum est in mora, potest dictæ clausulæ derogari modò parentes probentur absentes vel in impossibilitate versantes hic et nunc manifestandi suam voluntatem, laquelle absence ou impossibilité dans laquelle se trouve l'ascendant de manifester sa volonté « peut être constatée par une déclaration faite par le futur époux dont l'ascendant est incapable (ou absent), et par quatre témoins majeurs de l'un ou de l'autre sexe ». Art. 146 du Cod. civ., modifié par la loi du 8 Mai 1896.

2°/ Major subest difficultas si unus alterve nupturientium est viduus : tunc enim prohibetur officialis civilis quominus ad celebrationem matrimonii deveniat, antequam rite constiterit de statu libero futurorum conjugum ; cum autem status liber authentice sit probandus per actum legaliter attestantem de obitu prioris conjugis, natum est fieri ut matrimonium inde nimiam dilationem patiatur, quotiescumque nimirum mors illa in extero vel distanti loco contigerit.

Attamen videtur quod hoc testimonium legale ac authenticum, si deficiat et ob angustias temporis comparari nequeat, negligere posset officialis civilis, ac fidem adhibere attestationi conjugis vidui, cæteroquin fide digni, asseveranter attestantis priorem compartem obiisse, præsertim si aliorum testificatione comprobetur ; hac enim ratione ex epikeia benigne interpretanda videtur intentio legislatoris, aperte intendentis expeditam reddere ac faciliorem celebrationem matrimonii in extremis.

A. D. S.

# LOI

SUR LES

# UNIONS PROFESSIONNELLES

## (31 MARS 1898).

(*Suite*, voir p. 99 ss.)

ART. 14. — La dissolution de l'Union peut être prononcée par les tribunaux, à la demande du ministère public ou de tout intéressé :

1° Lorsque l'Union ne se conforme pas aux prescriptions des articles 2 et 3 de la présente loi ;

2° Lorsque les biens de l'Union sont employés à un autre objet que celui pour lequel l'Union est formée ; (39)

3° Lorsque la direction de l'Union n'est pas constituée conformément à l'article 4.

(39) Ainsi p. ex. dans le cas où une partie des fonds seraient distraits pour venir au secours d'ouvriers d'une autre Union ou d'ouvriers non syndiqués.

ART. 15. — Sommation d'avoir à se conformer à la loi est notifiée à l'Union préalablement à la demande en dissolution.

Cette sommation est, à la diligence du requérant, publiée par extrait aux annexes du *Moniteur*. Il ne peut être statué sur la demande que trois mois après la date de la publication.

L'instance est instruite et jugée comme en matière sommaire. Le jugement ou l'arrêt qui prononce la dissolution (40) nomme un ou plusieurs liquidateurs (41), s'il n'en est désigné par les statuts.

Un extrait du jugement ou de l'arrêt (42) est, par les

soins du ministère public, déposé au greffe de la commission d'entérinement, pour être publié dans les quinze jours conformément à l'article 6 de la présente loi.

(40) Notons que, même après le préavis de trois mois, la dissolution *ne doit pas* être prononcée, mais *pourra* être prononcée par le tribunal de première instance.

(41) Les statuts peuvent *nommer* les liquidateurs (voir art. 4, 8°) : dans ce cas ce sont les personnes ainsi designées qui auront *toujours* le pouvoir de procéder à la liquidation, dans le cas de liquidation judiciaire aussi bien que dans le cas de liquidation volontaire. Mais si les statuts se bornent à déterminer le seul *mode de nomination* des liquidateurs, sans les désigner d'ailleurs lui-même, ce mode ne devra être suivi que dans le *seul* cas de dissolution volontaire. (Théate p. 94). — D'où il appert que les statuts *doivent* mentionner le *mode* de nomination des liquidateurs éventuels de l'Union, et *peuvent* même les désigner *nominativement*.

(42) Il résulte du mot *arrêt* que la loi réserve aux intéressés l'appel contre la décision du tribunal. La chose a été d'ailleurs expressément reconnue à la Chambre (*Ann. Parlement.*, Ch. des Représ., 1897-98, pp. 162, 163, 174 — Théate p. 93).

Art. 16. — Les Unions professionnelles sont, après leur dissolution, réputées exister pour leur liquidation.

Toutes les pièces émanées d'une Union dissoute mentionnent qu'elle est en liquidation.

Après payement des dettes, l'avoir de l'Union est réparti comme il suit :

Le montant des dons et des legs fait retour au disposant ou à ses héritiers et ayants cause, pour autant que le droit de reprise ait été stipulé dans l'acte constitutif de la libéralité et que l'action soit intentée dans l'année qui suit la publication de l'acte de dissolution (43).

L'actif net, déduction faite, s'il y a lieu, du montant des dons et des legs faits à l'Union, est attribué à une œuvre (44) similaire ou connexe désignée soit par les statuts, soit par une décision de l'assemblée générale.

Cette désignation n'aura d'effet que si l'affectation donnée aux biens est reconnue conforme à la loi par la commission d'entérinement.

Lorsque la destination de l'actif n'a pas été réglée ou qu'elle l'a été contrairement à la loi, les biens de l'Union sont recueillis par l'État pour être affectés à des buts d'enseignement professionnel (45).

(43) Voir plus haut art. 12 alin. 3 et 4.

(44) Il faut entendre ici : à une *Union* similaire ou connexe. (*Ann. Parlem.* Ch. des Représ. 1897-98, pp. 178 s. 564. — *Id.* Sénat, p. 171). L'Union dissoute *peut* la désigner nominativement (Ch. des Représ. *ibid.*).

(45) Dans aucun cas par conséquent la loi n'autorise le *partage* de l'avoir social de l'Union dissoute entre ses membres, afin que la tentation si naturelle de cupidité ne puisse compromettre le but et la durée de l'Union.

Art. 17. — Seront punis d'une amende de 26 à 500 francs :

1° Quiconque fera sciemment une fausse déclaration relative aux statuts, aux conditions prescrites pour l'admission des membres aux actes mentionnés aux articles 5, 7 et 8 ;

2° Tout directeur d'une Union qui ne se conformera pas aux prescriptions des articles 8 et 9 ;

3° Quiconque, après que la dissolution aura été prononcée, participera à la direction de l'Union autrement que pour en assurer la liquidation.

L'article 85 du Code pénal est applicable à ces infractions (46).

(46) L'article 85 en question permet aux juges de tenir compte des circonstances atténuantes.

Art. 18. — Jouissent de la personnification civile dans les limites et sous les conditions qui résultent des dispositions précédentes, les fédérations d'Unions professionnelles (47) composées de personnes exerçant soit

la même profession ou des professions similaires, soit le même métier ou des métiers qui concourent à la fabrication des mêmes produits.

Les Unions fédérées pourront en tout temps se retirer de la fédération moyennant un préavis de trois mois. Les statuts de la fédération détermineront, pour ce cas, le mode de règlement de leurs droits.

Art. 19. — Le gouvernement présentera aux Chambres, tous les trois ans, un rapport relatif à l'exécution de la présente loi.

Promulguons la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'État et publiée par la voie du *Moniteur*.

Donné à Bruxelles, le 31 Mars 1898.

LÉOPOLD.

(47) C'est une extension légitime et naturelle de la personnification civile reconnue aux Unions. Ne peuvent entrer dans la fédération d'U. P. *reconnue*, que les Unions reconnues. Celles-ci toutefois peuvent, avec des Unions non reconnues, constituer une fédération non reconnue.

A. C.

## ANNEXE

## ARRÊTÉ ROYAL

DÉTERMINANT

**l'organisation et le mode de fonctionnement du Conseil des mines, constitué en Commission d'entérinement des Unions professionnelles, ainsi que la forme et les conditions du dépôt et de la publication des statuts de ces Unions.**

—

(30 Juin 1898.)

—

LÉOPOLD II, Roi des Belges,
A tous présents et à venir, Salut.

Vu la loi du 2 mai 1837 portant institution d'un Conseil des mines ;

Vu l'arrêté royal du 30 décembre 1840 portant le règlement d'ordre intérieur du Conseil;

Vu la loi du 31 mars 1898 sur les Unions professionnelles;

Voulant déterminer, conformément à l'article 6 de ladite loi, la forme et les conditions du dépôt et de la publication des statuts des Unions professionnelles, ainsi que l'organisation et le mode de fonctionnement du Conseil des mines, constitué en commission d'entérinement de ces Unions;

Sur la proposition de Notre Ministre de l'Industrie et du Travail,

NOUS AVONS ARRÊTÉ ET ARRÊTONS:

ARTICLE PREMIER. — Le Conseil des mines désigne, d'après les règles et pour le terme établis par le règlement particulier mentionné à l'article 3, les deux membres appelés à constituer, avec le président du Conseil, la Commission d'entérinement des Unions professionnelles. Sauf les cas de force majeure, l'un d'eux doit être un membre effectif du Conseil.

En cas d'empêchement du président, la Commission d'entérinement des Unions professionnelles est présidée par le plus ancien des membres effectifs du Conseil des mines.

ART. 2. — Le greffier du Conseil des mines remplit les fonctions de greffier de la Commission d'entérinement des Unions professionnelles.

ART. 3. — Le Conseil des mines arrête le règlement particulier de la Commission d'entérinement des Unions professionnelles. Ce règlement entre en vigueur après avoir été approuvé par le Ministre de l'Industrie et du Travail.

ART. 4. — Toute Union professionnelle qui désire jouir de la personnification civile adresse une requête, à cette fin, au Conseil des mines.

Cette requête est signée par un ou plusieurs des

membres désignés pour participer à la direction de l'Union ou à la gestion de ses biens; il y est joint deux exemplaires des statuts de l'Union (49) et de leurs annexes, rédigés conformément aux articles 4 et 5 de la loi du 31 mars 1898 (50).

La requête sera, par les soins du greffier, enregistrée, à la date de la réception, sur un registre spécial, et il sera transmis aux réquérants un accusé de réception.

Art. 5. — La décision du Conseil des mines, siégeant en Commission d'entérinement, est précédée d'un rapport écrit par un de ses membres. S'il y a lieu, le président ou le conseiller rapporteur qu'il peut déléguer à cet effet, se met directement en relation avec les requérants ou avec la personne déléguée par eux.

Lorsque le rapport ne conclut pas à l'entérinement pur et simple des statuts, les conclusions en sont notifiées à l'Union.

Dans ce cas le rapport est déposé au greffe, où les requérants ou leur délégué peuvent en prendre connais-

---

(49) Pour les exemplaires des *statuts* à joindre à la demande, les Unions *agricoles* peuvent se servir de statuts — modèles imprimés et gratuitement mis à la disposition des Unions qui en feront la demande, par le Ministère de l'Agriculture et des Travaux publics; elles peuvent y inscrire les modifications qu'elles jugeront utile d'y apporter. Notamment, les ghildes chrétiennes auront soin d'inscrire dans leurs statuts diverses dispositions destinées à donner à l'Union un *caractère chrétien* plus ou moins accentué selon les circonstances. Voir plus haut la note 29. Les dispositions ayant trait au caractère chrétien de l'Union seront en outre utilement expliquées et commentées dans le *règlement d'ordre intérieur* que le Conseil d'administration de l'Union peut élaborer et appliquer (après qu'il aura été approuvé par l'assemblée générale) pour assurer l'exécution des statuts.

Ce caractère religieux est dûment garanti par les statuts-modèles imprimés et envoyés gratuitement sur demande par le *Boerenbond belge* (rue des Récollets, 24, Louvain).

(50) Quant aux *annexes* dont les statuts doivent être accompagnés, les administrateurs de l'Union pourront se borner à remplir le tableau et la formule de déclaration figurant à la suite des statuts-modèles publiés par le Ministère de l'Agriculture et des Travaux publics. Les statuts-modèles préconisés par le *Boerenbond belge* portent également ces annexes.

A. C.

sance ou copie, à leurs frais, dans les quinze jours de la notification des conclusions.

Art. 6. — La Commission entend, si elle le juge utile, les requérants, les affiliés à l'Union ou toute personne déléguée par eux. Les requérants, les affiliés à l'Union ou toute personne déléguée par eux doivent être entendus si, dans le cas prévu à l'article précédent, alinéa 2, ils en ont fait la demande avant l'expiration du délai de quinze jours. Il leur est loisible de remettre à la Commission un mémoire écrit, à l'appui de leurs explications.

Art. 7. — La Commission rend sa décision au plus tard dans les trois mois du dépôt des statuts. Elle peut, en cas de nécessité, proroger de trois mois ce délai par décision motivée et notifiée à l'Union.

Art. 8. — La décision, dûment motivée, portant entérinement ou refus d'entérinement des statuts, est notifiée à l'Union dans les quinze jours.

En cas d'entérinement, la publication des statuts et de leurs annexes au *Moniteur* a lieu, conformément à la loi, par les soins du greffier. Il est fait mention de la formalité et de la date de l'entérinement.

Art. 9. — Le dépôt, l'entérinement et la publication des actes portant modification des statuts, dissolution volontaire de l'Union ou affectation de l'actif net de l'Union dissoute à une œuvre similaire ou connexe ont lieu conformément aux dispositions des articles qui précèdent.

Art. 10. — Les actes portant modification du personnel de la direction ou de la gestion d'une Union sont déposés au greffe en double exemplaire. La décision à intervenir est rendu par la Commission, dans le mois du dépôt, sur simple rapport verbal de l'un des conseillers. Cette décision est motivée ; elle est notifiée à l'Union dans les quinze jours. L'acte entériné est publié au *Moniteur*, le cas échéant, par les soins du greffier ; il est fait mention de la formalité et de la date de l'entérinement.

Art. 11. — Les notifications prévues aux dispositions qui précèdent se font, à la diligence du président, par simple lettre adressée au lieu du siège de l'Union. Le greffier en garde minute.

Art. 12. — Les dispositions du présent arrêté s'appliquent au dépôt, à l'entérinement et à la publication des actes relatifs aux fédérations d'Unions professionnelles qui peuvent obtenir ou ont obtenu le bénéfice de la personnification civile.

Art. 13. — Le Conseil des mines transmet à l'Office du travail, en vue de l'établissement de la statistique des Unions professionnelles, les comptes qui lui sont adressés par les Unions en conformité de l'article 8, 1° de la loi du 31 mars 1898.

Art. 14. — Le Conseil des mines adresse, tous les ans, au Ministre de l'Industrie et du Travail, un rapport relatif à l'exécution, en ce qui le concerne, de la loi du 31 mars 1898 ainsi que du présent arrêté.

Art. 15. — Notre Ministre de l'Industrie et du Travail est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Bruxelles, le 30 Juin 1898.
LÉOPOLD.

Par le Roi :
*Le Ministre de l'Industrie et du Travail,*
A. Nyssens.

# Pensions de vieillesse

**Communications importantes.**
**Primes d'encouragement. Subvention annuelle de 2 francs.**

I. *Art. 5 et 10 de la loi du 10 mai 1900.* Nous rappelons instamment aux sociétés mutualistes reconnues, qu'en vertu de l'art. 1er de l'arrêté royal du 20 février 1901, modifié par celui du 28 octobre 1901, elles doivent faire parvenir au Ministère de l'Industrie et du Travail **avant le 31 mars** de chaque année, en vue de la participation aux avantages de la loi du 10 mai 1900:

1° Un exemplaire du compte de leurs opérations pendant l'année précédente, clôturé au 31 décembre et dressé d'après le modèle arrêté par le Gouvernement;

2° Les tableaux dûment remplis conformément aux prescriptions de l'art. 2, de l'arrêté royal du 20 février 1901 et aux modèles y annexés;

3° La déclaration, signée par le président, le secrétaire et le trésorier, et certifiant la sincérité et l'exactitude des renseignements fournis sur chaque tableau.

Des exemplaires des tableaux A, B et C, destinés à mentionner les versements qui ont été opérés en 1901 à la Caisse de retraite sur les livrets des membres, ont été envoyés aux sociétés reconnues, ensemble avec la circulaire ministérielle du 10 janvier 1902.

Afin que l'allocation des primes ne soit pas retardée, le Ministère demande que les documents mentionnés ci-dessus, et *qui doivent lui être transmis le 31 mars au plus tard, lui soient envoyés le plus tôt possible.*

II. *Art. 1er (1°) de la loi du 10 mai 1900.* Aux termes de cet art. (1°) les primes annuelles d'encouragement sont accordées « aux personnes assurées à la Caisse générale de retraite sous la garantie de l'État par

l'intermédiaire d'une société mutualiste reconnue par le gouvernement, à condition que le montant des versements effectués par elles ne dépasse pas 60 francs pour l'année entière ». Il est à remarquer que les sommes versées par les mutualités au moyen de leurs fonds sociaux, soit par les patrons *ou des tiers autres que les pouvoirs publics*, n'entrent pas en ligne de compte pour établir ce chiffre annuel maximum de 60 francs.

En outre, la circulaire ministérielle du 10 janvier 1902 contient cette *importante disposition*. « Les membres qui ont fait des versements au-delà du maximum de 60 francs, peuvent être admis au bénéfice des primes d'encouragement, en justifiant qu'ils ne sont pas atteints par l'exclusion établie à l'art. 2 (montant des impôts directs, patentes comprises) ; les sociétés mutualistes auront, en ce qui concerne ces affiliés, à joindre aux tableaux A et B le certificat du receveur des contributions prévu à l'art. 4, n° 2, de l'arrêté royal du 20 février 1901. » — Ce certificat constate le montant des impôts directs que les affiliés paient au profit de l'État, y compris les impôts payés par leur conjoint et leurs ascendants avec lesquels ils habitent.

III. *Art. 2, dernier al. de la loi du 10 mai 1900* (1). La circulaire ministérielle du 10 janvier 1902 énumère notamment parmi *les agents de l'État qui ont droit à une pension de retraite en vertu des lois et règlements qui les régissent, et, qui par conséquent, ne peuvent prétendre aux primes d'encouragement :*

« Les professeurs et instituteurs des athénées royaux et des écoles moyennes de l'État, les percepteurs, sous-percepteurs, commis et facteurs des postes, les chefs de station, les agréés dans les stations, les télégraphistes, les commis et les auxiliaires télégraphistes, les chefs-gardes, gardes-convois, les commis et employés des chemins de fer, les géomètres du

(1) Voir *Collat. Brug.* Tome VI, p. 535 ss.

çadastre, les pontonniers, les éclusiers, les gardes-déversoirs, les douaniers, les accisiens, les gendarmes, les brigadiers, gardes, agents et préposés de l'administration forestière, les surveillants des prisons, des écoles de bienfaisance et des asiles d'aliénés de l'État, etc.

Les femmes et les enfants des agents dont il s'agit ci-dessus ne sont **pas exclus** des primes à raison de la fonction exercée par le chef de famille. Ils pourront, suivant leur âge, être inscrits sur les tableaux A ou B.

Les ministres des cultes dont les traitements ou indemnités sont à charge du Trésor public, ne sont **pas admis** au bénéfice des primes d'encouragement, bien qu'ils ne soient pas agents de l'État, au sens littéral et usuel de cette expression. »

Sont, au contraire, admissibles aux primes d'encouragement :

« Les agents de l'État qui n'ont pas droit à une pension de retraite en vertu des lois et règlements qui les régissent, mais qui, lorsqu'ils sont devenus incapables de travail, reçoivent des secours à charge des caisses spéciales alimentées au moyen de retenues sur les salaires. Tels sont : les cantonniers, les ouvriers des chemins de fer de l'État, notamment : le garde-excentrique, le serre-frein, le garde-salle, le chargeur des machines, le garde-block, le veilleur, le visiteur de wagons, le garde-barrière, le surveillant à l'arsenal, l'électricien, l'agent réceptionnaire, le machiniste, le chauffeur, le piocheur, le charpentier, le peintre, le maçon, le forgeron, l'ajusteur, le ferblantier-chaudronnier, etc. Il en est de même des ouvriers ressortissant au Département de la Guerre et attachés à l'arsenal de construction, à l'école de pyrotechnie, à la fonderie de canons, à la manufacture d'armes et aux magasins de couchage.

Les secrétaires, receveurs, professeurs et instituteurs communaux ne sont pas considérés comme étant compris sous la dénomination « Agents de l'État ».

A. C.

# Ex S. Pœnitentiaria.

## De Valore in Conscientia testamenti circa causas pias formis a lege civili præscriptis destituti.

Petrus, recens defunctus, in testamento ad causas profanas, legatum reliquit mille florenorum in favorem causæ piæ. Testamentum illud, utpote destitutum solemnitate quadam extrinseca de jure civili requisita, prorsus nullum est. Rescisso testamento, Joannes, qui uti hæres ab intestato hæreditatem adivit, relictum pium mille florenorum præstare omnino recusat, provocando ad sententiam Emi d'Annibale: « Quamdiu S. Sedes loquuta non fuerit, existimo non oportere inquietare eos qui, extra ditionem Pontificiam, non præstant relicta ad causas pias in testamento irrito ex jure civili. »

Utrum Joannem obligare possim et debeam sub denegatione absolutionis ad exsolvendum hoc relictum pium?

R. Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, respondet: Praxim hujus S. Tribunalis in similibus casibus esse ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiæ; facile tamen admittuntur hæredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa cui legatum est.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 10 Januarii 1901.

B. Bompili, *S. P. Datarius.*
R. Celli, *S. P. Substitutus.*

**Adnotationes.** Hoc responso confirmatur doctrina Canonistarum ac Theologorum (1) communissima (2) et certa quæ tenet valere in foro interno *quoad legata pia*, testamentum formalitatibus a lege civili ad validitatem

(1) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, l. c. Addi possunt plures alii tùm antiquiores tùm recentiores inter quos: Wernz, *Jus decretalium*, l. III, n. 279. — Theol. Mechl. *Tract. De jure et just. et de Contr.* 1896, p. 297 s. — Génicot, *Theol. mor.* 1896, I, p. 703 s. — *Rev. théol. franç.* 1901, p. 516 ss.

(2) Jam Reiffenstuel suo tempore scribebat: « Hodie ferme omnes tam civilistæ quam canonistæ ac theologi; ità ut hæc conclusio hoc tempore sit extra controversiam ». (III, 26, n. 138).

requisitis destitutum, adeoque hæredes in conscientia teneri ad implenda legata pia in testamento defectu formæ irrito præscripta.

Testamenta ad causas pias exclusive legibus ecclesiasticis subesse, sequitur e jure quod Ecclesiæ competit bona temporalia independenter a statu acquirendi et possidendi in ordine ad finem suum proprium.

Jus autem ecclesiasticum, ad quod jure proprio et nativo exclusive spectant causæ piæ, præfata testamenta valida decernit dummodo certo constet de voluntate testatoris. De ea autem constat sive per scripturam ipsius indubitatam, sive per verba ex ipso audita aliove modo simili, sive etiam per testes: quo ultimo tamen in casu, nimirum si certitudo acquirenda sit *unice* ex aliorum testimonio, non tenetur hæres in suum præjudicium credere uni testi, quamvis probatissimo, sed ut ad hoc teneatur saltem requiruntur duo, sive masculi sive fœminæ, cùm in cap. *Relatum* (Decr. l. 3, t. 26) expresse dicatur : *tribus aut duobus testibus requisitis.*

Em. d'Annibale (1), argumentis valde infirmis (2) nixus, valorem universalem cap. *Relatum* in dubium revocavit, ità ut ad opinionem in tenore decreti expressam et communissimæ sententiæ contrariam devenerit. Illam autem singularem opinionem (3), cui nimis favere videtur cl. Boudinhon (4), ut improbabilem habendam esse ducimus.

---

(1) *Summula Theol. Mor.*, T. II, n. 339. n. 30.

(2) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, T. XXVIII, p. 137 ss.

(3) Ipsi patrocinatur Haine, *Theol. mor. elem.* De Contr., n. 53. Carrière, *De Contract.*, n° 586, illam sententiam etiam propugnabat, invocans non quidem ut d'Annibale consuetudinem universali legi contrariam, verùm art. 58 constitutionis regalis anni 1735, quod jus gallicum utpote obsoletum et juri ecclesiastico manifeste contrarium in subsidium vocare hodie vellet nemo.

(4) In periodico « *Le Canoniste contemporain* », 1901, p. 734 s. « L'on comprend la note du Cardinal d'Annibale, laquelle demeure parfaitement exacte après la réponse de la S. Pénitencerie »; quibus verbis etiam subscribere videtur « *La Revue ecclésiastique de Metz* » 1902 p. 58.

Etenim 1° Immeritò omnino Card. d'Annibale vim obligatoriam universalem cap. *Relatum* in dubium vocavit. Nam licet decretum Alexandri III (a Gregorio IX in corp. jur. Cap. *Relatum* insertum) missum fuerit ad judices Veliternos Ditionis pontificiæ, ratio ab ipso Pontifice in ejus favorem invocata, ipsam tradit doctrinam communem vi cujus, testamenta ad causas pias formis civilibus destituta, ex hoc defectu non sint invalidá, nempe: « quia *hujusmodi causæ de judiciis Ecclesiæ,* non secundum leges, sed secundum canones debent tractari ». Quod principium universim et ubique vigere nemo negabit.

2° Præterea decretum Alexandri III vim obligandi etiam extra ditionem pontificiam obtinuisse et hodiedum obtinere certissime constat. Imprimis, ut ipse Card. d'Annibale testatur, ex consuetudine universali: « atque ex eo tempore posthabito (ceu tunc mos erat) jure communi, testamenta hujusmodi rata habita sunt, nedum in Ditione pontificia, sed fere ubique locorum ». Præterea Gregorius IX prædictum decretum in *Corpore juris* inseruit, volens, ut ipse in Bulla præfatoria ait, « ut hac tantum compilatione *universi utantur in judiciis et in scholis* ». Unde de ejus vi obligandi universali dubitari jam nequit. Neque leges civiles huic decreto universali contrariæ ejus vim obligandi irritam reddiderunt (1), neque probabile est eamdem legem universalem contraria consuetudine, debitis stipata conditionibus, fuisse abrogatam (2).

Scribit cl. Boudinhon: aliud principium esse invocandum, nempe legem civilem determinatas formali-

---

(1) Ut probat *Nouv. Rev. Théol. l. c.*, ostendens in casu non posse invocari principium « *qui tacet consentire videtur* » quia procul dubio in casu deficit conditio requisita, nimirum ut Ecclesia *efficaciter* loqui possit.

(2) Unde parum recte scribit Boudinhon. *l. c.*: « le maintien des legs pieux au for de la Conscience n'a pas pour cause la décrétale d'Alexandre III, mais bien l'équité naturelle, corroborée par la faveur juridique dont jouissent les *causæ piæ* ».

tates sub pœna nullitatis aut inexistentiæ in conficiendis testamentis præscribere posse, atque hujusmodi dispositiones legales etiam in foro conscientiæ valere ità ut hæres ab intestato, post declarationem nullitatis testamenti, legitime acquirere ac possidere possit defuncti bona. Quod principium in causis civilibus et legatis profanis esse attendendum minime inficiamur (1). At profectò affirmari nequit, — nisi supponatur quod in quæstione versatur, — hanc potestatem agnoscendam esse statui civili relate *ad causas pias*. Statum civilem hac potestate *jure nativo et proprio* pollere omnes negant, nec ullum dictæ potestatis fundamentum ostendi potest.

3° Eamdem disciplinam immutatam adhuc in Ecclesia vigere patet ex variis decretis romanis v. gr. ex responsione a S. Pœnitentiaria die 23 jan. 1844 Andegavensi canonico facta, qua declaravit hæredem *teneri in conscientia* ad implendam piam voluntatem testatoris certo cognitam *e scripto privato* legatario universali tradito.

Quis autem negare posset responsum præsens communissimæ sententiæ favere, quippe quod expresse dicat: « Praxim hujus sacri tribunalis in similibus casibus esse ut generatim legata pia habeantur *ut valida et obligatoria in foro conscientiæ* ».

Neque arguat quis e voce « generatim ». Nam, ut e præcedentibus abunde liquet, legata pia — dummodo de voluntate testantis certò constet, — vel semper valida vel nunquam valere dicenda sunt. Dixerit autem S. Pœnitentiaria « generatim », quia in « similibus casibus » fieri potest quod de voluntate testatoris non ità certo constet. Utique S. Pœnitentiaria proposito dubio non directe respondet neque singularem quorumdam opinionem damnat, sed potius propriam suam

(1) Quid resolvendum sit tùm respectu hæredis ab intestato, tùm ipsius legatarii, circa valorem testamenti destituti formis a lege civili præscriptis, vide apud Ill^m ac Reverend^m Waffelaert. *De Justitia*. Brugis 1885, Tom. I, p. 412 ss.

agendi rationem seu *praxim* in hac materia indicat, quæ praxis indubie sententiæ communissimæ aperte favet.

Neque videmus quomodo, in certis casibus, confessarius pœnitentem sub denegatione absolutionis ad exsolvendum relictum pium vel saltem ad compositionem cum pia causa faciendam obligare non deberet (1). Interim pro praxi insuper observandum est caute agendum esse cum talibus hæredibus, idque juxta principia communia circa opportunitatem monendi vel non monendi pœnitentes.

A. C.

# Ex Sacra Congr. Rituum

## I

## VALLIS VIDONIS.

R^mus^ D^nus^ Henricus Sauvé, Canonicus et Magister Cæremoniarum Ecclesiæ Cathedralis Vallis Vidonis, de consensu R^mi^ sui Episcopi, humillime petiit, ut a Sacra Rituum Congregatione insequentia dubia benigne solvantur, et nimirum:

I. Utrum Missa votiva de Sacro Corde Jesu, per decretum *Urbis et Orbis*, diei 28 Junii 1889, indulta, dici possit Feria VI, quæ prima in Januario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniæ?

II. Utrum in Vesperis coram SS. Sacramento exposito cantatis debeat Hebdomadarius a principio induere stolam, ratione incensationis SS. Sacramenti ad *Magnificat* faciendæ: et quatenus negative, utrum debeat saltem ad *Magnificat*?

III. Utrum Dominica III Adventus et Dominica IV Quadragesimæ paramenta coloris rosacei adhiberi possint

(1) Contrà Boudinhon, *l. c.* « On doit donc, dans les cas analogues, s'efforcer d'obtenir l'exécution du legs; si l'on rencontre une résistance, suggérer le recours à la S. Pénitencerie pour composition; on ne saurait aller, ce semble, jusqu'au refus de l'absolution ».

non tantum in Missa solemni, sed etiam in Missis privatis et in Officio de Dominica?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. Stetur Rubricis et Decretis.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, S. R. C. *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Adnotationes.** Ad I. In decreto 28 Junii 1889 quo indulgetur ut in ecclesiis et oratoriis feria sexta quæ prima in unoquoque mense occurrit, sub quibusdam conditionibus, (1) celebrari possit missa votiva de SS. Corde Jesu, excipiuntur dies in quibus incidit « aliquod *festum Domini* (2), aut duplex primæ classis, vel feria, *vigilia*, octava ex privilegiatis ». Quærebatur ab auctoribus utrum hæc missa licita sit in Vigilia Epiphaniæ; alii affirmabant, alii negabant (3). Ex his quidam eam prohibitam putabant, quia Vigilia Epiphaniæ censetur privilegiata; quidam autem, quia vigilia Epiphaniæ considerari debet ut festum Domini. Sacra Congregatio præsenti decreto solvit quæstionem juxta sententiam negativam, quin tamen rationem aperiat ob quam hæc missa in prædicta vigilia prohibita dicenda sit. Nobis videtur impediri hanc votivam in casu, non propter vigiliam privilegiatam, sed potius quia Vigilia Epiphaniæ inter festa Domini recenseri potest vel saltem ejus Officium et Missa ad Dominum pertinet.

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen.* 1896, p. 571 et seq.

(2) Cfr. *Collat. Brugen.* 1896, p. 268.

(3) Vide *Ephem. liturg.* 1892, p. 285; 1899, p. 330; 1900, p. 178 et 379; Ill. Van der Stappen, *de rubricis Missalis*, q. 294; Coppin-Pourbaix, *Sacræ liturgiæ Compendium*, nº 262.

1° Dicimus non prohiberi propter vigiliam privilegiatam. Vigilia hæc certe inter majores annumeranda est quæ, sicuti feriæ quadragesimæ et adventus, occurrente etiam officio solemniori, semper commemorationem retinet (Rub. gen. VI-2); habet officium ritus semiduplicis, ideoque Dominicæ æquiparatur; prohibet, sicuti duplex et Dominica, missas *de Requie* quotitidianas et votivas privatas (1); sed eam inter privilegiatas esse computandam quidam negant (2), certum autem est eam non eodem gradu esse privilegiatam ac vigilias Nativitatis et Pentecostes, quæ nulli festo etiam duplici primæ classis cedunt, prohibent missas *de Requie* anniversarias vel æquivalentes et missas votivas non tantum privatas sed etiam solemnes *pro re gravi*. Quum autem Vigilia Epiphaniæ admittat festa, non tantum duplicia primæ vel secundæ classis, sed duplicia etiam minora, necnon missas votivas *pro re gravi* et missas anniversarias defunctorum, non videtur ratio cur in ea ex hoc capite prohiberetur missa votiva de SS. Corde, quæ speciali indulto concessa ad instar votivæ solemnis (3), celebrari potest etiam in duplice secundæ classis.

2° Eam autem missam votivam potius prohiberi opinamur, quia Vigilia Epiphaniæ est festum Domini, seu æquiparari festo Domini potest et debet. Ipsa enim habet officium ritus semiduplicis, quod nullam rationem diei pœnitentiæ præ se fert sicuti generatim in aliis vigiliis, sed est festivum de octava Nativitatis Domini; Missa autem idem mysterium Nativitatis vel Infantiæ Domini celebrat. Considerari ergo potest hæc vigilia ut prorogatio festorum Nativitatis. Unde cum missa votiva SS. Cordis, juxta decretum 28 junii 1889, non permittatur in festis Domini, ideo prohibetur in Vigilia Epiphaniæ, quia ipsa missa diei est missa festiva Domini Jesu vel ad Ejus personam pertinens.

---

(1) Cfr. dec. 10 dec. 1718, n° 2256.

(2) *Ephem liturg.* 1899, p. 324.

(3) Decr. 20 maii 1890, n° 3731

Ad II. Rubricæ Cæremonialis Episcoporum, lib. II, cap. 1, nº 4 et cap. II, nº 1, inter paramenta induenda *ab Episcopo* solemniter celebrante Vesperas, præscribunt *stolam a collo pendentem;* quando autem agitur de Vesperis in ecclesiis Cathedralibus absente (seu non celebrante) Episcopo, vel in Collegiatis, idem Cæremoniale cap. III, vult ut Canonicus hebdomadarius « paretur pluviali coloris tempori convenientis super rochetto, si eo utatur, aut super cotta », nullam autem mentionem facit de stola. Sacra vero Congregatio decreto 4 Aug. 1663 (nº 1275 ad 3) dubio proposito, utrum hebdomadarius debeat semper in Choro uti stola, vel absque ea peragere sua officia, cum Cæremoniale Episcoporum nullam de stola mentionem faciat in decantandis horis canonicis, respondet: « non debet uti stola ». Et decreto 11 Sept. 1847 (nº 2956 ad 5) dubio: Num celebrans, ubi non est obligatio Chori, in Vesperis festivis vel votivis possit stolam induere, quum sit veluti præeminentiæ signum in Choro, maxime in ecclesiis ruralibus, respondetur item « negative, juxta alias decreta ». Usus ergo stolæ (extra officium pontificale) in Vesperis interdicitur. Si tamen cum Vesperis immediate conjungitur quædam functio pro qua stola præscribitur, hac indui potest celebrans ab initio istius officii. Ita juxta decretum 19 Sept. 1883 (nº 3593) licet sumere stolam « si ante Vesperas fiat Expositio SS. Sacramenti et Benedictio immediate illas sequatur ». Sed ratione incensationis SS. Sacramenti ad *Magnificat* faciendæ nullo modo requiritur usus stolæ.

Ad III. De colore rosaceo hæc habet Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. XIII, nº 11: « In tertia Dominica (Adventus)... paramenta altaris et celebrantis adhiberi solent aliquanto sumptuosiora sed coloris violacei, *in defectu rosacei* »; et cap. XX, nº 3 ad eadem verba appellat, ubi agit de paramentis altaris et ministrorum adhibenda in Dominica quarta Quadragesimæ *(Lætare)*. « Color rosaceus est violaceo clarior et quo-

dammodo tendit in rubrum... Iste color rosaceus in nostris regionibus ignotus est et non usuvenit » (1). Cæterum verba Cæremonialis præceptum illo colore utendi non important; præsens autem decretum tantum rescribit illum præfatis Dominicis adhiberi posse non tantum in missa solemni, sed etiam in missis privatis et in officio de Dominica (2).

H. V. D. W.

## II

## PLOCEN.

R^mus D^nus Episcopus Plocensis Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium, pro opportuna solutione, humillime proposuit, super ministro, qui juxta decretum *3377*, *Baionen.*, 25 Septembris 1875, in Missis cum cantu sine ministris, folia vertit, Calicem discooperit, ipsumque mundat, vinum et aquam infundit, eumdemque Calicem infra actionem palla cooperit et discooperit, juxta opportunitatem, nec non ipsum tergit post Communionem suisque ornamentis instruit, nimirum: Utrum iste minister debeat esse in Sacris constitutus?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit: « *Affirmative*, si debeat etiam Calicem abstergere. »

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, S. R. C. *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Adnotatio.** Missa cantata, de qua in hoc decreto, dicitur « ea quæ media inter solemnem et privatam de utraque participat: cum solemni habet cantum; cum privata vero convenit in hoc quod incensum in ejus celebratione non adhibetur et quod celebratur sine

(1) Ill. Van der Stappen, *de Celebratione Missæ*, q. 121, II, (nov. edit. 1902).

(2) Cfr. *Ephemer. liturg.* 1900, p. 355 et 1901, p. 98.

ministris sacris Diacono et Subdiacono; de cætero a privata plerosque mutuatur ritus » (Ill. Van der Stappen, *de celebr. missæ*, q. 274). De hac missa cantata habet Missale (*de ritu celebr.* tit. VI, 8): « Si quandoque celebrans cantat missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantet in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum celebrantis; Evangelium autem cantat ipse celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missæ cantet *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace*, pro temporis diversitate ». Juxta autem decretum 23 Aprilis 1875 *in Lisbonen* ». « Si nullus sit *Clericus* inserviens qui superpelliceo indutus Epistolam decantet juxta rubricas, satius erit quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante » (1). Missale designat Lectorem pro cantu Epistolæ, auctores tamen, ut De Herdt (2), *Ephemerides liturg.* (3), Erker (4) innixi variis decretis et in specie supracitato *in Lisbonen.*, quod loquitur de *Clerico* inserviente, censent licite posse quemcumque clericum, quamvis sit tonsuratus tantum, hoc munere fungi in missa cantata. Insuper in missa cantata adhibere ministrum, qui plura agat quæ in missa solemni fiunt a Diacono et Subdiacono, permittit decretum nº 3377 *Baionen.* 25 Sept. 1875 de quo in dubio supra relato in *Plocen.*: « An celebrans missam cum cantu sine ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et *ministrum qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, necnon ipsum tergat post communionem, suisque ornamentis instruat;* vel celebrare debeat, ut in missis sine cantu, omnia supra enuntiata a semetipso peragendo et non ope

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1898, p. 63.
(2) Tom. III, nº 300.
(3) 1894, p. 426.
(4) *Enchiridim liturgicum*, nº 240.

ministri »? R. « Affirmative, ad primam partem; negative, ad secundam » (1). Cum autem juxta hoc decretum minister quasi partes Diaconi simul et Subdiaconi agat, jure merito quæritur utrum hoc ministerio fungi possit Acolythus vel simplex Clericus tonsuratus. Ad hanc quæstionem respondet supra datum novum decretum *Plocen.* rescribendo ipsum debere esse in sacris constitutum, « si debeat etiam calicem abstergere ».

Ex præcedentibus ergo sequitur in missa cantata sine Diacono et Subdiacono posse adhiberi ministrum, qui *superpelliceo indutus* cantet Epistolam et assistat celebranti, folia vertendo, calicem cooperiendo vel discooperiendo, vinum in calicem fundendo et etiam calicem abstergendo, dummodo sit in ordine Presbyteratus, Diaconatus vel Subdiaconatus constitutus; secus ipse celebrans abstergere calicem debet.

Quod autem permittitur in missa cantata prohibetur in missa privata. Sacra enim Congregatio Rituum ad dubia proposita: « An in missis privatis permitti possit ministro aperire Missale et invenire missam? An in iisdem missis privatis permitti possit ministro, si fuerit Sacerdos, Diaconus vel Sudiaconus, ut præparet calicem et ipsum extergat in fine post ablutionem sicut in Missa solemni »? Respondit « negative et serventur Rubricæ ». (Decr. 7 Sept. 1816 in *Triden.* ad 5 et 6). Quæ prohibitio tamen intelligitur pro simplice sacerdote non autem pro Episcopis, qui juxta *Cæremoniale Episcoporum*, lib. I, cap. XXIX, in Missa privata uti possunt ministerio duorum capellanorum.

H. V. D. W.

---

(1) In anteriori editione decretorum ad propositum dubium respondetur simpliciter: Affirmative. Unde quædam obscuritas oriri poterat circa sensum responsi. Hæc autem obscuritas evanuit in nova collectione authentica in qua datur responsum: affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III

DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum est: Utrum in sacris functionibus, quæ ut plurimum horis vespertinis fiunt in Ecclesiis vel Oratoriis publicis cum expositione Ss^mi Eucharistiæ Sacramenti, liceat, uti mos est antiquus in pluribus Ecclesiis etiam Urbis, cantare Litanias B. M. V. Lauretanas per trinas invocationes, respondente quartam fideli plebe; atque ita ex ordine explere ultimam invocationem *Regina Sacratissimi Rosarii, Ora pro nobis?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ respondendum esse censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1901.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# Consultationes.

I

Quum in sermone quodam concionatorem audiverim docentem B. Mariam nullum unquam potuisse peccatum committere ratione Immaculatæ Conceptionis, quæro utrum recte dici possit: B. M. V. *ideo* fuit impeccabilis *quia* immaculata in sua conceptione?

R. *Negative.* Etenim immaculata conceptio nec *physice* impeccabilem reddit, nec *exigitive.*

1. Dogma Immaculatæ Conceptionis B. M. V. hoc dicit quod B. M. V. fuit in primo instanti suæ conceptionis preservata immunis ab omni originalis culpæ labe (1). Porro « ratione habita præsentis ordinis in

(1) V. Denzinger, *Enchiridion,* n. 1502.

quo nullum est medium inter statum peccati et statum supernaturalem gratiæ, ideoque peccatum per solam gratiam excluditur, immunitas a culpa originali non negativo tantum modo, sed positivo accipienda est, nempe per sanctitatem infusam. Quare qui dicit B. V. in primo instanti suæ conceptionis fuisse immunem a culpa originali, is dicit B. V. in primo instanti existentiæ fuisse sanctam sanctitate supernaturali... » (1).

Præter hanc veritatem definitam, tanquam certum tenent omnes theologi B. V. per totam vitæ durationem fuisse immunem ab omni motu concupiscentiæ, sc. ab omni motu inordinato virium inferiorum, et saltem probabilissimum est in B. V. a primo instanti suæ conceptionis fomitem ipsum fuisse *extinctum dono integritatis* (2).

Jamvero nec gratia sanctificans, nec virtutes infusæ, nec dona Spiritus Sancti reddunt hominem physice impeccabilem, ut constat tum ex ipsa ratione talium donorum, tum ex ipso facto quod multi, talibus ornati donis, peccant. Nec quia hæc dona *in primo instanti conceptionis* infunduntur ideo homo evadit physice incapax peccati committendi: etenim illud speciale adjunctum consistens in tempore infusionis gratiæ non mutat ejus rationem; præterea Adam, saltem probabilissime, a primo instanti creationis gratia fuit ornatus et nihilominus peccavit; saltem certissimum est Adam nunquam peccavisse ante infusionem gratiæ: igitur immunitas ab omni peccato in primo instanti existentiæ non facit hominem physice impeccabilem.

Sed nec hoc facit donum integritatis, ut patet ex consideratione earumdem rationum quas supra exposuimus. — Hîc tamen hoc notandum occurrit quod secundum sententiam S. Thomæ, cui omnino adhæren-

(1) Palmieri, *De Deo Creante et Elevante*, p. 666.

(2) Cfr. Palmieri, op. c. Thes. XC; Mazzella, *De Deo Creante*, n. 1136 et sqq. Lambrecht-Haelterman, *De Deo Creatore*, p. 777.

dum censemus, « homo in statu innocentiæ non potuit peccare *venialiter* antequam integritatem primi status amitteret, peccando mortaliter » (1). Et ratio hujus est donum integritatis quo vires inferiores semper continebantur sub superiori (2).

Inde etiam in B. M. V. propter donum integritatis ipsi collatum, fuit physice impossibile ut committeret peccatum veniale antequam committeret peccatum mortale; sed ut ex supra dictis constat, ex facto immaculatæ Conceptionis non redditur B. V. physice incapax committendi peccatum mortale.

2. Nec Immaculta Conceptio est de se ratio *exigitiva* impeccabilitatis: omnis enim pura creatura, quamdiu non intuitive videt Deum, est de se capax committendi peccatum mortale: inde ex hoc ipso quod aliquis a primo instanti existentiæ sit, in præsenti Providentiæ ordine, immunis ab originali peccato, non sequitur ipsum etiam immunem fore ab omni peccato actuali: imo factum peccati Adami opponitur omnino huic consequentiæ.

*Ad responsum complendum* duo utilia notatu videntur: 1. Si *ordo logicus*, sc. nostræ cognitionis, spectetur, ex ipsa notione confusa perfectæ puritatis et sanctitatis qua omnis peccati labes excluditur *logice* deducitur immaculta conceptio (3): sed non e converso: sc. ex notione immaculatæ Conceptionis nequit deduci immunitas ab omni peccato actuali.

2. In B. M. V. immunitas ab omni peccato actuali non aliter est explicanda quam per *complexum donorum Dei*, et *plenitudinem* gratiæ acceptæ nempe « per ea Spiritus Sancti adjutoria sub quibus prævidebatur semper inhæsura Deo ut fini ultimo » (4).

J. V. D. M.

---

(1) I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 3.

(2) Quoad hujus asserti explicationem, cf. Billot, *De Natura et Ratione Peccati personalis*, p. 112.

(3) Hoc argumentum exponit Palmieri op. c. Thes. LXXXV.

(4) Billot. *De Natura et Ratione Peccati personalis*, p. 116.

II

**Quæritur.** Inter casus, in diœcesi Brugensi, juxta novam disciplinam, reservatos, occurrit sub n° 7 *sacrilega libido*. Circa quem casum dubitatur:

1°/ utrum ad reservationem requiratur ut mulier cum qua peccatur sit professa in congregatione religiosa in qua emittitur votum castitatis *perpetuum*, idque conjunctum cum duplici voto perpetuo obedientiæ et paupertatis;

2°/ utrum ad hunc effectum sufficiat necne congregatio *auctoritate Episcopi* erecta et approbata.

**Respondetur.**

**Ad 1m**, respondetur *affirmative*. Reservationi namque obnoxia dicitur sola copula *sacrilega*, habita scil. cum persona *sacra*. « Hic autem sacræ dicuntur personæ illæ quæ ad castitatem servandam *publica auctoritate* Deo consecrantur, sive in receptione Ordinis sacri, sive in admissione *ad statum religiosum* ». Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 335, collato n. 336, collatisque Ballerini-Palmieri, *Opus Morale*, II, n. 135 et seq., ac Suarez, *De Virtute Religionis*, l. III, cap. II, n. 1.

Jamvero ut quis auctoritate publica Deo consecretur *in statu religioso*, adeoque ex hoc capite persona *sacra* dicatur et sit, oportet ut triplex laudatum votum castitatis, obedientiæ et paupertatis *in perpetuum* emittatur, et ab Ecclesia acceptetur in congregatione ab eadem Ecclesia approbata.

Triplex nimirum votum perpetuum ad essentiam pertinet status religiosi; approbatio vero Ecclesiæ, si non est de essentia, certum est apud omnes quod, in præsenti saltem disciplina, ad statum religiosum requiratur (1). Neque sufficit ut votum emittatur in congregatione approbata, sed debet ab Ecclesia acceptari, ut perficiatur consecratio publica auctoritate facienda;

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Comp. Jur. Canon.*, n. 580.

quæ voti acceptatio non est confundenda cum congregationis approbatione. Cf. Lehmk., *Theol. Mor.*, I, n. 494.

Unde non subjacent reservationi copulam habentes cum muliere professa, pertinente ad congregationem ab Ecclesia non approbatam, vel in qua « ad tempus dumtaxat vovent, vel uno alterove perpetuo voto, non autem triplici sese adstringunt, vel tria perpetua vota privatim emittunt, quæ a nullo Dei et Ecclesiæ nomine acceptantur » (1). Cf. De Brabandere-Van Coillie, op. cit., n. 571.

Attamen non est restringenda personæ sacræ denominatio ad solos professos in ordine votorum *solemnium*. Quamvis enim hi ultimi firmiori et solemniori vinculo sint Deo consecrati, adeoque strictiori sensu nuncupentur personæ sacræ, attamen ægre est negandum quod, per professionem votorum *simplicium* in perpetuum et palàm emissorum in congregatione ab Ecclesia approbata, aliquis *publice* Deo devoveatur, ac proinde vero ac proprio sensu, licet minus stricto, persona sacra censeri ac dici possit.

Quod sufficit ut Episcopus hunc sensum urgeat in ordine ad reservationem, et sub nomine sacrilegæ libidinis sibi reservet violationem mulieris vota dumtaxat simplicia professæ ; quemadmodum contingit in diœcesi Brugensi, ubi legitur in tenore reservationis : « sacrilega copula habita cum muliere professa in congregatione religiosa, et saltem votum *simplex* castitatis habente ; quamdiu mulier suam congregationem legitime non reliquerit » (2).

---

(1) Ita *filiæ charitatis* nuncupatæ non sunt veræ religiosæ nec adeo personæ sacræ, quamvis pertineant ad congregationem a S. Sede approbatam, tum quia vota non profitentur *perpetua*, tum quia illa emittunt *privatim*. Cf. *Rev. des sciences ecclés.*, 1901, p. 237, et *Revue éccl. de Metz*, 1901, p. 183, collatis pp. 317-319, ubi etiam origo hujus dispositionis indicatur.

(2) Si ipse Illustrissimus Reservans mentem suam non aperuisset, restringeretur reservatio sacrilegæ libidinis ad copulam habitam cum

**Ad 2m.** Ad hoc ut copula cum religiosa sit sacrilega ac reservationi Episcopali obnoxia, sufficere censemus, attento legis tenore modò allato, ut congregatio, cui adscripta est mulier professa, obtinuerit approbationem *Episcopalem*. Hujusmodi namque instituta ab Ordinario approbata censentur auctoritate Ecclesiastica approbata et sunt veræ congregationes religiosæ, etsi non veniant nomine Religionis vel Ordinis strictissimo sensu accepti (1), sub quo nomine cæteroquin non veniunt nec ipsæ congregationes votorum simplicium *a S. Sede* approbatæ; ac proinde vota in illis emittentes nomine Ecclesiæ acceptata sunt personæ religiosæ ac sacræ (2).

Quæ doctrina, hucusque a pluribus in dubium vocata, solidum ac solemne nacta est fundamentum in novissima ac notissima Constitutione *Conditæ* a Leone XIII edita (*Collat.*, VI, pp. 97 et seq.), in qua authentice agnoscit S. Pontifex juridicam coram Ecclesia existentiam sodalitatum religiosarum sola Episcopi auctoritate erectarum, easque consociationes vocat *religiosas*, ac personas in illis vota professas nomine *religiosarum* condecorare non dubitat (3).

A. D. S.

---

persona vota *solemnia* professa, seu strictissimo sensu sacra, cum materia reservationis, utpote odiosa, strictæ sit interpretationis; sic obtinebat de facto sub antiqua disciplina.

(1) Solus ordo votorum solemnium est hoc sensu Religio seu Ordo.

(2) In hunc sensum docet Bouix, *De Jure Regularium*, P. II, cap. II, § IV, novum institutum de sola licentia Episcopi inductum, et in quo fiunt in perpetuum tria vota simplicia, necnon traditio nomine Dei ab Episcopo acceptata, veri status religiosi rationem habere.

(3) Hujus documenti Pontificii commentarium tradunt *Rev. des sciences écol.*, 1901, p. 236 et seq., et *Rev. éccl. de Metz*, 1901, p. 182 et seq.; in quo commentario signanter attende generalem indolem constitutionis respective expositam pp. 236-240 et pp. 182-184. Cf. etiam *Rev. théol. franç.*, 1901, pp. 744 et seq.

III

Aux termes de l'art. 9 alin. 2 de la loi du 10 mai 1900 concernant les pensions de vieillesse, les travailleurs qui au 1er janvier 1901, étaient âgés d'au moins 55 ans et à cette même date avaient moins de 58 ans accomplis, doivent, pour jouir de l'allocation de 65 francs à 65 ans, effectuer à la Caisse générale de retraite, pendant une période de trois ans au moins des versements s'élevant au moins à 3 francs par an et formant un total de 18 francs. Les intéressés qui effectuent leurs versements par l'intermédiaire des sociétés mutualistes, est-il dit dans votre estimable Revue (1901, p. 67 s.), ont droit aux primes accordées par l'Etat en vertu de l'art. 5 de la loi du 10 mai 1900, ainsi qu'à la subvention annuelle de 2 francs prévue à l'art. 12 de la même loi. Pourrais-je vous demander : 1°/ Si le Gouvernement tiendra compte de la dite subvention annuelle de 2 francs dans le calcul du montant des 18 francs? 2°/ Si la somme de 18 francs peut être constituée par les subsides que voterait *à cet effet* le conseil communal ou une autre administration?

R. 1°/ M. le Ministre de l'Industrie et du Travail vient de trancher la première question dans le sens de l'affirmative dans une réponse donnée à M. le président de la Fédération mutualiste de l'arrondissement de Dinant. Pour remplir les conditions exigées par l'art 9 alin. 2 de la loi, il suffira donc de verser 12 francs à la Caisse de retraite, de la manière suivante p. ex. : 1re année, 3 fr. ; 2e 1 fr. ; 3e 3 fr. ; 4e 1 fr. ; 5e 3 fr. ; 6e 1 fr.

Toutefois la subvention de 2 fr. ne pouvant servir, en aucun cas, à l'obtention d'une prime nouvelle de 2 fr. on ne pourrait, p. ex. verser 3 fr. la 1re année et 1 fr. pendant les 5 années suivantes.

Cette réponse ministérielle est d'ailleurs confirmée dans *l'Instruction générale relative à l'allocation annuelle*

*de 65 francs* que vient de publier le Ministère de l'Industrie et du Travail. (Voir plus loin au 2°/ le texte de l'Instruction).

2°/ Nous avons répondu négativement à la 2de question dans notre Commentaire de l'arrêté royal du 20 Octobre 1900 (Collat. Brug. VI, p. 68). Cette somme, disions-nous, doit être constituée soit par des versements *personnels*, soit par des versements assimilés à ces derniers, c'est-à-dire opérés au profit de l'intéressé par une tierce personne ou par la société mutualiste reconnue dont il est membre. Or, *l'Instruction générale* citée tantôt confirme absolument cette manière de voir. Voici le texte en question : tout en répondant adéquatement à la deuxième question, il confirme la réponse donnée à la première :

« *La somme de 18 francs ne peut être constituée en tout ou en partie par les subsides des pouvoirs publics, spécialement des communes, des bureaux de bienfaisance ou des hospices.* Cette interprétation résulte tant du texte de la loi que des travaux préparatoires. En effet, l'article 9 stipule : « que les intéressés seront exclus du bénéfice de l'allocation, s'ils n'ont effectué à la Caisse générale de retraite, etc..... » et non pas : « s'il n'a pas été effectué à leur profit à la Caisse générale de retraite. » Il est établi, d'autre part, que, dans l'intention du législateur, les intéressés doivent faire preuve d'un effort personnel et sérieux. L'exposé des motifs est libellé comme suit : « Les personnes de 55 à 58 ans ne seront admises à jouir de l'allocation que si elles témoignent d'un effort de prévoyance se traduisant par un minimum de versement. » M. Nyssens disait, en outre, dans le rapport de la Section centrale : « Le projet subordonne l'octroi de 65 francs..... à la condition qu'ils aient versé *eux-mêmes* à la Caisse de retraite au moins 6 francs (somme réduite à 3 francs dans la loi) par an pendant trois ans. Aide-toi, l'État t'aidera. »

Toutefois, pour la constitution de ce minimum de

18 francs, de même que pour l'octroi des primes d'encouragement, il y a lieu d'appliquer la règle inscrite dans l'alinéa final de l'article 3 de la loi (1) et, par conséquent, d'assimiler aux sommes versées par l'affilié, les versements effectués *librement* à son profit par la société mutualiste dont il est membre, quelle que soit d'ailleurs l'origine des ressources au moyen desquelles ces versements ont été opérés. Il en sera notamment ainsi en ce qui concerne les sommes versées par les sociétés mutualistes sur les livrets individuels de leurs membres au moyen de la subvention annuelle de 2 francs, qui est prévue par l'article 12 de la loi précitée et dont l'affectation est abandonnée à l'appréciation des mutualités ».

A. C.

(1) Cet alinéa dit: « Sont assimilés aux versements personnels, les versements opérés au profit du titulaire par la société mutualiste reconnue dont il est membre ou par une tierce personne. Toutefois, les versements effectués au moyen des subsides des pouvoirs publics ne sont pas pris en considération pour l'allocation des primes de l'Etat ».

# Collationes Brugenses

## SS. D. N. Leonis Div. Prov. Papæ XIII.

### ALLOCUTIO

HABITA IN CONCISTORO DIE XVI DECEMBRIS A. MDCCCCI.

### De divortio civili.

*Venerabiles Fratres,*

Afferre jucundiora velimus: at contra impellimur ac propemodum cogimur temporibus eas impertire vobis acerbitates, quarum ipsarum caussâ in sollicitudine assidua volvitur Nobis extremum hoc spatium ætatis. Videlicet quæ rem catholicam non sinant quiescere, caussæ plures passim sunt, illæque non leves. Persequi singulas, nequaquam est propositum; veruntamen singulare quoddam in conspectu est fidei et morum discrimen, idque intestinum et domesticum, quod nulla ratione debet Nobis silentibus maturescere. Hocne igitur apud Italorum gentem, tot jam indigne eversis rebus, supererat, ut nec sanctitas conjugiorum in tuto esset, cui quidem civiles procellæ ad hanc diem pepercerant? Si qua est auctoritas senectuti, si justum inest in apostolica voce momentum, si quicquam denique valet paterna in communem patriam voluntas, eos omnes, quorum in deliberatione versatur rogata lex de divortiis, non monemus tantummodo, sed plane obtestamur, per sibi quidquid est carum et sacrum desistere coepto velint. Animadvertere et serio considerare ne recusent, sanctum, individuum, perpetuum esse jure divino maritale vinculum christianorum; neque id jus abrogari, nec ei derogari ullo unquam tempore ullâque hominum lege posse. Adscribere christianas nuptias iis velle rebus, quæ contrahantur et distrahantur jure civili, magnus ac perniciosus est error. Etenim humanæ redemptor et restitutor naturæ Jesus Christus Filius Dei, consuetudine deleta repudii, ad vim rationemque antiquam Deo ipso auctore *ab initio* constitutam, revocavit matrimonium; auctumque dignitate et virtute sacramenti, e negotiorum genere communium imperioque potestatis civilis, imo etiam Ecclesia-

sticæ exemit. Quæ nuptias consequuntur in rerum genere civilium, de iis statuat potestas reipublicæ; ultro progredi, Dei nutu prohibetur. Omnis ergo lex, quæ rata esse divortia jubeat, jubet contra fas, apertaque cum injuria creatoris summique legumlatoris Dei: proptereaque caussam dare adulterino fœderi potest, conjugio justo non potest. Illud auget culpam, quod continere divortia intra provisos terminos, tam difficile factu est, quam sistere in medio cursu acerrimarum flammas cupiditatum. — Perperam vero suffragium petitur ab exemplis peregrinis, in re non dubie nefaria: minuatne aut excuset peccata cujusquam, multitudo similia peccantium? Eo vel maxime quod nusquam recepta legibus facultas divortiorum, quin reclamarit vehementer oppositque auctoritatis suæ restiterit ubicumque potuit custos et vindex divini juris Ecclesia. Nec audeat sperare quisquam, minus memorem officii hodie futuram, quam antea fuerit. Non connivebit ullo modo, non acquiescet, non feret remisse Deo sibique factam injuriam. — Qua in injuria teterrimus fons includitur malorum: et hanc ob rem ex eis ipsis hominibus, qui instituta catholica non undequaque probant, aut omnino non probant plurimos tamen cernere est, qui salutis publicæ ratione adducti, pro perpetuitate conjugiorum docte et animose contendant. Revera, hoc semel constituto, rescindi maritale vinculum fas esse, lege evertitur constans et stabilis natura matrimonii: hinc illa proclivi itinere consequuntur, quæ Nosmetipsi alias deflevimus (1), debilitari utrimque amorem mutuum, perniciosa incitamenta suppetere ad infidelitatem, in discrimine esse tuitionem institutionemque liberorum, dissidiorum inter familias foveri semina, totas domos perturbari funditus, atque in summam humilitatem evadere conditionem mulieris. Quoniam vero et prosperitas domesticæ societatis et ipsæ imperiorum opes moribus bonis vigent, corruptis dilabuntur, pronum est intelligere, quam sint et privatim et publice calamitosa divortia, utpote quæ à demutatione morum popularium profecta, ad infinitam licentiam vulgo deducunt.

Attentis istiusmodi periculis, plane intelligi potest, quo

(1) Cfr. infrà excerpta ex encycl. *Arcanum*.

Nos animo simus, præsertim quod eo minus tanta calamitate digni nostrates sint, quia multo maxima pars mores et instituta catholica studiose ac fideliter divino munere retinent, exemplo patrum et majorum. Nihilominus spes est, meliora ad extremum consilia fore eorum, qui de rogatione decernent. Quantumvis enim politicorum ardore studiorum occupentur, non tamen habent avitæ religioni clausas aures: neque omnino judicium recti eamque rerum gerendarum prudentiam deserunt, quam Italorum ingeniis natura ingeneravit.

Conjunctis Nobiscum animis, contendite ab omnipotenti Deo, venerabiles fratres, ut tot ipsius ornatam beneficii muneribusque gentem in hoc tam difficili tempore tueri benigne velit.

***

Juvat hic referre quæ Pontifex de divortio civili disseruit ac edocuit in celebri sua encyclica *Arcanum* 10 febr. 1880, ad quam in præsenti allocutione alludit:

« Salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quæ nusquam alibi est quam in religione christiana major, persæpe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod jure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliæve caussæ liberari suadeant oportere. Et si forte satisfieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem juris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim

alia prætereamus, exeunte sæculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse conjugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate conjunctionis humanæ; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelæ remedium ab ejusmodi legibus esse quærendum.

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. — Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

Hæc certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege præstari cœpit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere; et tanta est

vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti pœnituerit; qui nisi contraria lege remedium mature quæsissent, timendum erat, ne præceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari cœpit, ut magnam verisimilitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de caussis, iisque non sane multis: istas tamen propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis: in quibus si quando datus est conjugiorum discidiis locus, incommodorum, quæ consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per sævitiam adhibitam, per injurias, per adulteria fingere caussas ad illud impune dissolvendum, cujus pertæsum esset conjunctionis maritalis vinculum: idque cum tanto publicæ honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes judicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus æque miseros et calamitosos habituræ sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum ætate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint: quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem

impune perverti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacramenti posthabita, diffingere ac deformare conjugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiæ et societas humana debebunt, ne miserrime conjiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quæ potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum tuendæ semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit (1); quod hæresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit (2); quod usitatam græcis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit (3); quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas ut aliquando dissolvantur (4); quod demum vel a prima ætate leges imperatorias repudiarit, quæ divortiis et repudiis perniciose favissent (5). — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia á se facta ut rata Ecclesiæ essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitatis gentium

---

(1) Pius VI, epist. ad Episc. Lucion. 28 maii 1793. — Pius VII, litter. encycl. die 17 febr. 1809, et Const. dat. die 19 jul. 1817. — Pius VIII, litter. encycl. die 29 maii 1829. — Gregorius XVI, Const. dat. die 15 augusti 1832. — Pius IX, alloc. habit. die 22 sept. 1852.

(2) Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7.

(3) Concil. Floren., et Instr. Eug. IV ad Armenos. — Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 6 maii 1742.

(4) Cap. 7 *de condit. appos.*

(5) Hieron., epist. 79 ad Ocean. — Ambros., lib. VIII in cap. XVI Lucæ, n. 5. — August. *de nuptiis*, cap. 10.

propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cœlestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

Quæ cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiæ adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiæ, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem ».

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Maii.

—

I

Explica Is. VI, 1-4: *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ alteri: duabus faciem ejus et duabus velabant pedes ejus et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta est fumo.*

II

Expone notionem *Infiniti*.

III

Præmissa notione *Epikiæ*, declara quænam leges epikiam admittant, addendo rationem responsi.

IV

Explica *motivum formale* charitatis theologicæ.

V

Expone quomodo *idem sit formale motivum* in Charitate erga proximum et nosmetipsos ac in Charitate erga Deum.

VI

In missis quotidianis defunctorum quot, quænam et quo ordine dici debent vel possunt orationes?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Explica parabolam vineæ (Is. V, 1-7)?*

R. Ad completam prophetarum intelligentiam, animadvertendum est eloquia eorum non necessario eo tempore composita esse quo conscripta sunt, sed primo oretenus prolata esse coram populo, postea vero ab ipsis prophetis vel a discipulis, Deo inspirante, scriptis consignata esse, collecta, in corpus redacta et in lucem edita. Isaias ergo propheta vineæ carmen publice dixerit vel potius cantaverit: vindictam enim divinam Judæis nuntiaturus, timuit ne concives sui infaustis prædictionibus aurem præbere nollent, quapropter cantoris popularis figuram assumpsit et hanc cecinit parabolam mira arte excogitatam, qua auditorum attentionem excitaret.

**Præludium** (v. 1a) jam metrice compositum est et proinde jam canebatur; cf. I, 2. Sensus autem valde dubius est; communiter interpretes intelligunt textum hebraicum: *Cantabo dilecto meo* vel melius *circa dilectum meum canticum amici mei de vinea sua* (1).

---

(1) Vox hebr. *dod* nunquam significat patruelem (ita Vulg.), i. e. consobrinum; hic vero non significat avunculum sed amicum. R. P. Cersoy in Revue Biblique 1899, p. 40 sqq. notat, si communem interpretationem sequimur, in præludio adesse pleonasmum (si refert canticum amici sui evidenter cantabit de amico suo) et incohærentiam cum ipso carmine (canticum nequit esse amici sui, scil. ab amico suo compositum, siquidem in cantico de eodem amico sermo fit in 3ª persona); propterea aliter vertit præludium, legendo *dodai* (amicitiæ meæ i. e. amicalem) loco *dodi* (amici mei):

Je vais chanter à mon ami
mon chant amical à propos de sa vigne.

Præterea ad explicandum quomodo vv. 3-6 de amico agatur in 1ª persona, existimat prophetam initio dicere carmen a populo notum,

**1ª Stropha**: 1b.-2. *Vinea facta est* (seu erat) *dilecto meo in cornu filio olei* i. e. in colli qui dicitur *filius olei;* Hebræi raro utebantur adjectivis vel nominibus abstractis, proindeque oleum dicebatur pro abstracto pinguedine et filius olei pro adjectivo pingui. Terra igitur fertilis erat, diligens præterea labor adhibitus: *et sepivit* (melius: fodit) *eam*, *et lapides elegit* (ejecit removit) *ex illa et plantavit eam* cum vite electa, optimæ speciei soreq vocatæ, *ædificavit turrim* pro custodibus qui defenderent vineam contra hostiles deprædationes, *et torcular exstruxit* ad uvas calcandas. Nihil ergo curæ deerat, attamen vinea non protulit bonas *uvas*, sed acerbas et corruptas quæ *labruscæ* vocabantur.

**2ª Stropha**: 3-4. Ipse amicus abrupto modo loquens introducitur: postulat auditorum sententiam, non quasi de facto responsum eorum exspectet, sed ut attentionem eorum magis moveat; simulque innuitur non de qualicumque sed de momentosa quadam vinea agi siquidem judicium totius populi de ea petitur. *An quod* valet cur; bene Maldon., Emm. Sa: quid causæ habuit ut meam exspectationem falleret?

**3ª Stropha**: 5-6 a. Amicus, vineæ dominus, non jam accusat, sed ipse judicium profert: *auferam sepem* e vepribus (doornhaag), *diruam maceriam* seu murum e lapidibus; sed quum nulla vinea simul sepe et muro protegatur, jam suspicari possunt auditores sermonem

---

v. vero 3 jam transire in solutam orationem et sensim sine sensu revelare verum objectum suæ prædicationis.

Animadvertere possumus Isaiam certe non assumpsisse notum carmen, si voluerit attentionem Judæorum excitare et, licet caracteres poëseos Hebræorum nondum accurate determinari valeant, adesse tamen indicia ex quibus suadetur partem metricam ultra se extendere: Hebræi libenter stropham incipiebant per *et nunc* (vv. 3, 5), 4 b. est repetitio finis 1æ strophæ per modum *renvoi* seu *refrain*.

Neque validum videtur præcipuum argumentum a R. P. allatum: dicitur enim canticum amici non præcise quia ab amico compositum erat, sed quia in ipso amicus quoad magnam saltem partem loquens exhibetur, simulque dici poterat canticum de dilecto. Communiorem proinde sententiam retinemus.

esse de vinea quadam symbolica, eo vel magis quod severe punitur quasi esset ens morale. modus præterea punitionis est insolitus: nam domini solent vineas steriles non quidem vastare depopularique, sed ad aliam culturam convertere.

Verba *nubibus mandabo ne fluant super eam imbrem*, non amplius retinent, ut legenti patet, formam rhytmicam carminis, subito enim Isaias canticum vineæ abrumpit et tamquam prophetam se exhibet. Auditoribus dubium esse non poterat quis sit qui mandat nubibus, dominus ergo vineæ est ipse Jehova. Quæ sit vinea statim addit propheta: *vinea Domini exercituum domus Israel est et vir Juda germen ejus delectabile* i. e. plantatio voluptatis ejus, in qua suas quasi delicias constituit. Tempus non terit Isaias in annuntianda vel describenda ultione divina, quam satis colligere poterant Judæi ex parabola, sed finem imponit energice eis sub duplici antithesi peccata eorum exprobrando. Adest in hebr. duplex paronomaa quæ neque græcis verbis neque latinis exprimi potest. Audiamus S. Hier.: volumus latinis insinuare auribus quod ab hebræis didicimus: judicium apud eos appellatur *mesphat*, iniquitas... *mesphaa;* rursum justitia dicitur *sadaca*, clamor autem appellatur *saaca;* una itaque vel addita litera vel mutata sic verborum similitudinem temperavit ut pro *mesphat mesphaa*, et pro *sadaca* poneret *saaca*.

A. D. B.

## II

Q. *Expone quid sit divinum attributum tum late, tum stricte dictum, et quænam sint præcipua Dei attributa stricte dicta.*

R. I. Attributum divinum *late* dictum est omne id quod potest Deo vere attribui deque eo proprie prædicari.

Attributum divinum, *stricte* dictum est perfectio ab-

soluta et necessaria formaliter in Deo existens et modo nostro concipiendi consequens ad essentiam constitutam tamquam ejus proprietas. (1)

Hæc ultima definitio declaratione indiget.

Dicitur **perfectio**: quia attributum stricte dictum non est ipsum nomen quod prædicatur, nec ipse mentis conceptus, sed id quod in re extra animam respondet conceptui mentis et quod per nomen significatur. — Ad rem Capreolus: « Præmitto primo, quod per attributum non intelligo solum vocem vel conceptum, quem intellectus Deo solum attribuat componendo vel dividendo... Sed per attributa intelligit sanctus doctor (sc. sanctus Thomas) significata talium nominum vocum, vel conceptuum; quæ nomina de Deo dicuntur; quorum nominum significata melius est reperiri in aliquo quam sua opposita. Exemplum hujus est sapientia » (2).

Dicitur **absoluta et necessaria**: *absoluta*, ad designandum id quod concipitur ut *perficiens ens in se* et excludendas relationes. Inde attributa stricte dicta non sunt relationes reales Dei ad intra, sc. personæ earumque proprietates, nec relationes rationis tantum quas Deus habet ad extra, nempe ad creaturas actu existentes. Porro omnis perfectio absoluta in Deo est etiam *necessaria*: non enim realiter distinguitur ab ipsa Dei essentia (3).

Dicitur **formaliter** in Deo existens: ad excludendas perfectiones quæ dicuntur mixtæ et omnia quæ de Deo non nisi metaphorice dicuntur.

---

(1) Hanc definitionem, quoad ejusdem substantiam, tradunt Polmannus, *Breviarium Theologicum*, P. I, n. 28; Billuart, *De Deo*, Dissert. II, a. 2; Franzelin, *De Deo Uno*, Thes. XXI, 3°; De San, *De Deo Uno*, n. 87; Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ scholasticæ*, T. II, p. 338; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, ap. *Collat. Brug.*, T. IV, p. 130. — Quando S. Thomas et plerique scholastici medii ævi loquuntur de Dei attributis intelligunt attributum stricte dictum: cf. De San, op. c., l. c.

(2) In I, D. VIII, Q. IV, a. 1. Turonibus, 1900, p. 371.

(3) Quod quidem æque valet de relationibus realibus ad intra.

Dicitur *modo nostro concipiendi* consequens ad essentiam constitutam tamquam proprietas ejus: ad excludenda ea quæ Dei essentiam, nostro modo concipiendi, constituunt vel ipsam distinguunt, et ad significandum attributa stricte dicta essentiam divinam, nostro concipiendi modo, non constituere, sed constitutam supponere et ad eam sequi per modum proprietatis.

Hæc ultima nota est præcipua in definitione attributi, indigetque ut ulterius declaretur et probetur. Jamvero « ut in rebus a Deo conditis aliud est natura rei vel substantia; aliud quod ex ea sequitur et ad eam adhærescit; quales sunt proprietates et affectiones, quibus res ipsæ quodammodo formantur: sic in Deo, tametsi simplicissimus sit, aliud esse cogitamus, quod est ipse, hoc est substantiam ejus, aut essentiam; aliud quod hanc modificat et quasi jam constitutam et existentem afficit » (1).

Et sane si res creatas consideremus, in eis invenimus id quo formaliter sunt id quod sunt, id nempe quo formaliter « constituuntur in convenienti sibi gradu definitæ realitatis, ab aliisque rebus distinguuntur » (2). Hoc est essentia. Sed præter hanc habentur in rebus creatis alia quæ ex essentia constituta dimanant, eamque modificant et perficiunt. V. gr. homo constituitur homo ex materia prima et anima rationali; præter hæc duo essentiam constituentia insunt alia v. gr. intellectus, voluntas, facultas visiva, etc.; inesse etiam possunt habitus acquisiti, ut scientia: hæc omnia ad essentiam constitutam diversis modis accedunt, illamque perficiunt. Inde consequitur ut ea quæ de creaturis prædicantur exhibeant vel ipsam rei essentiam (sive integram, sive partem ejus) vel aliquid essentiæ superadditum: ex hoc oriuntur quinque modi secundum quos aliquid de ente creato prædicari potest: qui modi vocantur *prædicabilia* (3).

(1) Petavius, *De Deo*, L. I, c, 6, n. I.
(2) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, n. 197.
(3) Cfr. De Jaegher, op. c., n. 17.

Noster autem modus cognitionis de Deo quum non nisi ex cognitione rerum creatarum derivetur, etiam quoad ea quæ revelatione divina novimus, necesse est ut etiam in Deo quædam concipiamus ut essentialia (h. e. ut ipsam Dei essentiam constituentia vel ut hanc essentiam distinguentia), alia vero ut huic essentiæ accedentia, eamque perficientia: hæc autem sunt attributa stricte dicta.

II. Hisce positis jam quæritur quænam sint Dei attributa stricte dicta. Sunt autem intellectus, voluntas, potentia et perfectiones cum ipsis connexæ: tales sunt scientia, sapientia, amor, gaudium, sanctitas, omnipotentia (1). Hæc omnia certe verificant definitionem traditam attributi stricte dicti, ut cuicumque intelligenti patet.

Non alia, ut videtur, dantur attributa stricte dicta. Et primo attributa stricte dicta non sunt illa quæ dicuntur gradus metaphysici, ut substantia, vivens, spiritualis: hæc sicut in angelo sunt de ratione et conceptu ipsius essentiæ, ita etiam hæc sunt de ratione et conceptu Dei essentiæ: sane nemo concipit v. gr. vitam in Deo ut aliquam perfectionem divinæ essentiæ jam constitutæ superadditam.

Deinde nec transcendentalia, unum, verum, bonum sunt Dei attributa stricte dicta (2): nam illa « enti non superadduntur aliquid reale ab ipso ente diversum, nec ullam ei apponunt rationem formalem differentialem quæ sit perfecte extra rationem entis ipsius » (3), inde illa in creaturis non sunt aliqua perfectio essentiæ determinatæ accidens, illamque perficiens: consequenter nec sunt Dei attributa stricte dicta.

Tandem nec attributa stricte dicta sunt illa quæ recentiores vocant attributa negativa, ut simplicitas,

---

(1) Cfr. Franzelin, De Deo Uno, Thes. XXI. (2) De San. op. c., l. c.
(2) Cfr. Illmus ac Revmus Waffelaert, op. c., l. c. et T. II, p. 6.
(3) De Jaegher, op. c., n. 204.

infinitas, immutabilitas, æternitas, immensitas: hæc enim nobis exhibent *modum essendi intrinsecum* ipsius essentiæ divinæ vel ejus attributorum. Ita v. gr. infinitas nobis exhibet Dei essentiam quatenus nullum in linea essendi patitur limitem, quatenus nempe in Dei essentia inest omnis perfectio et quidem in summo gradu; immutabilitas nobis exhibet Dei essentiam ejusque attributa prorsus immunia ab omni transitu de uno modo sese habendi ad alium modum: inde facile est videre infinitatem, immutabilitatem non esse, modo nostro concipiendi, perfectiones essentiæ divinæ quasi superadditas eamque complentes. Idem dices de aliis supra indicatis.

J. V. D. M.

III

Q. *Determina objectum legis naturalis.*

R. Objectum legis naturalis, quà hæc *prohibens* est, sunt omnes actiones intrinsece malæ; quà verò est *præcipiens* sunt actiones intrinsece bonæ ac necessariæ seu quarum omissio esset turpis seu mala de se.

**Explicatur.** — Materia seu objectum circà quod versatur lex naturalis sunt actiones intrinseca moralitate præditæ: quæ moralitas consistit in intrinseca convenientia quam actiones quædam ex se habent cum natura rationali seu ordine naturali adæquate spectato; vel intrinseca difformitate quam actiones aliæ ab eodem ordine præ se ferunt; unde fit ut illæ actiones sint bonæ aut malæ *ex se* et non tantum ex principio extrinseco seu quia sunt a libera voluntate præceptæ aut respective prohibitæ. Eadem tamen moralitas est mere objectiva ac fundamentalis et concipitur antecedens ad legem cui præbet objectum ac rationem; atque distinguitur a moralitate *formali* quæ consistit in conformitate aut difformitate actionis cum ipsa lege (1).

(1) Cfr. Ferretti, *Instit. Philos. mor.*, T. I, n. 106.

Porrò omnes actiones intrinsece malæ absque ulla exceptione sunt objectum legis naturalis *negativæ* seu a lege naturali prohibentur: Deus enim naturæ humanæ conditor atque sapientissimus simul ac sanctissimus hominum ordinator, his non potest, quin seipsum neget (1), non prohibere actiones naturæ rationali disconvenientes seu oppositas relationibus essentialibus, quas np. homo *vi naturæ suæ* sustinet cum Deo, cum proximo, cum semetipso: quare v. g. odium Dei, parricidium, ebrietas, aliaque id genus cuncta necessario a Deo ut auctore naturæ sunt prohibita.

Actiones verò de se bonæ non omnes sunt lege naturali præscriptæ, sed illæ tantum quæ sunt necessariæ ut vita hominis recte ordinetur, quas ergo omittens quis a rectitudine morali deficeret, seu quarum omissio esset turpis ac mala de se; quales sunt cultus Dei, amor parentum, ordinata corporis proprii sustentatio etc. — Rursus actiones ità ad rectitudinem vitæ humanæ requisitæ non possunt non præcipi a Deo, auctore naturæ rationalis hominumque gubernatore sapientissimo et sanctissimo.

Sed ultrà illas actiones sunt aliæ quæ naturæ rationali, complete spectatæ seu secundum omnes suas relationes essentiales consideratæ, conformes quidem sunt ideoque intrinsece bonæ, sed quæ non requiruntur ut vita hominis simpliciter recta seu honesta sit, et spectant potius ad majorem ejus perfectionem: qualia sunt consilia evangelica. Istæ autem actiones a natura ejusque auctore Deo suadentur quidem sed non præcipiuntur, proindeque non sunt habendæ ut objectum

---

(1) *Quin seipsum neget*, i. e. quin facto demonstret se non esse gubernatorem sapientem ac justum, consequenter se non esse infinite perfectum ac proinde se non esse Deum. — « Sicut non potest Deus mentiri, ait Suarez, ità non potest insipienter vel injuste gubernare: esset autem providentia valde aliena a divina sapientia et bonitate non prohibere suis subditis quæ talia sunt (scil. intrinsece mala) » *De legibus*, lib. II, cap. VI, n. 23. — Cfr. S. Thomas, I-II, q. 100, a. 8.

naturalis legis proprie dictæ. Apposite Th. Meyer: « Lege naturali præcipitur ordo non secundum gradum aliquem majorem vel minorem perfectionis moralis, sed secundum limites quibus ordo simpliciter rectus est et a non recto distinguitur (1) ».

Tandem præter actiones intrinsece bonas vel malas sunt multæ de se et in abstracto consideratæ indifferentes, naturæ rationali de se nec convenientes nec disconvenientes. Actiones hujusmodi sunt objectum proprium legis *positivæ:* exempla præbent abstinentia a suffocato et sanguine, sub lege Veteri; abstinentia a carnibus die veneris, sub lege Nova: profectò talis abstinentia de se indifferens est, sed vi legis positivæ induit moralitem extrinsecam et adventitiam. — Ast lex naturalis de istis actibus non curat, nisi *forte* præcepto generali imperando ut, si deliberate ponantur, ad honestum finem *implicite* saltem ab agente referantur. Unde concludunt nullum actum humanum esse *in individuo* indifferentem, sed quemvis esse, saltem ratione finis, aut bonum aut malum (2).

H. V. D. B.

---

(1) *Instit. jur. nat.*, T. I, n. 284.

(2) *Dubitative* (forte) existentiam generalis illius præcepti naturalis proponimus propter notissimam controversiam utrum admittendi sint actus humani moraliter indifferentes in concreto seu in individuo. « Quicumque enim *positivam* omnis activitatis liberæ relationem intentionalem ad finem ultimum ita ad rectum naturæ ordinem requiri docent ut ea vel ipso illius defectu a morali rectitudine deficiat, actiones in individuo indifferentes admittere nequeunt. Qui autem mere *negativam* relationem finalem seu meram « referibilitatem » actus sufficere aiunt, ut is, etsi non bonus, tamen neque positive malus censeri possit, consequenter indifferentes actus etiam in individuo esse posse concludunt » Th. Meyer, op. cit., n. 192. — Cfr. S. Thomas, I-II, q. 18, a. 9; *De malo,* q. 2, a. 5. — S. Alph., lib. V, n. XLI sqq. — Lehmkulh, *Theol. mor.*, T. I, n. 37 sqq. — Ferretti, *Inst. Phil. mor.*, n. 73 sqq. — Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, n. 371. — Ill^s ac Rev^us Waffelaert, *De temperantia,* p. 121 sqq. ubi in fine scite animadvertit: « discrepantia opinionum in quæstione generali de actu indifferenti in individuo, omnino nata videtur ex notione affirmata plus vel minus stricta *honesti* ».

IV

Q. *Explica quomodò lex naturalis differat a lege positiva.*

R. Pluribus modis differt lex naturalis a lege positiva, nimirùm :

1 Ratione *legislatoris :* legis naturalis auctor est Deus, quà institutor naturæ rationalis hujusque gubernator ; lex verò positiva fertur vel a Deo, quà auctor est ordinis supernaturalis ; vel ab homine seu ab eo qui pollet potestate legislativa sive in Ecclesia sive in societate civili.

2 Ratione *objecti* seu materiæ : objectum legis naturalis sunt illæ tantum actiones humanæ quæ de se sunt honestæ ac necessariæ vel quæ de se sunt inhonestæ (cfr. resp. præc.) ; lex verò positiva versatur etiam circa ea quæ non sunt de se bona aut mala. Dico *etiam*, quia et lex positiva circa ea quæ materiam propriam legis naturalis constituunt disponere potest, et quidem duplici præsertim ratione : sic a/ potest obligationem vi juris naturalis præexistentem novo præcepto inculcare, illamque urgere addita speciali pœna in ejus sanctionem ; ità in omni societate bene ordinata homicidium, furtum aliaque hujusmodi intrinsece mala lege vetantur ac determinatis pœnis coërcentur. — b/ Lege positiva determinatur quod lex naturalis indeterminatum relinquit et nonnisi modo generali præcipit aut ordinat : sic lex naturalis præscribit cultum Dei ; Ecclesia specificat illum cultum præcipiendo fidelibus assistentiam missæ certis diebus etc. (1).

3 Ratione *subjecti :* lex enim naturalis est universalis, obligans omnes qui naturæ rationalis participes sunt, seu omnes homines : imò pueri qui nondum rationis usum sunt adepti et perpetuò amentes lege naturali, ut

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, n. 99 et 206.

videtur (1), tenentur in actu primo seu objective. — Lex autem positiva non obligat nisi membra communitatis (vel omnia vel quamdam illorum classem) a cujus rectore est lata : quare, si excipias legem a Deo latam, quæ sane omnes homines comprehendere potest, nulla lex positiva universalis est; cum nulla sit communitas de facto universalis. Neque infantes ante usum rationis et perpetuò amentes ulli legi positivæ subjiciuntur.

4. Ratione *promulgationis :* nam lex positiva promulgatur per actum transeuntem legislatoris manifestantem voluntatem ipsius communitati, adeoque rationi quidem subditorum non tamen per rationem ipsorum ut præconem... Lex verò naturalis non actu transeunte, verbis aut formulis, sed per ipsam rationem naturalem promulgatur (2) ». Fit np. illa promulgatio naturalis (i. e. ope rationis) « per principia generalia *per se nota,* e quibus dein activitate rationis conclusiones ducantur, a generalioribus ad particulares et remotas descendendo » Th. Meyer, *op. cit.*, T. I, n. 262. — Atque ille legis positivæ promulgandi modus, a legis naturalis promulgatione diversus, nota maxime propria est legis positivæ, ita ut quædam leges positivæ divinæ non alia ratione a lege naturali distinguantur; quales sunt pleraque decalogi præcepta, quæ nil aliud quam ipsa legis naturalis præscripta referunt, sed speciali et externa intimatione a Deo promulgata.

---

(1) Nonnulli tamen auctores, uti Biner, *Apparatus eruditionis*, P. II, c. I, n. 49; Van der Velden, *Principia theol. mor.*, (ed. 1875), T. I, n. 34; Haine, *Theol. mor. elem.*, ed. 1889, p. 119, sentiunt pueros ante rationis usum et perpetuo amentes ne quidem in actu primo lege naturali obligari, quia lex ista promulgatur lumine rationis quo prædicti sunt destituti.

(2) Ills ac Revmus Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 183. — Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. I, cap. 11, n. 4, qui meritò observat: « Licet promulgatio (per lumen rationis nat.) in singulis, non censetur esse propositio particularis, sed communis vox totius naturæ vel populi auctoris ejus, quia licet loquatur ad singulos, loquitur ut persona publica, quia loquitur ut auctor ipsius naturæ ».

5 Ratione *indolis:* Etenim a/ lex naturalis est *necessaria,* necessitate np. hypothetica ; videlicet supposita creatione hominis, necessario debuit Deus ipsum obligare ad vitandas actiones intrinsece malas atque ponendas actiones intrinsece bonas quarum omissio de se turpis esset (cf. resp. præc.) ; lex vero positiva quà talis a libera legislatoris voluntate procedit. — b/ Lex naturalis est *immutabilis*, dum lex positiva potest mutari tum ab intrinseco, tùm ab extrinseco. Mutatur *ab intrinseco* seu per se, quando ob supervenientes circumstantias fit irrationabilis, putà quia facta est noxia bono communi vel saltem inutilis ; *ab extrinseco*, cùm a legislatore vel ejus superiore in eodem ordine jurisdictionis vel ejus successore abrogatur aut ei derogatur aut in ea dispensatur (1). Neuter autem modus mutationis in lege naturali obtinet : non prior seu ab intrinseco, nam quæ prohibet sunt *essentialiter* mala, quæ vero præcipit *essentialiter* ad ordinem sunt necessaria. Neque posterior seu ab extrinseco, siquidem Deus, ejus auctor, *necessario* et vi suæ infinitæ perfectionis intrinsece mala prohibet, intrinsece bona ac requisita ad naturæ rationalis rectitudinem præcipit. Quæ autem a nonnullis afferuntur in contrarium, non sunt veræ et proprie dictæ mutationes ipsius legis naturalis ; sed sunt apparentes tantum et spectant potius ad præceptorum naturalium expressionem seu formulam quàm ad ipsa præcepta ; vel sunt meræ additiones legi factæ, aut mutationes conditionum quæ ad legis applicationem præsupponuntur ; vel ad summum referuntur ad ea quæ lex naturalis postulat ut convenientiora quin tamen ea præcipiat (2).

H. V. D. B.

---

(1) Vid. nostrum tract. *De legibus*, n. 181 sqq.

(2 Circa legis naturalis immutabilitatem *ampliora* videsis apud Suarez, op. cit., lib. II, cap. XIII ; Billuart, *Tr. de legibus*, dissert. II, art. IV ; Th. Meyer, l. c., T. I, n. 274 sqq. ; Bouquillon, op. cit., n. 68 sq. et nostrùm tr. *de leg.*, n. 32 sqq.

V

Q. *Quæritur utrum et cur liceat operari unice intuitu mercedis æternæ?*

R. *Cùm amor castæ concupiscentiæ quo homo spe theologica Deum ut summum bonum suum prosequitur sit honestus ac licitus, operari licet intuitu mercedis æternæ, imo unice intuitu mercedis æternæ, eo vel magis quod nullibi doceatur necessitas aliud motivum nobilius adjungendi, ipseque amor spei seu concupiscentiæ ad amorem Charitatis seu benevolentiæ disponat.*

**Prænotatio.** Ut sensus theseos quæstionisque status magis patescat, *ante probationem nota* spem theologicam a nemine negari honestam, spem verò informem, i. e. quæ a Charitate theologica informante præscindit, ab hæreticis pluribus (Calvinistis, Lutheranis, Bajanis, Jansenianis) ut inhonestam ac vitiosam fuisse damnatam (1). Unde deducebant omnem affectum concupiscentiæ erga Deum, seu qui movetur spe mercedis æternæ, vel etiam bono divino summo prout nobis conveniente, esse vitiosum ; quippe qui deficit ab amore benevolentiæ et Charitatis perfecto, quem solum prædicabant moraliter bonum. Quo prænotato,

**Probatur prior pars:** *Amor castæ concupiscentiæ quo homo spe theologica Deum ut summum bonum suum prosequitur est honestus ac licitus, adeoque operari licet intuitu mercedis æternæ.*

Est de fide definitum in Conc. Trid. (sess. VI, can. 31). « Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit ».

Hæc propositio luculenter probatur e Sacra Scriptura. Nihil enim magis decretorium ait Billot (2),

---

(1) Cfr. Bouquillon, *Tract. de virt. theol.*, Brugis 1878, n. 346; — Ill^m ac Revend^m Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 346; — Card. Mazella, *De Virt. Inf.*, Romæ 1884, n. 1165 ss.

(2) *De Virt. Inf.*, Romæ 1901, p. 358 s.

quam auctoritates quibus provocamur ad operandum intuitu retributionis æternæ, ac per hoc, ad concupiscendum retributionem illam quæ est Deus ipse summum bonum nostrum, beatitudo nostra, et merces nostra magna nimis. Dicit Apostolus 1 Cor. IX, 25: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Dicit iterùm Col. III, 24: *Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Jubemur *spe gaudere* (Rom. XII, 12), *exspectare beatam spem* (Tit. II, 13) etc. (1).

Eamdem doctrinam unanimes docent S. Patres, ità ut supervacaneum videri possit illorum testimonia adducere (2).

*Intrinseca autem ratio* est quia actus quo tanquam medio a Deo præstituto dirigimur in finem ultimum, non potest esse nisi honestus ac licitus; talis autem est amor spei seu castæ concupiscentiæ quo in Deum possidendum ferimur: siquidem qui operatur propter spem mercedis æternæ in Deo ipso ultimum finem reponit, iisdemque actibus quibus beatitudinem suam consequitur Deum glorificat (3).

Neque *objici* potest ordinem exinde perverti, quasi amans Deum amore concupiscentiæ *uteretur Deo* i. e. intendat frui aliquo ad quod Deus se haberet ut *medium,* cùm Deus ipse sit omnium finis ultimus. Etenim amore

---

(1) Cfr. *Mt.* V, 12; VI, 20; *Luc.* XII, 32; XVI, 9; *1 Cor.* XIII, 5; *Ephes.* I, 16; *Heb.* X, 37; XI, 6; 25; *1 Jo.* III, 2; *Apoc.* II, 10 etc. etc.

(2) Cfr. Bouquillon, *o. c*, n. 349; — Billot, *o. c.*, p. 359; — G. Lahousse, S. J., *Tract. de Virt. Theol.*, Brugis 1900, p. 361.

(3) Aliud proponit argumentum Billot, o. c., p. 363: « Unumquodque ordinate amatur secundum rationem bonitatis quæ in ipso est. In Deo autem duplex invenitur bonitatis ratio: ratio nimirum bonitatis qua est summum bonum absolutum, tum ratio bonitatis qua est summum bonum nostrum. Sub utraque ergo ratione ordinato amore eum prosequimur, et nedum unus amor sit in detrimentum alterius, ambo potius se mutuo juvant ».

spei amans Deum nullo alio frui intendit quam ipso Deo summo bono.

Neque valet *instantia* qua dicitur Deum, licet non ordinetur ad aliquid creatum et ab eo distinctum, referri tamen ad amantem tanquam ad finem cùm eum *propter nos* amemus. Etenim, ut optime scribit Billuart (1): « duplicitur aliquid amari potest amore concupiscentiæ. Primò sic ut res amata referatur ad amantem tanquam ad finem: ut cùm appetimus cibum et potum in nostram conservationem: hoc modo Deus non potest amari amore concupiscentiæ, quia hoc esset ordinare ad aliud tanquam ad finem (sc. finem *cujus gratia seu causam finalem*).... Alio modo potest aliquid amari amore concupiscentiæ, sic ut res amata habeatur semper ut finis (sc. *causa finalis*), sed amatur alteri tanquam *subjecto* (sc. *fini cui*) per hunc finem perficiendo. Sic Deus dilexit mundum, ut illi Filium suum unigenitum daret: non quasi ad nos tanquam ad finem ordinaverit incarnationem Filii, sed nobis tantum tanquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tanquam ad finem ultimum.... Similiter ergo cùm amo Deum amore concupiscentiæ, ipsum non refero ad me tanquam finem, quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, et ipsi inhærere ut ultimo fini, est summa animæ meæ felicitas. Dumtaxat ergo refero ipsum *ad me, ut ad subjectum* per illum perficiendum tanquam per ultimum finem meum, in quo non tantum non est perversio, sed totius rectitudinis consummatio ».

**Probatur altera pars**. *Imo operari licet unice intuitu mercedis æternæ, eo vel magis quod nullibi doceatur necessitas aliud motivum nobilius adjungendi, ipseque amor Spei seu concupiscentiæ ad amorem Charitatis seu* ***benevolentiæ disponat.***

*Ratio* e præcedentibus elucet: Licet operari *unice* intuitu mercedis æternæ eo quod merces æterna est

(1) *Tract. de Spe*, Art. II, § 1 obj. 1.

æquivalenter finis ultimus seu gloria Dei. Imò relatio in Deum deesse nequit: si quis enim intendens sibi mercedem a Deo, gloriam Dei excluderet reipsa non intenderet efficaciter mercedem illam (1).

Neque ullibi docetur necessitas *aliud* nobilius motivum adjungendi a quo simpliciter *praescindatur*. Utique si per amorem concupiscentiæ quo Deus amatur ut bonum nostrum, similiter removeretur atque excluderetur omne aliud motivum amandi Deum, quasi nimirum amabilis esset Deus pure et adæquate quia bonum hominis est, tunc forsitan esset ordinis perversio. At nihil certe sequitur si motivum perfecte et gratuito amandi Deum amore benevolentiæ non excludatur (2).

Quinimo ipse amor Spei seu concupiscentiæ ad amorem Charitatis *disponit*.

Etenim moraliter necessarius est amor concupiscentiæ quo amamus aliquid ut bonum nobis, antequam illud diligamus amore benevolentiæ ut in se bonum, vel saltem oportet ut illud tanquam bonum nobis apprehendamus (3) : unde si amor concupiscentiæ de facto non eliciatur prius, saltem objectum ejus adesse debet et apprehendi. Quod a fortiori valet si, ut in Charitate theologica, sit amor benevolentiæ mutuæ seu amicitiæ in mutua boni communione fundatæ. Unde e spe nascitur amor initialis dispositivus ad Charitatem et uterque amor Spei et Charitatis sunt ità connexi ut invicem magis excitent et roborent.

A. C.

---

(1) Cfr. Ill^mo ac Reverend^mo Waffelaert. *Tract. de Virt. Card.*, Brugis. 1889. p. 91.

(2) Cfr. Billot. *n. c.*, p. 362. — Eodem modo honestus est timor simpliciter servilis, quo quis *vitat* ex metu gehennæ a peccato abstinet.

(3) Hæc magis evoluta videsis apud Ill^mo ac Reverend^mo Waffelaert. *l. c.*, p. 92 s., 116 ss. ubi de analysi amoris.

VI

Q. In quibusnam missis *de Requie* dicitur una tantum oratio et quænam hæc esse debet?

R. Rubrica Tit. V, nº 3 (inter *Rubric. gen. Missalis*) decreto 11 dec. 1897 reformata et ad normam recentiorum decretorum, speciatim 30 junii 1896 (1), concinnata, hanc dispositionem habet: « Una tantum oratio dicenda est in missis omnibus, quæ celebrantur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo et die Anniversario alicujus defuncti, necnon quandocumque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis ».

Juxta hanc ergo rubricam unica dicitur oratio in missis quæ ritui duplici respondent (2), illis scilicet diebus qui dicuntur privilegiati pro defunctis et in rubrica designantur. Hæc autem oratio erit conveniens missæ seu diei privilegiatæ vel aliquando dignitati aut qualitati defuncti vel defunctorum pro quibus celebratur. Itaque:

1º Dicitur una oratio « in missis omnibus, quæ celebrantur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum » et quidem illa *Fidelium* quæ est propria primæ missæ defunctorum pro hac die Commemorationis assignatæ. Si tamen hac die propter obitum vel depositionem, prout permittit decretum generale 9 julii 1895, missa exequialis, ut in die obitus, cantetur,

(1) Vide *Collat. Brug.* 1896, p. 477 seqq.
(2) Cfr. dicta *Collat. Brug.* 1898, p. 594.

vel etiam pro paupere (1) legatur, in casu oratio hujus missæ conveniens erit missæ exequiali de qua statim (2).

2° Una tantum oratio dicenda est « in missis omnibus quæ celebrantur die vel pro die obitus seu depositionis », scilicet in missa exequiali (3) cantata vel, pro paupere, lecta, necnon in missis privatis quæ juxta decretum 8 Junii 1896 (n° 3903) et rubricam missalis reformatam tit. V, n° 2 (4), præter exequialem cantatam celebrari possunt ut in die vel pro die obitus seu depositionis etiam in duplicibus (quibusdam diebus exceptis); sive corpus sit præsens, sive, propter gravem causam absens, insepultum tamen vel non ultra biduum sepultum; item in missa exequiali, quæ propter impedimentum liturgicum nec in sepultura nec duobus diebus sequentibus celebrari potuit et transfertur in primam diem non impeditam a festo duplice primæ et secundæ classis vel a festo de præcepto seu Dominica (5), necnon in missis privatis quæ, si ritus officii hac die occurrentis permittat missas de Requie quotidianas (6), adduntur missæ huic exequiali. Imo cum totum spatium quod mortem inter et sepulturam intercedit, reputetur in favorem defuncti tamquam unus dies obitus, ideo omnes missæ, quæ alicubi toto illo spatio temporis pro eo defuncto, permittente ritu, *de Requie* celebrantur, cum unica oratione ut in die obitus dici possunt (7).

---

(1) Decr. 12 Junii 1899, vide *Collat. Brugen.* 1899, p. 486 seqq. et 1901, p. 529.

(2) Præter illam unam missam exequialem reliquæ missæ privatæ seu lectæ dici debent ut in die commemorationis. Decr. cit. 9 Julii 1895 et decr. 20 Sept. 1687 (n° 1788).

(3) Cfr. *Collat. Brugen.* 1901, p. 666.

(4) Cfr. *Collat. Brugen.* 1901, p. 531.

(5) *Collat. Brugen.* 1901, p. 669 et 670.

(6) Cfr. l. c. p. 670 nota 1).

(7) Cfr. Ill. Vanderstappen *Rub. Miss.*, q. 324 et 332, ubi notatur non singulis diebus in hoc tempore inclusis iterari privilegia pro defuncto in obitu seu depositione concessa, sed semel tantum seu in uno solo die missas de Requie, occurrente *ritu duplici*, celebrari posse, scilicet die exequiarum.

Oratio autem in omnibus illis casibus, si missa celebratur pro laico vel clerico non sacerdote, erit *Deus, cui proprium est* ex secunda missa correspondente inscripta : « In die obitus seu depositionis defuncti. »

Si autem celebretur pro Summo Pontifice, pro Cardinali vel pro Episcopo, juxta rubricam specialem positam ad « Orationes diversas pro defunctis » (post quartam missam), dicitur prima missa (ut in die Commemorationis Omnium Fidelium), semper tamen cum oratione quæ dignitati respondet defuncti et ibidem inter orationes diversas ponitur, scilicet pro Summo Pontifice : « *Deus qui inter summos* » ; pro Episcopo *Deus qui inter apostolicos... pontificali dignitate* etc.; pro Cardinali Episcopo eadem oratio dicitur, cum variatione : « famulum tuum N. *Episcopum Cardinalem pontificali* » ; item pro Cardinali Presbytero eadem oratio sed cum variatione « famulum tuum N. *Presbyterum Cardinalem sacerdotali;* si tamen Cardinalis Presbyter episcopalem Consecrationem acceperit (ut plerumque contingit), juxta decretum 23 Sept. 1885 *in Rhemen.* dicendum est in casu : « famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem *pontificali* » ; pro Diacono Cardinali recitatur oratio *Inclina* (pro uno defuncto) sed hoc modo : « famuli tui *N. Diaconi Cardinalis*, quam etc. ». Pro defuncto Sacerdote juxta decretum 29 Jan. 1752 (nº 2417) prima vel altera missa dici poterit in die obitus vel in anniversario « dummodo pro eo Oratio « *Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. sacerdotali* etc. » omnino adhibeatur » (prouti indicatur in rubrica speciali 2).

3º Una tantum oratio dicenda est « etiam in missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo et die anniversario alicujus defuncti. » Jamvero in die 3, 7 et 30 (1) pro defuncto laico vel clerico non sacerdote dicitur missa secunda ut in

(1) Cfr. suprà p. 91, 4º.

die obitus, juxta rubricam positam post hanc missam; oratio tamen est specialis ibi assignata: « Quæsumus Domine... cujus depositionis diem tertium *vel* septimum, *vel* trigesimum commemoramus » (cum correspondente secreta et postcommunione); pro anniversario vero stricte dicto, de quo hoc loco agitur (1), etiam si die propria impeditum anticipetur vel postponatur juxta rubricas, dicitur tertia missa cum oratione propria « Deus indulgentiarum » (mutanda juxta genus et numerum). Si autem celebrandum pro Summo Pontifice, pro Cardinali, pro Episcopo dicenda est prima missa cum insertione illius orationis propriæ, quæ dignitati defuncti respondeat, prouti explicatum est supra 2° de die vel pro die obitus. Rubrica enim specialis ita disponit non tantum pro die obitus sed etiam pro anniversario, quod valere quoque pro die 3, 7 et 30 et applicandum esse etiam Cardinali Diacono docent auctores (2). Si vero celebratur pro Sacerdote, juxta decretum 29 Jan. 1752 jam citatum, in anniversario sumi prima vel tertia missa potest, dummodo omnino adhibeatur Oratio *Deus qui inter Apostolicos sacerdotes;* die autem 3, 7 et 30 eamdem orationem recitandam esse, et primam vel secundam missam sumi posse concludunt auctores (3). In rubrica habetur unam tantum orationem dicendam esse in missis cantatis, vel *lectis permittente ritu*. Notari enim debet, si lectas, sub quibusdam conditionibus in die obitus permissas, excipias, alias lectas, diebus privilegiatis anniversario, tertio etc. celebrari non posse de *Requie*, nisi diebus ritus duplici inferioris; casu autem quo permittuntur, cum unica oratione celebrari possunt, ritu scilicet qui duplici respondet (4).

(1) Cfr. suprà p. 91, 3°.

(2) Gavantus, p. IV, tit. 18, n° 6; cfr. Schrober *de cæremoniis missæ* append. IV, cap. I, 1 et 2.

(3) Cfr. Ill. Vanderstappen, q. 313.

(4) Cfr. *Ephemer. liturg.* 1900, p. 347.

4° Una dicitur oratio in missa quæ celebratur post acceptum nuntium de alicujus obitu (1). Hæc missa cantata vel etiam, permittente ritu, lecta, juxta decretum generale 2 dec. 1891 (n° 3755) est dicenda « ut in die obitus » ; consequenter juxta regulas traditas supra 2° adhibetur formulare primæ vel secundæ missæ et oratio quæ qualitati vel dignitati personæ conveniat et quæ recitanda est « prout est in missali », non omisso v. gr. in oratione « Deus cui proprium » verbo « *hodie* » etiamsi depositio jam facta fuerit (*Decr. 6 feb. 1892*, n° 3764, ad IV).

5° Etiam in anniversariis late sumptis (2) unica dicenda est oratio magis conveniens dignitati vel qualitati personarum pro quibus celebratur. Oratio autem *Indulgentiarum* ex tertia missa « in anniversario » non congruit, cum in casu non agitur de vere et sticte dictis anniversariis et non verificantur verba : « quorum anniversarium depositionis diem commemoramus ». Alia ergo est sumenda ex orationibus diversis pro pluribus defunctis. Ita juxta recens decretum (*Utinen. 20 Aug. 1901*) « in anniversario Episcoporum prima missa est dicenda cum unica oratione *propria* », quæ erit « Deus qui inter apostolicos... famulos tuos *pontificali* », juxta dispositionem specialis rubricæ inter orationes diversas ; « item in anniversario Episcoporum et Canonicorum » cum oratione « Deus qui inter apostolicos... famulos tuos *pontificali seu sacerdotali* » prouti legitur in quarta missa. « Pro anniversario autem Canonicorum *(vel aliorum Sacerdotum)* unica dicenda est oratia propria » scilicet juxta decretum 29 jan. 1752 supra citatum, « Deus qui inter apostolicos... famulos tuos *sacerdotali* » et prima vel tertia missa convenienter sumi potest. Si autem anniversarium late sumptum celebretur pro laicis vel clericis non sacerdotibus, vel pro

(1) Vide suprà p. 90, 2°.
(2) Vide suprà p. 92, 5°.

laicis simul et sacerdotibus, oratio erit una ex diversis magis congruens v. gr. « pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus » : « *Deus veniæ largitor* » vel una vel altera pro pluribus defunctis : « *Deus cui proprium* (nº 11) » aut « *Animabus quæsumus* (nº 12) » vel oratio « *Fidelium* » pro omnibus fidelibus defunctis; quoad formulare missæ nihil impedit quominus sumatur tertia « in anniversario » (excepta oratione) (1).

6º Decretum generale 2 decembris 1891 (nº 3753) declarat de speciali gratia permitti, ut in duplicibus minoribus celebrari possint, præter anniversaria late dicta quæ a religiosis communitatibus etc. semel in anno fieri solent pro confratribus defunctis, etiam « illa quæ pro fidelium pietate infra octavam Omnium Fidelium defunctorum locum habent », exceptis quibusdam diebus. Uti notavimus (p. 92), infra prædictam octavam hæ missæ cantatæ de Requie æquiparantur anniversiis late dictis, ideoque sicuti in duplici minori possunt cantari, ita etiam celebrari possunt ritu qui duplici respondet et non requirunt nisi unam orationem. (2) Hæc autem conveniens erit dignitati vel qualitati defuncti vel defunctorum, pro quibus missa offertur v. gr. pro Episcopo vel Episcopis, pro Sacerdote vel Sacerdotibus, pro uno, una vel pluribus defunctis etc., prouti sufficienter in antecedentibus explicatum est.

*Nota*. In omnibus præcedentibus præscindimus a rubrica posita post quartam missam : « Epistolæ et Evangelia superius posita in una missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia missa similiter pro defunctis ». Cum autem in quatuor missis præter Orationes, Epistolas et Evangelia omnia sint communia, ex hac rubrica sequitur, *retentis orationibus specialibus*, quamlibet earum quatuor missarum dici posse quoties pro defunctis celebratur. Huic tamen facultati limites

(1) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 367.
(2) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 329.

ponuntur, dum, uti vidimus, rubrica specialis et etiam decreta (uti 31 maii 1817 ad 12, 5 martii 1870 ad 5 et 20 aug. 1901 cit.) pro Summis Pontificibus et Episcopis (quod extenditur ad Cardinales Presbyteros et Diaconos) exigunt primam missam (cum orationibus tamen propriis) (1).

H. V. D. W.

# De incensationibus in Missa solemni.

1. Usus incensi in officiis liturgicis sub ipsa Veteri lege ortum habuit: etenim ex Scriptura (Exod. XXX) novimus præscriptum fuisse ut in *Sancto* erigeretur altare thymiatis in quo sacerdotes quotidie bis, mane scil. et vespere, incenderent thymiata seu aromata suavissimi odoris in honorem Dei. « Voluit autem Deus hos odores sibi adoleri, non quod odoratu thymiatis delectetur, cum nullum habeat odoratum, uti nec nares, nec corpus; sed quia magnus inter homines censetur honor suaves cuipiam apponere vel suffumigare odores: hinc Deus qui cum hominibus humano more agit, voluit eosdem ad suî cultum adoleri. Sic omnium gentium consuetudine et ritu, thuris et odorum incensio attributa est Deo; hinc Poëtæ *thuris honores* vocant honores divinos, et tres Magi hæc tria munera dederunt Christo: aurum regi, *thura Deo*, myrramque sepulto. Unde et nos christiani thurificamus Deo » A Lapide, in Exod. XXX, 1.

2. Merito igitur ad Missæ solemnitatem ab Ecclesia ordinatus fuit incensationis ritus, qui cæteroquin mysticis commendatur significationibus. Nimirum grana incensi quæ igne concremata consumuntur, in fumum

(1) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c , q. 315; Schöber, l. c.

abeunt et in altum elevantur atque suavem odorem spargunt, repræsentant nobis quod affectus et desideria cordis nostri, igne charitatis accensi, sursum ad Deum dirigi debent, atque in opera virtutis resolvi, unde fiamus « Christi bonus odor » (II Cor. II, 15), totaque vita nostra sit *hostia Deo in odorem suavitatis* (Eph. V, 2). Speciatim vero nubes incensi significant orationes quæ ex corde ferventi ad Deum elevantur ipsique gratissimæ habentur. Quare orabat Propheta (Ps. 140): « Dirigatur, Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo »; et Joannes, in Apocal. V, 8, vidit seniores habentes phiolas aureas plenas odoramentorum, *quæ* ait, *sunt orationes sanctorum.* (cfr. ibid. VIII, 3). Similiter fructus orationis seu *bonus odor gratiæ* apte designatur per suave olentem fumum thuris in templo sparsum: unde orat sacerdos, dum incensat oblata: « Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et *descendat super nos misericordia tua* »... (1)

3. In missa solemni prima fit incensatio ante *Introitum*, pro qua « celebrans *ter* incensum ponit in thuribulum, *interim* (2) dicens: *Ab illo benedicaris in cujus honorem cremaberis* » (Rubr. miss.): *ter* imponit incensum adsignificans illud offerendum Deo uni et trinò; quæ significatio completur benedictionis formula: « Ab illo (singulari numero) benedicaris (i. e. gratum, acceptum habearis) in cujus honorem cremaberis »; et quidem hic est scopus primarius oblationis incensi, honorem deferre Deo, sicut sub Veteri lege, ut dictum est, ipsemet fieri jusserat; hominibus viatoribus verò *honoris causa* non defertur nisi ob eorum respectum seu relationem ad Deum, quà sunt Dei ministri vel populus ipsi dicatus: ceterùm horum thurificatio, uti infra

(1) Cfr. Lebrun, *op. cit.*, Part. I, art. IX. — Gihr, *Le saint sacrifice de la Messe*, tom. II, p. 3 svv. — De Herdt, *Praxis Sacræ Liturgiæ*, tom. II, n. 55.

(2) Igitur contra rubricam agunt sacerdotes bene multi, qui hanc benedictionis formulam pronuntiant dum super thuribulum producunt signum crucis.

notabitur, etiam in admonitionem salutarem fieri videtur... Benedictionem incensi perficit *signum crucis* a celebrante super illud productum (quod ceteroquin in omni benedictione liturgica servatur) quo tacite invocantur merita Christi Redemptoris ad divinam benedictionem impetrandum. Antequam signet incensum « celebrans jungit manus, uti ante omnem benedictionem fieri debet, ad significandum se benedicere non propria virtute, sed Dei, a quo supplici gestu benedictionem petit » **De Herdt, l. c.**

4. Prius incensatur altaris crux vel SS. Sacramentum, si sit expositum, ut prima obsequia offerantur Christo Jesu sive realiter præsenti sive imagine sua repræsentato. — Si adsint in altari reliquiæ Sanctorum, et hæ incensantur, tum ut reverentia debita exhibeatur illis qui, dum viverent, *sicut cinnamomum et balsamum aromatisans odorem dederunt* virtutis et sanctitatis; tum ut nostræ orationes Sanctorum intercessionibus apud Deum suffulciantur. — Dein thurificatur ipsum altare omni ex parte (1), quasi in proximam præparationem ejus ad sacrificii divini super ipsum celebrationem, et in signum venerationis, qua, utpote tanto mysterio dicatum ac consecratum, factum est dignum; denique cum altare Christum repræsentet, ejus incensatio apte repræsentat bonum odorem gratiæ, quæ ex Christo, maxime tempore Missæ, in nos diffunditur. (Cfr. S. Thom., P. 3, q. 83, art. V, ad 2). — Incensato altari, hic solus incensatur celebrans et quidem triplici thuribuli ductu, tanquam personam gerens Christi, summi Pontificis **invisibilis. (2)**

(1) Juvat observare cum Quarti (p. cit., P. III, Tit. IV, n. 4) « id quod dicitur in Rubrica, ut sacerdos post crucem incenset altare ter ducens thuribulum, *prius introducatur candelabra*, non esse intelligendum quod ipsa candelabra incensari debeant, sed incensatur altare quoad partem posteriorem; nam etiamsi panciora sint candelabra, adhuc triplici ductu **ea pars est incensanda in utroque latere ».**

(2) Cfr. Gihr, l. c., p. 11, ubi addit: « Toute cette cérémonie de l'encen-

5. Altera et quidem solemnior thurificatio in Missa (de incensatione libri Evangeliorum alibi dicetur) fit post panis et calicis oblationem, et quasi ejusdem oblationis extensio haberi potest. Incipit autem a benedictione incensi, quæ fit formula solemniori, qua invocatur divina benedictio per intercessionem omnium electorum et speciatim beati Michaëlis archangeli, *stantis a dextris altaris incensi:* propter hæc verba « communiter putatur, ait De Herdt, l. c., n. 77, auctorem hujus orationis non intendisse exprimere angelum, qui Apoc. VII, 3, stetit ante altare, quique nonnisi conjecturaliter dicitur fuisse S. Michael; sed voluisse exprimere angelum Gabrielem. qui (Luc. I) Zachariæ apparuit, stans a dextris altaris incensi: unde antiquissimi codices Gabrielis nomen referunt, pro quo postea librariorum oscitatione illud Michaelis substitutum esse debet. Nihil tamen innovandum esse respondit S. R. C. 25 Sept. 1706 ». Fortasse dici potest hic alludi ad apparitionem S. Michaelis in monte Gargano, ubi traditur archangelorum principem constitisse thuribulum manu gerentem ; unde de eodem legitur in officio: *Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua.* (1)

6. Primùm incensantur oblata; de quo ritu scribit Quarti P. II, Tit. VII, n. 10: « Sicut per altare significatur Christus, ita etiam et quidem expressius per oblata in Christi corpus et sanguinem convertenda; et idcirco sicut in thurificatione altaris, per odorem, qui inde emanat, significatur effectus gratiæ, qui a Christo derivatur ad fideles, ita in hac thurificatione, qua inincensantur oblata, per odorem inde emanantem si-

---

sement si édifiante, si solennelle, doit exciter dans les assistants une dévotion plus vive, et les avertir que de même que l'encens se consume sur des charbons ardents, ainsi leur vie doit se consumer, comme un précieux holocauste, dans les flammes de la charité, pour la gloire et au service de Dieu ».

(1) Cfr. Lebrun, P. III, art. 7.

gnificatur *effectus uberrimus gratiarum ex sacrificio provenientium*, in quo Christus est hostia. — Ducitur autem thuribulum primò per modum crucis, quia fructus gratiarum hujus sacrificii incruenti a sacrificio crucis tanquam a fonte proveniunt; secundò etiam ter ducitur circumcircà a dextris et a sinistris, ut indicetur nos usquequaque adjuvari virtute sacrificii in prosperis et adversis »... (1) Istam gratiæ divinæ abundantiam postulat sacerdos oratione concomitante: « Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et *descendat super nos misericordia tua* ».

7. Deinde incensat crucem, et reliquias Sanctorum, si sint in altari, denique ipsum altare (vid. suprà n. 4) interim recitans aliquot versus Ps. 140, quibus rogat Deum ut unà cum sacrificii oblatione oratio sua et populi fidelis, cujus nomine loquitur, sit illi grata et accepta, sicuti ei placebat olim sacrificium incensi, ipso jubente, singulo mane et vespere in templo oblati; dicit ergo: *Dirigatur oratio mea* atque ad cœlum ascendat *in conspectu tuo*, *sicut incensum* suave tibi olens seu perfecte complacens, non quidem propter se sed propter devotionem offerentis; atque *elevatio manuum mearum*, mentis ac cordis mei elevationem ad te significans, placeat tibi, sicuti illud *sacrificium vespertinum* thuris, quod tibi ad vesperum offerri volebas (Exod. XXX, 8). Et quoniam oratio, ut tibi sit accepta, procedere debet ex labiis impollutis, *pone*, *Domine, custodiam ori meo* seu *ostium circumstantiæ* (i. e. ostium bene custoditum) *labiis meis;* aliis verbis: concede mihi gratiam sedulo vigilandi, ut nullum verbum iniquum ex ore et labiis meis prolabatur, utque *non declinet cor meum in verba malitiæ* seu non movear ad proferenda verba maligna, quibus quæram fallaciter excusare pec-

(1) Quomodò per tres illos ductus circulares thuribuli mysterium SSmæ Trinitatis haberi possit significatum acute exponit auctor opusculi: *Triplex expositio totius Missæ*, cap. VI.

cata mea (*ad excusandas excusationes in peccatis*) : igitur da mihi peccata, speciatim peccata linguæ, caute vitare et delicta commissa corde contrito et ore sincero coram te confiteri. — Denique reddens thuribulum diacono orat: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam æternæ charitatis. Amen;* quo nimirum igne absumantur cuncta cordis vitia quæ impedire possent ne orationes et sacrificia nostra *cum odore suavitatis* ad thronum divinæ majestatis ascendant.

8. Posthæc incensatur celebrans, deinde ministri altaris aliique sacerdotes ac clerici præsentes, et tandem ipse populus Missæ assistens. Ad hæc observat Quarti l. c. dub. III, « ritum incensandi eos, qui Missæ assistunt in choro et in ecclesia, laudabilem et convenientem esse... Ratio reddi potest tum quia laudabile est moderatum honorem exhibere iis qui Missæ deserviunt et assistunt, tanquam Christi fidelibus; tum ob significationem qua pie exprimitur virtutum odorem a Christo derivari ad fideles, officio ministrorum, secundum illud 2 *Cor.* II, 14: *Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco.* Et ideo, ut docet S. Thom. (III, q. 38, a. 5, ad 2), *undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.* Præterea ista cæremonia salutarem videtur continere instructionem; qua nimirum tacite monet Ecclesia eos qui incensantur ut virtutum exemplis *Christi bonus odor sint* (2 *Cor.* II, 25). Quapropter, uti observat Lebrun, l. c., § 3, omnis qui hujusmodi incensatione condecoratur sibi dicere deberet: id honoris mihi non congruit nisi in quantum sim ille bonus odor spiritualis huncque diffundam: an igitur talis sum qualem Ecclesia me esse significat? Ut autem talis fiat, oret et ipse, sicut sacerdos, dum thurificatur: « Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam æternæ charitatis ».

H. V. D. B.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois d'Avril.

Le *conseil* de fabrique est tenu de s'assembler en séance ordinaire, le dimanche 6 Avril prochain (art. 10 du décret du 30 Déc. 1809).

Dans cette séance le conseil pourvoit d'abord, s'il y a lieu, au remplacement des membres décédés, démissionnaires etc. (art. 6 de l'arr. royal du 12 Mars 1849). Le conseil ainsi complété procède ensuite à la nomination de son président et de son secrétaire: les dignitaires sortants peuvent être réélus (art. 9 du décret de 1809). Enfin il réélit ou remplace le marguillier ou membre du bureau le plus ancien en exercice (même décret, art. 11, 15 et 17).

Ce même dimanche le *bureau* des marguilliers doit se réunir à l'effet de pourvoir à la réélection ou remplacement de son président, de son secrétaire, et de son trésorier: ces dignitaires doivent être nommés parmi les membres du bureau (art. 19 du décret cité).

MM. les curés du diocèse de Bruges sont tenus d'envoyer à l'évêché, avant le 20 Avril prochain, le résultat des élections ci-dessus mentionnées, ainsi que l'état complet de la composition du conseil et du bureau, avec indication de la date de nomination de chaque membre. *Epist. circ.* 6 febr. 1897 (*Coll. epist. past.* XV, p. 361); cfr. *Calend. liturg.*, an. 1902, p. 111.

Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 205; T. II, p. 143; T. III, p. 178.

# Pensions de Vieillesse

## Allocation annuelle de 65 francs

L'Office du Travail a publié récemment, en vue d'unifier la jurisprudence concernant les allocations de 65 francs, une *Instruction générale* qui coordonne et complète les multiples dispositions législatives antérieures régissant la matière. D'autre part, M. le Ministre de l'Industrie et du Travail a envoyé aux Comités de patronage, à la date du 5 février 1902, une *Circulaire* relative à l'application de l'arrêté royal du 20 octobre 1900.

Ces deux documents officiels, publiés après la première application de l'art. 9 de la loi sur les pensions de vieillesse, corroborent de tout point le Commentaire que nous avons donné de l'arrêté royal du 20 octobre 1900 (voir T. VI, p. 61 ss.) et les observations complémentaires que nous y avons ajoutées (T. VI, p. 426 ss.; 488 s.; 537 s., 671 ss., T. VII, p. 166 ss.).

Cependant cette première application ayant fait surgir certaines difficultés d'interprétation, elle a donné au Gouvernement l'occasion de préciser davantage plusieurs dispositions de l'arrêté royal.

Nous croyons donc opportun, — la jurisprudence étant désormais fixée, — de reproduire, disposés dans l'ordre des articles de l'arrêté qu'ils concernent, les passages saillants de l'*Instruction générale* et de la dite *Circulaire ministérielle*.

### CHAPITRE I. — Conditions auxquelles l'allocation est subordonnée.

Art. 2 de l'A. R. du 20 octobre 1900: Première condition: *il faut être Belge*. (Voir T. VI, p. 63). « Les personnes nées dans une des parties du Limbourg ou

du Luxembourg détachées de la Belgique par les traités du 19 avril 1839 possèdent la nationalité belge, si elles ont déclaré vouloir la conserver et se sont conformées, à cette fin, aux dispositions de la loi du 4 juin 1839. Lorsque ces personnes ont omis de faire cette déclaration en temps opportun, elles peuvent obtenir la naturalisation et jouissent, à cet effet, de l'exemption des droits d'enregistrement.

La qualité de Belge se constate par la production des actes de l'état civil ou de naturalisation, comme en matière électorale (1). ».

Art. 6. — Cinquième condition : *il faut se trouver dans le besoin.* (T. VI, p. 74). « Se trouver dans le besoin, c'est ne pouvoir suffire à son entretien selon la condition habituelle des ouvriers de la région et de la même profession, et ce en tenant compte de toutes les ressources et de toutes les charges.

L'appréciation du besoin est une question de fait que les comités de patronage ont à résoudre dans chaque cas particulier d'après les éléments qui leur sont fournis.

Pour établir les ressources des intéressés, il y a lieu de tenir compte notamment de leur salaire et de celui de leur conjoint et de leurs enfants, beaux-enfants ou descendants habitant avec eux, ainsi que des subventions résultant de droits personnels, telles que les pensions alimentaires qui sont servies par des enfants ou descendants aisés n'habitant pas avec les requérants. Il convient, en outre, de prendre en considération les pensions qui sont fournies aux requérants par des caisses de prévoyance et les secours qui leur sont alloués par les bureaux de bienfaisance. Si les allocations de ce genre, ajoutées aux autres ressources que peut avoir l'intéressé, ne suffisent pas pour subvenir aux besoins de celui-ci, eu égard à ses infirmités et

(1) *Instr. génér.*, p. 2.

aux autres charges du ménage, l'avantage de l'article 9 pourra lui être accordé.

L'exploitation d'un débit de boissons, d'un magasin de denrées, etc., par un ouvrier ou ancien ouvrier est très souvent l'indice que l'impétrant jouit de ressources suffisantes pour pourvoir à sa subsistance. Il n'y a donc pas lieu, en général, d'accorder aux cabaretiers et aux détaillants l'allocation annuelle de 65 francs. Ce n'est que dans le cas exceptionnel où son commerce ne donnerait pas un bénéfice sérieux qu'un débitant pourrait être admis à recevoir l'allocation de 65 francs, à condition, bien entendu, qu'il soit réellement dans le besoin et qu'il réunisse, d'ailleurs, les autres conditions prévues par la loi.

Les vieillards recueillis dans une institution charitable qui pourvoit complètement (1) à leur subsistance, c'est-à-dire leur procure le logement, la nourriture, les habillements, etc., et, éventuellement, les soins médicaux, ne peuvent pas être considérés comme se trouvant dans le besoin au sens de l'article 9 de la loi du 10 mai 1900. Mais il en serait autrement, si des personnes admises à l'allocation de 65 francs parvenaient plus tard, *grâce à ce subside,* à se faire admettre dans un hospice, ou bien encore si l'établissement hospitalier ne pourvoyait qu'à une partie des besoins des personnes secourues et que celles-ci n'eussent pas les ressources nécessaires pour assurer leur subsistance quant au surplus.

L'allocation de 65 francs ne peut profiter qu'aux intéressés et non pas aux établissements hospitaliers qui pourvoient à leur subsistance. Les institutions charitables ne seront donc pas admises à recevoir les

(1) La *Circulaire ministérielle* du 5 février aux Comités de patronage s'exprime comme suit :

« Les vieillards hospitalisés ne peuvent prétendre à l'allocation de 65 francs, lorsqu'ils reçoivent les secours indispensables pour pouvoir vivre selon la condition habituelle des ouvriers de la région ; il n'y a pas lieu de les admettre au bénéfice de l'article 9, parce que « l'argent de poche » leur ferait défaut ».

allocations auxquelles auraient pu prétendre les vieillards s'ils n'avaient pas été hospitalisés avant la mise en vigueur de la nouvelle loi sur les pensions de vieillesse. Ces institutions ne pourront pas bénéficier directement des allocations octroyées à d'anciens ouvriers qui seront hospitalisés après avoir été admis à jouir de l'avantage stipulé à l'article 9 précité, et auxquels cet avantage serait continué conformément à ce qui est dit ci-dessus.

Les allocations de 65 francs sont accordées sans préjudice des secours ordinaires de la bienfaisance publique. Le législateur n'a voulu d'aucune façon réduire les charges de bienfaisance incombant aux administrations communales. Il ne peut donc pas être tenu compte par les bureaux de bienfaisance des allocations accordées en vertu de la loi du 10 mai 1900. pour supprimer ou réduire les secours qu'ils avaient l'habitude d'octroyer précédemment.

Il n'y a pas lieu, pour le motif exposé ci-dessus en ce qui concerne les hospitalisés, d'accorder l'allocation de 65 francs aux personnes internées dans les asiles d'aliénés, dans les dépôts de mendicité ou dans les maisons de refuge. Ces personnes peuvent, après leur libération, être admises à la dite allocation, si elles en font la demande en temps opportun et si elles remplissent les conditions prévues à l'article 9 précité.

Lorsque l'allocation a été accordée à un aliéné qui est colloqué ultérieurement, elle ne peut pas profiter à l'administration publique qui doit pourvoir à son entretien. Il appartient à l'administrateur des biens de l'aliéné d'apprécier de quelle manière la situation actuelle de celui-ci peut être améliorée grâce à cette allocation : dans le cas exceptionnel où il y aurait des chances de guérison, l'administrateur décidera s'il n'est pas préférable de réserver la somme pour la remettre à l'intéressé lors de sa sortie de l'asile ». (1)

---

(1) *Instr. génér.*, p. 5 ss.

## CHAPITRE II. — Procédure d'Instruction. (Voir T. VI, p. 78 ss.).

ART. 7. — *Rédaction des requêtes,* (T. VI, p. 80). « Les requêtes doivent indiquer, dans tous les cas, le lieu de naissance et la profession du conjoint, même quand celui-ci est décédé. Il convient aussi d'ajouter les mots « ouvrier ou patron » à la profession du requérant, lorsqu'il peut y avoir doute à ce sujet, par exemple: ouvrier tailleur ».

« La prompte instruction des requêtes (1) exige qu'elles soient accompagnées d'un extrait de l'état civil, de certificats relatifs à la nationalité, au salaire, aux secours de l'assistance publique, etc. Il est désirable aussi que les requêtes portent les noms des patrons au service desquels les impétrants travaillent ou ont travaillé (2) ».

ART. 8. — *Receveurs des Contributions*, (T. VI, p. 82). « Les requêtes doivent être visées par les receveurs des contributions, même si les requérants ne paient pas d'impositions (3) ».

ART. 9. — *Comités de patronage*, (T. VI, p. 86). « L'arrêté royal du 20 octobre 1900 laisse aux Comités de patronage toute liberté d'appréciation en ce qui concerne les moyens d'investigation ou de contrôle auxquels ils croient devoir recourir selon les circonstances. Ils peuvent renvoyer les dossiers incomplets aux administrations communales et demander à celles-ci de vouloir se livrer à un supplément d'instruction. Ils ont le droit de désigner dans toutes les communes de leur ressort des membres correspondants auxquels ils peuvent demander un rapport sur les requêtes qui leur

---

(1) Bien que cela ne paraisse pas formellement nécessaire. Voir T. VI, p. 83.

(2) *Instr. génér.*, p. 8.

(3) *Instr. génér.*, p. 10.

parviennent. Il leur est permis aussi, à défaut d'autres moyens d'information, d'interroger l'impétrant ou de faire procéder à une enquête » (1).

ART. 13. — *Instruction ultérieure des demandes admises* (T. VI, p. 91).

« Une nouvelle instruction est nécessaire :

1° Lorsque, soit l'administration communale, soit un membre effectif ou correspondant du Comité, soit toute autre personne, aura signalé un changement dans la situation d'un intéressé ;

2° Lorsqu'il sera à présumer que des renseignements inexacts ou incomplets auraient été produits lors de la première instruction ;

3° A l'égard de tout bénéficiaire qui aura transféré sa résidence dans une autre commune située dans le ressort du Comité.

Dans ces trois cas, le Comité aura soin de notifier aux intéressés, par lettre recommandée, qu'une nouvelle instruction est ouverte à leur égard et de les inviter à lui faire valoir les raisons qui seraient de nature à justifier la continuation du bénéfice de l'allocation.

Lorsque la résidence d'un intéressé aura été transférée en dehors du ressort du Comité, celui-ci en avisera le Comité compétent, auquel incombera le soin de faire la notification prévue ci-dessus.

Les Comités notifieront leurs décisions, par lettres recommandées, aux intéressés auxquels l'allocation aura été retirée » (2).

A. C.

---

(1) *Instruct. génér.*, p. 11.

(2) *Circul. ministér.* du 5 février 1902 aux Comités de patronage.

# Ex S. Congr. Indulgentiarum

## I

**Adnectuntur indulgentiæ exercitiis in honorem SS$^{mi}$ nominis Jesu intra mensem Januarii peragendis.**

LEO PP. XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

A nulla quidem re Christiano homini datur potius capere auspicium posse, quam a Sanctissimo Nomine Jesu, quod est *super omne nomen* et in quo *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur*. Non latuerat id certe veteres Christianos, qui omnium rerum gerendarum initium ab illo ducere solebant, ut scilicet sibi rebusque suis, quem optabant, exitus contingeret. Nostris etiam temporibus Ecclesiæ luctuosis sancta hæc et laudabilis consuetudo deleta omnino non est: nonnulli enim Christiani populi initium novi anni a Nomine Jesu faciunt illique integrum mensem Januarium, quo mense aguntur solemnia Jesu Nomini recolendo, Deo quasi anni primitias offerentes, solent consecrare. Nos idcirco, qui de bono atque utilitate animorum, quorum Nobis est divinitus commissa salus, solliciti damus operam, ut boni mores in Christianas civitates invehantur, pravi et corrupti prohibeantur, vehementer cupimus atque optamus, ut prisca illa consuetudo inter familias christanas reviresca et floreat. Id enim apprime respondet et consentaneum est orationi dominicæ in qua pie sancteque obsecramus Deum quotidie ut *sanctificetur nomen Tuum;* neque res atque actus nostri tristes habebunt exitus, si eos in nomine Jesu exordiamur. Quamobrem vestigiis insistentes decessoris Nostri Pii Papæ Noni rec. mem. qui Ecclesiæ Neapolitanæ sanctum illum antiquorum christianorum usum retinenti de cœlesti thesauro divitias est largitus, rogante Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, omnibus et singulis Christifidelibus, qui speciale aliquod obsequium SS$^{mo}$ Nomini Jesu quolibet die mensis Januarii devote exhibuerint, tercentos dies, si id

in Ecclesia vel publico Oratorio præstiterint, si vero privatim centum tantum dies de numero pœnalium in forma Ecclesiæ solita expungimus. Iisdem vero Christifidelibus qui præfato pio exercitio publice, idest in aliqua Ecclesia vel publico Oratorio quotidie adstiterint et postremo die quo idem pium exercitium explebitur, vere pœnitentes et confessi ad Sacram Synaxim accesserint et pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione preces ad Deum effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et pœnitentiarum relaxationes etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut præsentes nullæ sint si earum exemplar S. Cong^ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ non exhibeatur: utque præsentium exemplis seu transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ præmunitis eadem prorsus adhibeatur fides quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris XXI Decembris MDCCCCI.

Pontificatus Nostri anno vigesimoquarto.

Pro Do^no Card. MACCHI
N. MARINI *Subst.*

Præsentium Litterarum Apostolicarum exemplar exhibitum fuit huic S. Cong^ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ.

In quorum fidem etc.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Cong^nis, die 4 Martii 1902.

Pro R. P. D. FRANCISCO Archiep. Amiden. *Secret.*

L. ✠ S.

JOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst.*

II

**Indulgentiæ adnexæ ascensioni Scalæ Sanctæ de Urbe, ad septennium conceduntur, pro quatuor diebus in anno, ascendentibus scalam prope Sanctuarium B. M. Virg. de Lourdes.**

LEO PP. XIII.

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui Scalam ducentem ad collem, ubi Stationes Viæ crucis erectæ sunt, prope Sanctuarium Lapurdense B. Mariæ Virg. Immaculatæ in Diœcesi Tarbien., quatuor anni diebus ad cujusque arbitrium sibi eligendis, flexis genibus devote ascenderint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si Scalam Sanctam de Urbe personaliter et devote flexis genibus ascenderent, Apostolica Auctoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX Januarii MCMII. Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.

Pro D. Card. MACCHI

L. ✠ S.

N. Marini, *Subst.*

**Adnotatio.** Ad instar *scalæ sanctæ* in Urbe, nuperrime, prope sanctuarium B. Mariæ Virginis in Lourdes, erecta est scala sancta, qua ascenderetur ad stationes Viæ Crucis, in clive collis statutas. Hanc scalam ascendentibus præsenti brevi apostolico, concedit Leo XIII

ad septennium easdem indulgentias quæ adnexæ sunt ascensioni *scalæ Sanctæ* in Urbe, h. e. *indulgentiam novem annorum pro singulo gradu* (1), quatuor tantum in anno diebus ad arbitrium uniuscujusque eligendis, dummodo vere pœnitentes et S. Communione refecti, flexis genibus devote eam ascendant et ibidem orent ad intentiones consuetas Summi Pontificis.

# Consultatio.

**Quæritur.** Liceat unam alteramve difficultatem movere contra sententiam apud *Collat.*, hoc tomo, p. 96 et seq., propositam, vi cujus fideles, probabiliter reputantes se versari in peccato mortali, debent, si non confitentur, communioni præmittere actum contritionis perfectæ vel saltem serium ad id adhibere conamen. Nimirum

1° Non raro continget ut qui probabiliter credunt sese esse peccati mortalis reos reipsa versentur in statu gratiæ. Jamvero non intelligitur quo jure hujusmodi personis onus possit imponi eliciendi actum contritionis quo nullatenus indigeant.

2° Si peccati mortalis probabiliter noxii non possunt ad S. Synaxim accedere nisi prævie confessi vel perfecte contriti ideo ne sacramentum periculo exponant infructuositatis et inde exurgentis irreverentiæ, a pari cogendus est pœnitens, culpæ lethali dubie obnoxius, ad hujus culpæ dubiæ confessionem, ne periculum incurrat irreverentiæ irrogandæ in sacramentum Pœnitentiæ; quam conclusionem repudiant theologi passim.

**Respondetur.**

**Ad 1m.** Profectò positive dubitans de statu peccati gravis, si reipsa gratia sanctificante existit ornatus, a

(1) *Raccolta*, ed. 1898, p. 135.

*parte rei* non indiget contritionis actu ut SS. Sacramentum fructuosè suscipiat; attamen, posito dubio positivo de quo in hypothesi, deficit penes ipsum *subjectiva* certitudo circa statum gratiæ, qua stante incertudine subjectiva, si ad S. Communionem accedit, SS. Eucharistiam suscipit conscius periculi cui se exponit infructuosæ receptionis.

Jamvero infructuosa hujusmodi sacramenti susceptio, cum, uti vidimus, involvat irreverentiam gravem non secus ac susceptio invalida, absolute est vitanda, ad id urgente virtute Religionis, adeo ut ne ipsius periculo quidem liceat nos scienter exponere.

**Ad 2m.** Omninò negamus paritatem inter casum superius solutum et hypothesim contra nos a consulente inductam, pœnitentis scilicet cum peccato dubio ad confessionem properantis.

Et sane *certa* est et *inconcussa* sententia quæ docet peccata dubia non esse in confessione accusanda, cum ad confessionis formalem integritatem sufficiat, id docente ipso Concilio Tridentino, exponere peccata quorum *conscientia* habetur: conscientia autem non consistit cum dubio positivo. Peccati autem reatus, in supposito quod reipsa adsit, cum aliis hic et nunc confessis indirecte remittitur, positis aliunde requisitis ad efficaciam sacramenti. Cf. *Collat.*, IV, p. 75.

Secus igitur ac in nostro casu, nullum enascitur periculum pro sacramento Pœnitentiæ ex omissione peccati dubii. Cæterum periculum, si daretur, afficeret ipsum valorem sacramenti, cum integritas formalis postuletur non ad solam fructuositatem, sed ad ipsam sacramenti validam susceptionem.

A. D. S.

# Collationes Brugenses

## Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VII, pag. 58.)*

—

269. **Conclusionis** instar eorum omnium quæ fusius explicanda merito duximus, jam nullo negotio ex dictis eruitur natura veraque indoles diversarum functionum operationis Dei ad extra, relate ad res materiales.

Et quod quidem inferiores primum seu inorganicas attinet, Deus materiam primam immediate et per se creatam necessario eadem actione immediate conservat: quod ita tamen intelligas ut creata sit materia sub concreata forma etheris, nec enim materia proprie creatur sed compositum seu substantia materialis. Unde et etherem Deus conservat, mediante materia immediate conservata cum sua propria dispositione ad formam etheris.

Porro Deus e potentia materiæ sub forma etherea existentis, in certa quantitate et debita dispositione prævie illi indita, eduxit formas elementares seu constituit certas species elementarium corporum inorganicorum, singularumque specierum certam molem seu certum numerum virtualem saltem individuorum, ad universi evolutionem convenientes, idque nulla mediante virtute corporali efficiente, neque enim præter divinam virtutem vel angelicam (1) ulla erat virtus ad

---

(1) Lege S. Thom., 1, q. 65, a. 4. — Ibi S. Doctor rite distinguit *primam corporalis creaturæ productionem*, quam nos de solo ethere, ut modo supra, intelligimus, quæque fit sine transmutatione, Deique solius est, et *productionem rerum per eductionem formæ e potentia materiæ*, quæ fit vel a Deo, vel ab angelis — quod quidem necesse est fieri, si una tantum sit materialis substantia, puta etheris, unum agere capax — disponendo nempe materiam et transmutando; aut fit, si plura jam sint agentia corporalia, spe-

hoc perficiendum, cum etheris una substantia nonnisi unum agere posset.

Igitur, quemadmodum non immediate creavit substantias elementares inorganicas sed, eductis earum formis e potentia materiæ, eas e præjacente materia actione immediata vel per angelos produxit, similiter easdem conservat non ea actione immediata, quæ sit continuata creatio, sed dependenter a materia seu con-

---

cifica. per actionem harum substantiarum materiam diversis modis transmutantem et disponentem ad diversas formas.

Utiliter addimus verba Cajetani, in h. l. dicentis: « Adverte hic diligenter quod formam fieri per transmutationem, et ipsam educi de potentia ad actum, non differunt. Et propterea non est idem formam recipi in materia, et educi de ipsa: sed oportet quod forma ex vi transmutationis resultet. Imaginandum est enim formas omnes educibiles præesse in materia in potentia, quasi latitantes sub potestate ipsius, et esse in ea vim causativam earum, materialiter tamen; ita quod accedente determinato agente ad certam speciem et transmutante materiam, illa ex vi talis mutationis mutatur; non ex eo quod habet in se aliquid extrinsecus adveniens, sed ex eo quod habet indeterminate, paulatim determinatur ad habendum distincte quod in se prius habebat confuse. Hæc enim est vis determinativæ transmutationis. »

Aliis etiam locis hanc distinctionem inter productionem per transmutationem, et productionem simpliciter inculcat Doctor Angelicus, v. g. 1, q. 95, a. 3, in corp., ubi nullum agens ait agere nisi transmutando præter solum Deum; et q. 96, a. 2, ubi aperte rursum asserit solius Dei esse formam producere in materia (non educere e potentia materiæ) absque adminiculo præcedentis formæ materialis. Ex quibus ulterius concludit, restringendo adhuc potentiam transmutandi creaturarum, nec angelos vel transmutare posse corpora ad formam aliquam nisi adhibitis seminibus quibusdam. « Quia igitur corpus humanum numquam formatum fuerat, cujus virtute per viam generationis aliud simile in specie formaretur, necesse fuit quod primum corpus hominis immediate formaretur a Deo. » Licet non omne ministerium angelorum in hoc excludi debeat (ad 1m).

Quoniam hic de virtute angelica agitur, haud immerito in memoriam revocamus quam congrue supra posuimus angelos primos esse creatos, nempe simul cum ethere, in primo instanti temporis seu simul cum tempore (cf. S. Thom., 1, q. 66, a. 4) et spatio; nec enim, quamvis spiritus, independentes sunt a loco et spatio, ut Deus, qui est supra omne spatium et locum, omneque tempus; sed, utpote spiritus finiti, sunt in spatio et loco, nec in pluribus locis simul, nec plures in uno loco esse possunt. Sunt autem in loco, non sicut corpora circumscriptive, sed definitive, continentes locum, non contenti in eo (cf. ibid., q. 52).

servando materiam primam (ad illas formas elementares dispositam et propriam) sub illis formis: aliis verbis, quas substantias immediate quidem ex parte actionis suæ, non vero ex parte subjecti earum seu materiæ (ut in creatione fit) produxit, similiter conservat non immediate immediatione suppositi, quasi continuans suam primam actionem productivam, sed immediatione virtutis tantum, mediante materia immediate conservata cum sua quantitate et dispositione propria ad tales formas, adeoque hoc sensu vere mediate conservat illas substantias elementares.

Hæc vide quomodo congruant cum supra dictis: quemadmodum Deus est proprie causa *esse*, causæ vero secundæ solum esse *hujus* vel *talis*, ita et Deus conservat esse, mediantibus vero causis secundis esse *hoc* vel *tale* (1). Unde et quod Deus immediate conservat, est incorruptibile, nec interire potest nisi Deus annihilet, quod non facit. Quod mediate vero conservat Deus, est corruptibile, continuo transformari potest, ac desinere ut est hoc vel tale; unde et speciem quamdam, puta plantæ, animalis, plane interire non repugnat, et interiisse constat, ut videbimus.

270. Omnibus elementis ad evolutionem universi constitutis, simul motio prima Dei primi motoris, supra explicata, in actum reduxit seu ad opus applicavit energiam universi, quæ quidem motio est causa motus ut sic, qui in diversis causis secundis agentibus, pro earum diversa natura, diversificatur in motum hunc et talem. Motio prima Dei cum conservatione, qua immediata, est causa perseverantiæ motus in universo materiali; eadem motio, qua recipitur in diversis, cum conservatione, qua mediata, est causa diversitatis motuum, et vocari potest concursus divinus.

Unde vides in universo materiali requiri interventum immediatum Dei, immediatione suppositi seu agentis,

(1) Lege S. Thom., *c. Gent.*, l. III, c. 66.

ita ut nullum agens mediet, triplicem et præterea nullum alium, videlicet 1° primam creationem materiæ (sub forma concreata etheris); conservationemque ejusdem materiæ primæ, quæ est continuata creatio, quæque adeo una eademque est actio Dei ad extra; 2° primam dispositionem materiæ ad formas diversas substantiarum materialium elementarium specifice diversarum, seu primam eductionem illarum formarum e potentia materiæ adeoque primam productionem specierum materialium, mediante materia sic diversimode disposita et immediate conservata, conservandarum; 3° motionem primam universæ energiæ materialis.

Et quoad 1m quidem intelligitur interventus Dei immediatus immediatione suppositi, absolute ita ut necessario excludat omne suppositum seu agens medians. Quoad 2m, ita ut excludat mediationem agentis materialis, non forte superioris puta angelici, cujus aliquo saltem ministerio utatur. Quoad 3m, similiter, ita tamen ut, si ministerio angelico utatur, maneat tamen primus motor absolute excludens medium respectu ipsius angelicæ virtutis, adeoque sit tandem solus primus motor immotus.

Præterea, dicimus, non requiritur interventus immediatus Dei immediatione suppositi in universo materiali, qua tali, adeoque non est imaginandum Deum immediatione suppositi movere singulas creaturas materiales ad actum, cumque his agentibus hoc sensu immediate concurrere. Quod de spiritualibus infra an sit affirmandum inquiremus.

Neque hoc detrahit mirabili Dei omnipotentiæ ejusque supremo dominio; contra, illa commendat potius et dignitatem primæ causæ primique motoris servat.

Etenim Deus vere omnia continet ac conservat, et omnia in omnibus agit, sed ita ut ordinem, sicut in rebus ita in earum activitate, et sicut in effectibus, ita in causis (1) constituerit atque conservet. Ideo inter-

(1) Cf. S. Thom., *c. Gent.*, l. III, c. 77, n. 6, coll. c. 70.

ventus ejus immediatus est immediatione suppositi in supra dictis, mediatus vero, attamen immediatione virtutis immediatus in reliquis. Cum nempe activitatem rebus propriam indiderit, quod majus est et melius, quam si nullam cum eis virtutem communicare potuisset aut voluisset, non omnia immediate immediatione suppositi agit, sed ad quæcumque se extendit activitas causarum secundarum, his mediantibus agit. Est tamen hæc actio immediata immediatione virtutis, nam non ita agit divina virtus, quasi egeret causis secundis ut supplentibus defectui alicui divinæ actionis, sed ita ut immediate attingat effectum et totaliter, adhibendo causas secundas quasi instrumenta, adeoque et effectus est immediate et totaliter a Deo, ut causa prima et principali, et immediate ac totaliter a causa secunda, ut a causa instrumentali et subordinata.

Ubi adverte non tantum de effectu externo, sed de ipsa operatione loquendo, verum esse eamdem procedere immediate et totaliter a primo et a secundo agente, quamquam una actio procedere nequeat a duobus agentibus unius et ejusdem ordinis (1): actio quidem ut actio consideratur ut ab agente, in quantum vero est accidens consideratur ut in subjecto agente (2). Et sub hac consideratione nihil prohibet actionem causæ secundæ esse a causa prima. Unde intelligitur causa secunda moveri a prima, non tempore antecedenter, neque motu distincto ab ipsa actione causæ secundæ, sed influxu primæ causæ qui actioni causæ secundæ identificetur et sine quo non possit actio egredi a causa secunda, qui quidem influxus natura prior concipitur, tum quia universalior, qui ab actione causæ secundæ est independens, dum ab eo hæc omnino pendet, tum quia semper in actu primo paratus est et causæ secundæ præsens.

(1) Cf. S. Thom., 1, q. 105, a. 5, ad 2.
(2) Cf. S. Thom., q. 7 *de Potent.*, art. 9, ad 7.

Ex his jam perfecte intelliges 1/ quomodo Deus, conservata immediate immediatione suppositi materia prima a se creata, mediate, scilicet mediante materia ut subjecto et mediantibus causis secundis ut causis efficientibus producat similiterque conservet creaturas mere materiales, ut supra cum Cajetano (1) ostendimus, neque mira videatur conservatio illa mediata sed mirabilis ex ea eluceat divina omnipotentia ac sapientia, supremumque dominium. « Sicut, *ait S. Thomas* (2), nulli effectui præstari potest quod sit causa suîipsius, potest tamen ei præstari quod sit causa alterius: ita etiam nulli effectui præstari potest quod sit suîipsius conservativus, potest tamen præstari quod sit conservativus alterius. »

Intelliges 2/ similiter quomodo, posita prima initiali motione Dei immediata immediatione suppositi, Deus mediate agat in universo materiali, nempe mediantibus causis secundis, seu cum iis agentibus concurrat.

Intelliges 3/ quamvis causæ secundæ seu creaturæ primum a Deo productæ et in actum reductæ vere agant atque deinceps et ipsæ producant effectus tum accidentales (esse *tale*) tum substantiales seu alias novas substantias (esse *hoc*), ita ut continuo universum sese evolvat, absque nova actione Dei immediata immediatione suppositi seu excludente medium causæ secundæ; tamen, has causas secundas agere in virtute perseverante Dei seu divinæ conservationis et motionis primæ, adeoque Deo simul agente immediate immediatione virtutis, ut modo supra explicatum, licet non suppositi.

271. Hanc doctrinam de prima motione Dei, deque divina causalitate prima et universali quo sensu immediata vel mediata sit, verbis Doctoris seraphici Bonaventuræ breviter repetere libet. « Quia, *ait* (3), Deus

(1) In 1, q. 104, a. 2, supra cit. in nostro num. 239.
(2) 1, q. 104, a. 2, ad 2m.
(3) In 2, *dist.* 37, a. 1, q. 1.

est causa primordialissima, ideo est influentiæ maximæ in causas secundas, et adeo magnæ influentiæ, ut nec modicum, seu quantumcumque parum, dum tamen aliquo modo sit ens, procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante divina potentia. Omnis enim potentia creata, quantum est de se, defectiva est, nec est pure activa; ergo quantumcumque faciat modicam operationem, necesse habet adjuvari ab ea potentia, quæ est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materia, et quæ sola sibi sufficit, nullo modo indigens adjuvari a causa alia. Et ideo hæc positio, quæ dicit omnem actionem esse a Deo, secundum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est. » Et rursum: « Divina voluntas est causa prima et universalissima et actualissima; ideo potest in totum effectum et in totam rei substantiam etiam sine adminiculo alterius causæ, nec aliqua causa potest aliquid vel modicum sine ipsa; et ideo necesse est, quod ipsa sit causa immediata in omni actione et re (1). » Quod autem hanc immediationem aut mediationem attinet: « Mediatio, *ait* (2), est tribus modis. Quædam enim est mediatio, quæ excludit immediationem tantum (3), ut quando effectus ultimus non continuatur influentiæ causæ prioris, sed per medium omnino producitur, priori non cooperante: et hæc dicit ordinem et diversitatem agentium et separationem. Alio modo dicitur mediatio, prout dicit ordinem causarum ad invicem, non separationem in agendo, sed solum diversitatem virtutum agentium et ordinem. Tertio modo, prout dicit ordinem, non tamen separationem virtutum agentium, nec diversitatem. Prima mediatio non cadit in Deo, quia Deus est causa simpliciter prima, cujus influentia est tanta, quod nulla creatura

(1) In 1, *dist.* 45, a. 2, q. 2, et cf. ead. *dist.*, *dub.* 4.

(2) In 1, *dist.* 12, a. 1. q. 3, ad 1.

(3) Hæc videlicet mediatio excludit immediationem omnem, adeoque et tum suppositi, tum virtutis.

agit aliquid, ejus influentia remota : et ideo nihil exit de Deo mediate tantum. Secunda mediatio cadit in Deo respectu effectus producti a causa creata, quia ibi est ordo causarum et diversitas virtutum : sed tamen non est separatio, quia Deus intime agit, quia per seipsum agit et nihilominus per virtutem creatam, quæ ab ipso est. Tertia mediatio cadit in operatione divina, in qua sunt agentes personæ, in quibus attenditur ordo, quia una habet ab alia quod agat : sed tamen non est ibi virtutum diversitas, nec separatio, vel distantia aliqua, imo una virtute et æque intime agunt : et sic Pater mediante Filio producit Spiritum sanctum, non quia sit medium distantiæ, vel differentiæ, sed quia quod Filius producat, hoc habet a Patre, ita quod est ibi quidam ordo. »

Hoc etiam addi meretur ex eodem S. Doctore quod, cum in operibus naturæ non admiscetur creatio, id tamen evidenter non impedit quin divina omnipotentia immediate producat vel creet aliquam creaturam, (aut etiam annihilet), præter cursum naturæ : « Si propter immutationem oporteret res ab æterno esse, nihil posset nunc de novo producere. Qualis igitur Deus esset, qui nunc nihil per se posset ? (1) » Et similiter, quod, juxta explicata, immediata immediatione suppositi divina operatio in creaturarum materialium activitatem non exigatur, præter initialem motionem energiæ universalis vel saltem virtutis angelicæ, qua mediante moveat, id minime impedit quin possit Deus, ubi voluerit, immediate immediatione suppositi agere, ut quando miraculum operatur. « Notandum, quod in omni operatione Deus operatur intime et immediate (2), cum Dei voluntas, sicut dicit Augustinus, *l. 3 de Trin.*, *c. 4*, sit prima et summa causa omnium specierum et motionum. In aliquibus autem sic operatur, ut ipse sit tota

---

(1) [illegible]

(2) [illegible] saltem immediatione virtutis.

causa (1) : in aliquibus sic operatur et movet, ut virtutem agendi et movendi communicet creaturæ : prima quidem dicuntur mirabilia, secunda vero naturalia vel voluntaria quantum ad egressum (2). »

272. Si jam gressum facimus ad res materiales organicas, nempe vegetalia et animalia, ipsumque hominem, qua vitam cum brutis communem habet, non tamen qua intellectualem : quæ in præcedentibus diximus de rebus inorganicis, suo modo æque applicantur creaturis omnibus mere materialibus, qua talibus, licet perfectiori forma vitali informatis.

Videlicet Deus vegetalia et animalia ipsumque corpus humanum non creavit per se sed per accidens tantum, vel potius ex præjacente materia produxit : nempe formas vegetales et animales ex potentia materiæ immediate et per se, sub alia forma vel aliis formis inorganicis, creatæ, et prævie a se perfectius dispositæ, eduxit, eaque vegetalia et animalia dein sub influxu causarum naturalium statim reposuit, ut in exemplo bovis supra a Cajetano relato (3), adeoque et mediate eadem conservat, ut de inorganicis explicatum est (4). Ex quo etiam intelliges, quomodo res materiales organicæ, etiam perfectiores, sunt corruptibiles, continuo transformantur, et certæ species plantarum et animalium interire possunt, imo aliquas constat interiisse, dum elementa inorganica, licet multum imperfectiora, quod primo intuitu mirum videri potest, non pereunt. Ratio tamen hujus discriminis haud ægre perspicitur. Scilicet formæ inferioris perfectionis virtute continentur in formis superioris perfectionis, non e converso : et

(1) Intellige : causa unica immediate ne supposita agens. Neque quam negare vult Bonaventura virtutem divinam quando simul cum creatura agit, totaliter producere effectum suo modo, sicut totaliter eumdem producit suo modulo creatura, ut supra exposuimus.

(2) *In 2, dist. 14, p. 1, a. 3, q. 1.*

(3) In 1, q. [illegible], a. 2, cit. in nostro num. 239.

(4) Cf. supra n. 270.

quo perfectior forma e materiæ potentia est educenda, eo perfectior et magis determinata dispositio requiritur, adeoque et causæ perfectiores et magis determinatæ ad inducendam illam dispositionem et educendam formam. Unde fit ut materia sub forma perfectiore facilius disponatur ut inferior forma succedat, et ita composito inorganico dissoluto semper succedunt formæ aliorum compositorum, vel simplicium, et materia in simplicibus semper disponi potest per communes causas agentes ad certa composita; sed, e contrario, ad compositum organicum non disponitur materia nisi per causas multiplices, magis determinatas et perfectiores, et hoc compositum dissolutum in elementa inferiora multo difficilius recomponitur; adeoque si per concurrentiam certorum adjunctorum omnia individua certæ speciei organicæ interire contingat, eo ipso deficiet agens determinatum ejusdem perfectionis ad disponendam materiam et educendam ex ejus potentia formam illam determinatam talis plantæ vel animalis.

273. En quoad productionem et conservationem vegetalium et animalium. Quod autem eorum activitatem attinet, licet ea longe perfectior sit activitate rerum inorganicarum, sitque vitalis, vegetativa imo et sensitiva, quæ cognitionem sensibilem importat et spontaneitatem, quadamtenus libertatem a longe imitantem, nihilominus rursum sufficere putamus quæ ad activitatem rerum inorganicarum requisivimus.

Etenim etiam in animalibus brutis licet perfectissimis, actus vel perfectissimi, nempe spontanei, qui magis a parte subjecti et ab intrinseco procedere videntur, quam ab influxu objecti extrinseci, non tamen sunt liberi, nulla ibidem vera potestas seu verum dominium actus, sed magis aguntur animalia quam agant, neque ulla in his independentia a materia, sed formæ sensitivæ, etiam perfectiores, omnino materiæ sunt immersæ. Unde et vires sensibiles vere sunt materiales, seu viribus materiæ reguntur animalia. Nobis igitur videtur

initialis motio primi motoris, in actum reducentis energiam materialem universi, sufficere ut et activitas omnis vegetalium et animalium in actum reducatur, quem quidem motum universalem e propria perfectione naturæ adeoque et activitatis suæ ita diversificant res organicæ, ut sit *hic* et *talis*, perfectior, perfectioresque effectus producens. Rursus proin sufficit prima motio initialis Dei, immediate immediatione suppositi reducentis in actum energiam materialem, et deinceps mediate, mediantibus nempe causis secundis, immediatione tamen virtutis cum activitate rerum organicarum concurrentis ad actum, ut supra de rebus inorganicis latius exposuimus.

Hæc eadem valent de corpore humano, quamdiu primum vita vegetali vel et animali solum, ut plerisque Scholasticis placuit, præditum est; imo, ubicumque non intercedit exercitium aliquod vitæ intellectualis.

Tandem ascendendum est ad supremum gradum creaturarum intellectualium. Quoniam autem, de his agendo, non modo naturæ ordinem sed et ordinem gratiæ considerandum habemus, unumque cum altero conferendum, opportunius forte in eadem ultima hujus tractationis paragrapho, de diversis functionibus operationis Dei ad extra, utrumque simul conjungemus.

*(Continuabitur).*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Junii.

—

I

Explica Is. XI, 1-5: *Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus.*

II

Quæritur utrum ex idea entis infiniti, quam habemus nos, demonstrari possit existere Ens Infinitum.

III

Explica et proba hanc propositionem: Conscientia est regula proxima et formalis actuum humanorum.

IV

Quale et quantum peccatum est agere contra conscientiam præcipientem vel prohibentem?

V

Quæritur utrum et quo sensu dilectio inimicorum sit in præcepto?

VI

Quinam jure ecclesiastico tenentur celebrare pro grege?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

### I

Q. Explica Ps. XLIV, 9, 10: *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.*

R. Postquam in genere dixit Psalmista Deum *oleo lætitiæ unxisse* seu maxima lætitia affecisse regem qui hostes suos profligavit (4-7) et populum suum in justitia rexit (8), in specie nunc describit varia gaudia quibus fruitur.

1°/ *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis* (subaudi: *fluunt*); fortior est constructio hebraica: *omnia vestimenta tua sunt myrrha* etc., quatenus nempe perfusa sunt illis unguentis. *Myrrha* solida cum incenso cremabatur, liquida vero, quæ et pretiosior erat, effundebatur in vestibus (hic et Esth. II, 12) et in lectulo (Prov. VII, 17) *Gutta*, apud LXX στακτη, dubiæ est significationis, in hebr. intelligitur aloe. Tertium aroma vocatur *cassia;* de authentia vero hujus vocis merito dubitatur (1).

2°/ *A domibus eburneis ex quibus delectaverunt te.* Vox

---

(1) Allegat rationes grammaticales Lévesque, qui ita scribit: Il est a remarquer que dans le psaume XLV [juxta ordinem hebr.], 9, la phrase est construite très irrégulièrement: *mor veahalot qeçiot,* mot à mot: la myrrhe et l'aloès, la casse; il faudrait un vav, « et », avant le dernier mot et il ne devrait pas y en avoir avant le second. Cette construction irrégulière et la mesure du vers donnent à penser que *qeçiot* était une explication du mot *ahalot* inconnu et qu'elle s'est glissée par erreur de la note marginale dans le texte. (Dictionnaire de la Bible, Parisiis 1899, T. II, c. 366). Ante ipsum, ob rationes præsertim metricas Bickell proposuerat eamdem conjecturam.

hebr. *minni* quam interpretes latinus et græcus præpositionem esse existimarunt (*ex quibus*, εξ ων) juxta communiorem hodiernorum sententiam illa organa musica quæ fides appellantur designat (1). Splendido comitatu circumdatus rex ad palatium suum eburneum accedit; dum adhuc foris est, in ipso palatio (plurale poëticum ponitur pro singulari per enallagen) jam resonant modi musici qui ad principem perveniunt eumque lætificant.

3°/ Sequentia cum Van Steenkiste reddimus ex hebræo:

*filiæ regum sunt inter dilectas tuas,*
*adstat conjux (regina) a dextris tuis in auro Ophir.*

In memoriam revocamus primo polygamiam sub VT licitam fuisse et, præsertim a magnatibus, in praxim deductam; deinde principes Orientales regias puellas hostium devictorum solitos esse sibi servare et in gynecæo suo collocare ut ipsis tamquam concubinis utantur. Has inter eminebat conjux primaria, regina, quæ loco honorifico, *a dextris* nempe regis procedit, aureis induta vestimentis. Regionis Ophir divitiæ antiquitus celeberrimæ erant, situs vero hodie ignoratur. Aurum ejus optimum et pretiosissimum censebatur. Verba *circumdata varietate*, apud LXX περιβεβλημένη πεποικιλμένη, desiderantur in hebræo, sed in fine v 10 recurrunt apud LXX quidem in eadem, in Vulgata autem in simili forma: *circumamicta varietatibus*, et inde huc per errorem amanuensium irrepserunt.

*
* *

Viro cathalico dubium esse nequit Psalmum XLIV non esse merum epithalamium seu canticum nuptiale unius alteriusve regis Israël, sed aliquo modo referen-

(1) *Minni* est plurale apocopatum pro *minnim* (Kautzsch, *Hebräische Grammatik*, ed. 25ª Leipzig, 1889, p. 235). Bickell hanc vocem expungit, sed ejus rationes non videntur sufficientes.

dum esse ad Christum ejusque unionem cum Ecclesia, secus enim intelligere non possemus quomodo hujusmodi canticum inter Scripturas inspiratas recenseatur. Utrum autem hæc relatio ad Christum intelligenda sit juxta sensum litteralem (allegoricum tamen), an juxta sensum typicum disputant auctores, neque hic examinare debemus. Quæcumque præferatur sententia, censemus tamen non urgendam esse omnium circumstantiarum etiam minutarum applicationem sed hanc spectare ad sensum accomodatitium. Devotioni fovendæ utiles sunt hujusmodi mysticæ interpretationes juxta quas sub vestimento Regis intelligitur humana Christi natura, quæ meritis et virtutibus quasi suavibus odoramentis ornatur; sub palatiis eburneis variæ Ecclesiæ particulares mundatæ et dealbatæ in sanguine Agni; sub filiabus regiis animæ justæ quæ charitate seu mutuo amore cum Christo conjunguntur.

A. D. B.

## II

Q. *Quæritur utrum in Deo sint plures perfectiones.*

R. In Deo sunt *omnes creaturarum perfectiones*, aliæ *formaliter et eminenter* aliæ *eminenter tantum*, ita tamen ut sint omnes *unum re*, et *illæ quæ in Deo sunt formaliter ratione tantum plures seu diversæ.*

Quod sic explicatur.

1. *In Deo sunt* **omnes creaturarum perfectiones** (1).

Omnis nostra naturalis de Deo cognitio ex creaturis oriatur necesse est (2). Porro creaturæ plures profecto

(1) Cf. S. Thom. I, Q. IV, a. 2.

(2) Cf. S. Thom. I, Q. XII, a. 12. Triplex datur via qua ex creaturis comparamus de Deo cognitionem: via affirmationis ex causalitate, via negationis seu remotionis, via eminentiæ seu excessus. Cf. S. Thom. in Boeth. de Trinitate, Q. I, a. 2; Jungmann, *De Deo Uno*, n. 38; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, Collat. Brug. T. II, p. 5; Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ scholasticæ*, T. II, p. 327. In præsenti nostra responsione utimur via *affirmationis* ex causalitate.

continent perfectiones, activitatem e. gr., vitam, sapientiam, etc. Atqui impossibile est effectum continere perfectionem qua caret sua causa efficiens. Ergo Deus, qui creaturarum causa efficiens est, perfectiones hujusmodi continere debet.

Bene notemus has perfectiones non tantum esse omnem formam sive substantialem sive accidentalem quæ cuilibet naturæ creatæ inest ex creatione ipsa, sed etiam omnem operationem subsequentem creaturæ et omnia quæ ex operante creatura producuntur: nam Deus est causa efficiens *prima* omnis operationis creaturæ, omnisque entitatis productæ. Etenim, ut loquitur S. Thomas: « Deus est causa actionis cujuslibet inquantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat eam, et inquantum applicat actioni, et inquantum ejus virtute omnis alia virtus agit » (1). Inde si in creatura rationali invenitur actualis scientia, ex hac perfectione deduci potest esse in Deo scientiam quia Deus est causa efficiens prima hujus scientiæ: Deus enim non solum dedit intellectum illumque conservat, sed et applicat intellectum ad agendum illumque movet sicut causa principalis movet instrumentum. Inde ipsum agere cujuslibet creaturæ a Deo causatur sicut et motus mobilis a motione moventis (2).

2. *In Deo perfectiones sunt aliæ* **formaliter et eminenter,** *aliæ* **eminenter tantum.**

In creaturis distinguuntur perfectiones *simplices* et perfectiones *mixtæ*.

Priores sunt quæ in suo formali conceptu nullam involvunt imperfectionem: illæ perfectiones sunt in Deo *formaliter et eminenter:* formaliter h. e. « secundum sui

---

(1) *De Potentia*, Q. III, a. 7; cf. I, Q. CV, a. 5, ad 3 et *Compend. Theol.* c. CXXX, Ills et Revs Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, Collat. Brug. T. VII, p. 58 et sqq.

(2) Hæc immediata Dei operatio in quolibet ente creato est *præmotio physica*. Cfr. *Revue Néo-scolastique*, 8e année, 1901, p. 370.

verissimam rationem » (1), *eminenter* h. e. sine ulla limitatione qua in creaturis coarctantur.

Perfectiones *mixtæ* sunt illæ quæ in suo formali conceptu includunt imperfectionem, quæ sc. sunt ejusmodi ut in aliquo melius sit eas non habere quam habere. Tales perfectiones, utpote effectus Dei, in Ipso aliquo modo contineri debent. Sed non continentur formaliter. « Continentia enim *formalis* id genus rem constitueret plane monstruosam atque adeo chimæricam: dari quippe tunc deberet quidpiam quod simul foret leo, bos, planta, lapis, etc. » (2). Restat igitur ut perfectiones mixtæ in Deo contineantur *eminenter tantum*, quatenus scilicet essentia divina est illa natura unde per quamdam deficientem imitationem dimanare possint perfectiones mixtæ. Et sane quum Deus sit ipsum Esse subsistens eminenter continet quidquid aliquam rationem ~~ens~~ esse habeat (3).

3. *In Deo perfectiones sunt omnes* **unum re.**

Quum Deus sit simplicissimus, nulla in Deo est perfectio quæ sit realiter distincta ab essentia Ejus: secus adesset in Deo compositio realis subjecti et accidentis. Nec etiam inter se distingui realiter possunt perfectiones in Deo: sunt enim omnes realiter identicæ cum ipsa essentia — et non datur inter illas oppositio relativa. Inde omnis perfectio in Deo est *realiter* ipsum Esse subsistens.

4. *Perfectiones quæ formaliter et eminenter in Deo continentur*, **distinguuntur tantum ratione** *inter se.*

Quid intelligitur hic nomine « *ratione* »? Audiamus S. Thomam: « Ratio, prout hic sumitur, nihil aliud est quam id quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis..... Et sic patet quod ratio sapientiæ quæ de Deo dicitur, est id quod concipitur de signifi-

(1) S. Thomas in I, D. II, Q. I, a. 2.
(2) Schiffini; *Institutiones Philosophiæ in Compendium*, n. 726.
(3) Cf. Remer. op. c. p. 343.

catione hujus nominis..... Nec tamen hoc nomen *ratio* significat ipsam conceptionem, quia hoc significatur per nomen sapientiæ vel per aliud nomen rei; sed significat intentionem (1) hujus conceptionis... Et ex hoc patet... qualiter ratio dicatur esse in re. Non enim hoc dicitur, quasi ipsa intentio... sit in re; aut etiam ipsa conceptio, cui convenit talis intentio, sit in re extra animam, cum sit in anima sicut in subjecto: sed dicitur esse in re, inquantum in re extra animam est aliquid quod respondet conceptioni animæ, sicut significatum signo » (2).

Quum supra demonstraverimus perfectiones simplices esse in Deo formaliter, h. e. secundum sui verissimam rationem, sequitur esse in Deo id quod apprehendit intellectus de significatione nominum talium perfectionum: inde v. gr. est in Deo id quod intelligitur nomine vitæ, sapientiæ, potentiæ, etc. Sed ratio sapientiæ diversa est a ratione potentiæ, et sic de aliis. Ergo perfectiones simplices in Deo sunt *ratione* diversæ (3). Quum autem jam sciamus illas esse re unum, restat ut sint *ratione tantum* diversæ.

Patet hæc non applicari posse perfectionibus mixtis quæ non formaliter sunt in Deo, nempe non secundum sui rationem.

**Adnotatio.** Ex dictis animadvertes his verbis diversa *ratione* apud S. Thomam aliud formaliter significari ac his verbis *distincta ratione* apud modernos plerosque.

Apud S. Thomam *ratione* diversa dicuntur ea quorum *conceptus formalis* seu *ratio* est diversa: inde illa quæ ratione diversa sunt possunt etiam realiter esse distincta: quando non sunt realiter distincta dicuntur a S. Thoma *ratione tantum* differre (4).

---

(1) Intentio est id quod et quatenus formaliter terminus est conceptionis intellectus: est igitur ens intentionale. Intentioni autem illi, de qua nunc loquimur, respondet aliquid in re extra animam, ut postea dicemus.

(2) In I, D. II, Q. I, a. 3.

(3) Ita ferme S. Thom. op. c. l. c. a. 2.

(4) Cf. S. Thom. in I, D. II, a. 5, ad 3 et D. V, Q. I. a. 1, ad 1; De Potentia, Q. VII, a. 6, ad 2; I, Q. XXVIII, a. 3 et Q. XLI, a. 4, ad 3.

Apud modernos vero *ratione* distincta dicuntur ea quæ *quum sint unum re* ab *intellectu cogitante ut plura* concipiuntur. Unde moderni quando dicunt distinctionem *rationis* intelligunt hoc nomine ipsum intellectum sc. facultatem cogitandi, et illam exhibent tamquam causam *efficientem* prædictæ distinctionis (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Demonstra omnem legem inducere obligationem conscientiæ.*

R. Propositio cujus demonstratio petitur hæc est: omnis lex veri nominis subditos morali necessitate adstringit ad aliquid præstandum vel omittendum ità ut, si non obtemperent, peccatum committant, seu rei sint habendi, non tantum in foro externo et coram judice humano, sed et in foro interno seu coram Deo.

Quæ propositio, legem **divinam** quod spectat, vix probatione indiget. Quis enim sanæ mentis negare potest hominem Dei, supremi sui Domini, voluntati directè ei intimatæ sive per lumen rationis sive per externam manifestationem, non posse resistere, quin Deum offensum habeat atque in judicio divino reus constituatur culpæ et pœnæ? Unde Apostolus (Rom. II, 12) asserit: *Quicumque sine lege peccaverunt* (sc. gentiles qui legem divinam *positivam* non habent si male agant) *sine lege peribunt* (np. propter legis *naturalis* violationem): *et quicumque in lege peccaverunt* (nimirum Judæi legis divinæ *positivæ* eis in monte Sinai promulgatæ violatores) *per legem judicabuntur*. Ergò, testante Paulo, qui legem divinam sive naturalem sive positivam non servat, peccati et pœnæ est reus.

De lege **humana** idem aperte ex S. Scriptura colli-

(1) Cfr. De San, *De Deo Uno*, T. I, n. 91, et seq.

gitur. Sic quantum ad leges *ecclesiasticas*, dixit Christus Petro: « *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis* »: (Matth. XVI) ergo si Petrus ejusve successores obligare velint fideles ad quid faciendum aut omittendum, hi etiam in cœlis habebuntur ut obligati, seu ipsi in conscientia et coram Deo ad hoc tenebuntur. Meritò igitur Concilium Tridentinum sancivit: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis... ità ut ea servare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit » (Sess. VII, can. 8).

Leges quoque *civiles* in conscientia obligare perspicue docet S. Paulus (Rom. XIII, 1 sqq.): « Omnis anima potestatibus sublimioribus (i. e. iis qui præsunt seu qui auctoritate in alios sunt præditi) subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt (np. potestates) a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt... Dei enim minister est (Princeps)... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram (seu punitionem temporalem ab eo comminatam) sed etiam propter conscientiam i. e. ne conscientia læsatur et peccato gravetur) » (1). Ergò, juxta Apostolum, oportet obedire magistratibus civilibus, quia potestatem qua imperant a Deo habent illamque tanquam ejus ministri legitime exercent; quare qui non obediunt illis, ipsum Deum offendunt, ejus ordinationi ac voluntati resistendo; haud secus ac ille, qui resistit ministro regis in eo in quo minister est et personam regis repræsentat, plane censetur resistere ipsi regi. Ergo transgressio legis civilis importat violationem voluntatis divinæ, et proinde lex dicenda est obligare in conscientia.

Ex quibus colligitur hujusmodi obligationis ratio omnibus legibus humanis, sive ecclesiasticis sive civi-

(1) Cfr. I Petri, II, 13 sq.

libus, communis, nimirum : Lex naturalis seu ejus auctor Deus, jubet obedire justis legitimorum superiorum mandatis; ergò qui ea non servat agit contrà divinam voluntatem et in conscientia seu coram Deo culpæ fit reus. « Atque hoc sensu dixit D. Thomas, legem humanam obligare in conscientia quatenus participat legem æternam et naturalem, id est, quatenus in voluntate Dei et in dictamine rationis naturalis nititur; hoc enim principium : *obediendum est justis præceptis Principum*, naturale est. Nec vero inde sequitur, vel culpam illam esse proprie contra legem naturæ, vel obligationem ad actum præceptum esse naturalem; quia lex humana se habet ut causa proxima et secunda, quæ nititur in lege æterna tanquam in causa prima : effectus autem, qui proxime est a causa secunda ita ut a prima non fieret nisi per illam, secundæ simpliciter tribuitur; et ideo obligatio hæc, etiamsi sit in conscientia, simpliciter est a lege humana » (1).

Neque opponatur talem vim obligandi in conscientia non esse agnoscendam legi civili, quia non continetur in exigentia finis proprii societatis politicæ, qui est tueri ordinem socialem ac promovere prosperitatem temporalem civium communem; ad hoc autem sufficit quod leges obligent in foro externo et delinquentes a judice humano coërceantur, minime verò necessaria obligatio in conscientia, quippe quæ interior est et bonum cujusque privati respicit. — Negatur enim ad efficacem reipublicæ gubernationem ac finis societatis civilis prosecutionem satis esse ut leges in foro externo tantum vim habeant nec in foro interno obligent : nam tales leges nimis frequenter eluderentur ideoque efficacia sua frustrarentur; quoties np. refractarii sperare possent delictum suum non manifestatum iri seseque pœnam comminatam evasuros (2).

---

(1) Suarez, *De legibus*. lib. III. cap. XXI. n. 7. Cfr. S. Thomas 1. 2æ. q. XCVI, a. 4; Sylvius, in art. cit.; Billuart, *Tr. de leg.*, diss. IV, art. 3.

(2) Cfr. Leurenius, *Jus can. univ.* Lib. I, Tit. II, q. LXXXVII.

Scite autem observat Bouquillon (1): « Producit obligationem in conscientia lex civilis *ipsa vi imperii,* non autem vi specialis voluntatis imperio additæ; videlicet ad obligationem sufficit ut superior intendat imperare, non requiritur ut expresse intendat obligationem in conscientia imponere, hæc enim necessario sequitur ex imperio (2); unde immerito nonnulli aliquando videntur dubitare de legum civilium obligatione in conscientia, eo quod moderni legislatores conscientiam, imo et Deum ipsum minime curent » (3). Ideoque etiam ethnicorum justis legibus obediendum esse proclamat S. Paulus.

Assertio in præcedentibus stabilita prorsus generalis est et cuivis veri nominis legi applicanda. Forsan cuidam videri posset illam fallere quoad leges permissivas, pure pœnales et merè irritantes; sed immeritò: etenim et istæ leges quamdam inducunt conscientiæ obligationem. Sic:

1/ Proprie dicta lex *permissiva*, ea scilicet quæ actu positivo legislatoris subditis aliquid agendi libertatem asserit (4), vere obligatoria est, non quidem relate ad eos quibus permissio datur, sed relate ad alios, ne scilicet prædictos impediant ab usu permissionis; et si objectum permissionis est actus malus, etiam relate ad judices, ne propter illum quempiam puniant. Cfr. Bouquillon, l. c. n. 127 et n. 217.

2/ Lex *pure pœnalis* inducit obligationem disjunctivam

---

(1) *Theol. mor. fund.* (2æ ed.) n. 210.

(2) Re quidem vera, posito justo superioris mandato, jam ipsa lex naturalis seu ejus auctor Deus, ut vidimus, ad illud observandum conscientiam ligat.

(3) Cfr. Leurenius, l. c.; Sylvius, l. c. quær. I, *ad tertiam*, ubi addit quod si legislator expresse significet se non intendere obligare ad culpam, ejus ordinatio non esset vera lex seu præceptum, sed mera directio seu regula.

(4) Non confundatur lex permissiva cum mera absentia legis præceptivæ aut prohibitivæ, neque cum singulari licentia aut simplici tolerantia; quæ quidem *permissionis* nomine veniunt, minime verò *leges* sunt.

*vel* actum ponendi aut omittendi (prout lex est affirmativa aut negativa), *vel* pœnam subeundi, adeo ut qui nolit ponere vel omittere actum lege expressum, velit tamen pœnam subire, non sit peccaturus; qui verò neque actum ponere aut omittere neque pœnam subire, si ei imponatur, velit, conscientiæ reatum sit contracturus. Quare hujusmodi lex, quoad specialem effectum obligandi, similitudinem habet cum voto conditionato, quo quis V. G. voveat dare eleemosynam quoties sibi ludere permiserit: hic non erit violati voti reus si luserit, modo tunc eleemosynam promissam elargiatur; erit tamen si, cum luserit, eleemosynam dare renuat (1). Addi potest quod hujusmodi lex obligat judices ad pœnam per illam statutam infligendam transgressoribus.

3/ Denique lex *pure irritans*, quæ scil. non prohibet actum quem irritat, aut non præcipit ponere actum cum certa forma quam pro ejus validatate statuit, imprimis *judices* obligat ad habendum talem actum tanquam invalidum proindeque eum non agnoscendi uti productivum jurium et obligationum; præterea ex tali lege profluit obligatio, qua tenentur cuncti quorum interest, ad ea omnia quæ intrinsece ex irritatione sequuntur: « quia si lex illa consequitur suum effectum, actus est nullus, ergo nullum confert jus; ergo si actus ille est acceptio vel acquisitio alicujus rei, ex tali lege sequeretur obligatio non utendi nec fruendi illa re tanquam propria, nec contrectandi illam eo modo quo rem alienam contrectare non licet... et sic de aliis quæ fundari possunt in actus validitate; nam sublato fundamento ruunt omnia quæ ex illo oriri aut in illo fundari poterunt » (2). Quæ tamen obligatio quam diximus

(1) Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. III, cap. 22, n. 8 sq.; Magn. Schmier, *Jurispr. can.-civ.*, lib. I, Tr. I, cap. 1, n. 244 sqq. Th. Meyer, *Inst. jur. nat.* T. II, n. 565 sq.

(2) Suarez, *op. cit.*, lib. V, cap. 20, n. 14; cfr. Schmier, l. c. n. 329 sqq. Equidem videri posset illam obligationem non esse ipsius legis irritantis, sed potius juris naturalis ex vi justitiæ. Attamen probabilissimum

tantum obtinet in hypothesi quod legislator potuerit et voluerit saltem implicite irritationem quam decernit etiam in foro interno effectum habere. Quodsi voluerit solum *pro foro civili* irritare, soli inde obligabuntur judices ad effectus civiles hujusmodi actui denegandos.

H. V. D. B.

## IV

Q. *Quomodo theoretice et in dubio practice distinguitur desperatio a diffidentia?*

R. I. *Discrimen theoreticum ex utriusque notione satis patet.*

*Desperatio* est actus voluntatis quo quis *positive ac efficaciter recedit ab ultimo fine seu ab æterna beatitudine prosequenda*, eo quod judicetur impossibilis obtentu. Sicut spes est fiducialis tendentia voluntatis in Deum finem supernaturalem possidendum, divino auxilio nixa, ita desperatio est voluntaria aversio a Deo fine ultimo et omnipotenti auxiliatore. Actus ille voluntatis seu positivus recessus a prosecutione æternæ beatitudinis *præsupponit* judicium intellectus quo quis judicat salutem sibi impossibilem (1).

In prædicto autem voluntatis actu proprie invenitur

---

est ut Suarez « etiam ipsam legem irritantem actum obligare ad non utendum, hic actu ut valido ac subinde per contrarium usum non solum peccat contra legem naturalem, sed etiam contra ipsam legem irritantem, quia intentio irritantis principalis est ne talis actus utilitatem habeat seu moralem usum, et ideo irritando prohibet usum actus ut validi. Et ideo etiam solet talis usus speciali pœna puniri, non solum attenta malitia contra legem naturalem, sed etiam spectata inobedientia contra legem positivam irritantem, propter quam solent censuræ imponi per ecclesiasticas leges, cum ad talem pœnam requiratur inobedientia et contumacia contra *ecclesiastica* præcepta » ibid. n. 15.

(1) Judicium hoc est solum quod præcium et inducens ad desperationem quæ formaliter est in actu voluntatis. Imo cum tali judicio saltem non firmo, potest consistere actus spei, quo quis nihilominus vult beatitudinem prosequi, si forte sit misericordiæ locus.

desperationis ratio. Verùm si de desperatione sermo sit secundum quod dicit quidquid spei theologicæ opponitur per defectum, manifestum est ad desperationem reduci beatitudinis supernaturalis contemptum sive formalem et expressum, sive æquivalentem quo quis terrena cælestibus ità præfert ut in iis finem ultimum revera (1) constituat. — Manifestum pariter est desperationem esse peccatum mortale ex toto genere suo: nam formali objecto spei directe opponitur, ideoque ipsam virtutem theologicam spei destruit.

*Diffidentia* a desperatione plene deliberata probe distinguenda est. Consistit nempe in *pusillanimitate quadam seu nimio timore respectu beatitudinis assequendæ*, motibusque indeliberatis vel semi-deliberatis cujusdam dejectionis se prodit ac manifestat. Hæc autem spem non destruit, sed nimia consideratione propriæ infirmitatis occupatur, atque contra eam in omnipotentia Dei auxiliatrice vires animumque concipere *negligit*. Quare, qui hujusmodi diffidentiæ motus experitur non tam positive (ut in desperatione) quam *negative* contra spem theologicam delinquit, adeoque haud facile grave committit peccatum.

II. Confessarius desperationem proprie dictam, peccatum gravissimum, rite distinguat a diffidentia quæ est culpa levis tantum neque spei directe contraria; advertat præterea non statim prima fronte desperationis reos esse judicandos pœnitentes qui se hujus peccati accusant. *Practice* autem *in dubio* utrum pœnitens in desperationem consenserit,

1° juverit perpendere quænam in casu fuerit *origo*

---

(1) Et non solùm *interpretative*, quemadmodum in omni peccato mortali contingit. Meritò notant Auctores contemptum beatitudinis neque expressum neque æquivalentem reperiri (ordinarie saltem) apud eum qui perpetuò in hoc mundo vivere cupit: adest ordinarie in casu, maxime in christiane viventibus, velleitas ostendens magnam inclinationem naturalem in res terrenas, quæ spem non destruit neque de se est peccatum grave.

*atque causa* defectus contra spem. Desperatio præsertim oritur *ex fidei imbecillitate vel defectu*, ex *acedia* (quæ media ad beatitudinem obtinendam censet nimis difficilia eisque ex languore valedicit) et *luxuria* (quia venereis delectationibus deditus bona supernaturalia fastidit, et cùm resipiscere velit, desperat de illis delectationibus unquam refrænandis) (1).

Contrà *diffidentiæ* motus oriuntur vel ex animo nimis anxio ac perplexo circa varia agibilia, e scrupulis, e complexione melancholica qua appetitus irascibilis inferior dejicitur, passio spei minuitur, adeoque patitur ipsa voluntas quæ est proprium actus spei subjectum; possunt præterea ex tentatione dæmonis procedere: de viris enim sanctissimis legitur eos ità gravibus angustiis propter salutis incertitudinem fuisse afflictos, ut viderentur veluti in desperationis barathrum dejecti, cùm tamen reipsa spei anchoram non dimitterent. Cæterum (2) hujusmodi, ut plurimum, in fine vitæ tranquilli ac sereni evaserunt solatium a Domino accipientes.

Notitia ergo quam de seipso pœnitens confessario ingerit ejusque status habitualis ad causam detegendam quam plurimùm conferunt.

2° Juverit examinare *utrum pœnitens officia sua omiserit*. Quodsi eis uti solet satisfecerit, censendus est solos diffidentiæ motus admisisse, vel saltem desperationi non plene consensisse, quia desperatio proprie dicta revocat ab exercitio virtutum tanquam impossibili aut inutili.

A. C.

---

(1) Et hoc modo ex aliis etiam peccandi affectibus valde inveteratis desperatio oriri potest.

(2) Ut notat Bouquillon, *De Vir. theol.*, Brugis 1878, p. 250.

V

Q. *Indica remedia a confessario proponenda et a peccatore adhibenda contra desperationem?*

R. I. *Remedia contra desperationem proprie dictam,* distinguuntur remota ac pro variis peccatoribus specialia — et proxima omnibus applicanda.

1/ *Remedia remota seu specialia.* Non solum ut de gravitate peccatorum desperationis æquum judicium ferre possit, sed insuper ut eo melius perniciosum hoc peccatum congruo remedio curare valeat, dispiciat confessarius undenam potissimùm originem trahat: utrum ex defectu fidei, ex vitio luxuriæ vel acedia. Singulæ autem desperationis causæ occurratur per contrariam affectionem qua pœnitens a vitio et peccatis retrahatur, et ità ad fiduciam in auxilio divino concipiendam *remote* disponatur. Ergo *luxuriæ* opponatur *castitatis amor*, *acediæ* vero *studium rerum cœlestium* (1), in quarum comparatione terrena omnia in nihilum computantur; et sic acuatur desiderium illas assequendi per diligentem bonorum operum virtutumque, excusso torpore, acquisitionem, prout admonentur fideles II Pet. I, 10: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* et Rom. XII, 11 s. *Sollicitudine non pigri; spiritu ferventes; Domino servientes; spe gaudentes* (2).

2 *Remedia proxima et communia.* Ex illis quædam

(1) Quoad duo hæc specialia remedia, egregie S. Thomas, *Sum. Theol.*, 2ª 2ᵃᵉ, q. 35, a. 1 ad 4 scribit: « Impugnatio peccati quandoque est vincenda *fugiendo*, quandoque *resistendo*, fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum, sicut est in *luxuria*....; resistendo autem quando cogitatio perseverans tollit incentivum peccati, quod provenit ex aliqua levi apprehensione; quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur; ex quo cessat *acedia* ». — De remediis *specialibus* contra luxuriam v. Tract. de Temperantia.

(2) Cfr. Bouquillon, *De Virt. theol.*, Brugis, 1878, p. 251.

sunt *intrinsecus cum spe cohærentia:* meditatio divinorum attributorum in quibus spes ipsa formaliter et radicaliter fundatur scil. divinæ bonitatis, omnipotentiæ auxiliantis ac fidelitatis in promissis (1), atque illorum attributorum insignis manifestationis tam abundanter factæ. Videlicet summopere utilis est recordatio insignium beneficiorum quæ Deus humano generi contulit, necnon factorum quibus exhibentur misericordiæ divinæ exempla splendidissima, ac imprimis consideratio infiniti amoris Christi pro peccatoribus nascentis, patientis ac morientis.

Juvabit pariter recordatio peccatorum qui, testante sacra scriptura, post plurima ac gravissima peccata magni evaserunt sancti ut David, Magdalena, aut post vitam sceleratam unico quasi actu salvi facti sunt, ut bonus latro etc. In promptu etiam habeat sacerdos parabolas evangelicas tam egregie ad spem dejectos animos allicientes, quales sunt v. g. parabolæ de ove perdita, de filio prodigo etc.

Contra desperationem (et contra nimiam diffidentiam) juvant quodammodo *extrinsecus:* specialis devotio erga Divinum Cor Jesu, pariter erga B. Virginem, refugium peccatorum, quæ devotio a SS. Patribus quoddam prædestinationis signum prædicatur. Maxime semper commendet confessarius Sacramentorum frequentationem, in specie devotum accessum ad SS. Eucharistiæ Sacramentum (2).

II. *Remedia contra diffidentiam.* Quo melius hæc animi dejectio curetur, prospiciat zelosus ac prudens confessarius ex qua potissimum radice in pœnitente oriatur, ut, in quantum fieri potest, juxta principia asceseos ac vitæ spiritualis directiva, perspectis causis convenientia opponat remedia.

Præterea, apud hujusmodi pœnitentes varia remedia

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 122 ss.
(2) Cfr. S. Alph., *Praxis Confes.*, n. 240-244.

proxima et generalia contra desperationem proprie dictam mox allata opportune, pro vario uniuscujusque statu ac conditione, adhiberi poterunt. In specie iterum atque iterum eos adhortabitur confessarius ut Dei infinite boni auxilium invocent potius quam propriæ infirmitati attendant; ut in dignoscendis peccatis suis essentialia ad peccatum lethale requisita præ oculis semper habeant; ut denique (si præteritæ vitæ recordatio diffidentiam ac timorem incutiat) perpendant doctrinam de remissione perfecta ac completa culpæ anteactis peccatis forsan contractæ, nunc vero penitus deletæ: quæ doctrina modo tam vivido in S. Scriptura passim proponitur.

A. C.

## VI

Q. *Determina generatim jura parochi circa oblationes liberas fidelium.*

R. Quæstio posita non procedit de oblationibus vere obligatoriis, quæ nimirum debentur a parochianis sive occasione erectionis parochiæ sive ratione legati pii, contractus aut consuetudinis veram obligationem inducentis, sed unice de iis quæ a fidelibus ultro et voluntarie offeruntur aut offerri consueverunt intuitu religionis. Unde comprehenduntur non tantum quæ vulgari usu loquendi oblationes nuncupantur, quæ scilicet post offertorium Missæ apud nos fieri solent, sed etiam illæ quæ fiunt occasione administrationis sacramentorum vel exercitii functionis cujusdam ecclesiasticæ, aut quæ ponuntur in truncis vel colliguntur in ecclesia tempore officii divini etc. De his oblationibus quærimus utrum et quatenus jus sit parocho eas percipiendi vel saltem administrandi.

I. *Quoad perceptionem:* « principium generale a Doctoribus communiter receptum est quod oblata cedunt rectori parochiæ intra cujus limites fiunt, nisi

ex intentione offerentium vel ex consuetudine vel ex alio titulo aliis sint tribuendæ. Quæ juris communis regula sæpe exprimitur his verbis: « parochus habet intentionem fundatam in perceptione omnium oblationum quæ fiunt intra limites suæ parochiæ, vel brevius: « oblata sunt pastoris ». (1) Ideo quamvis cooperator parochi peragat functiones, quarum occasione oblationes fiunt, hæ tamen pertinent ad parochum: hic enim ex praxi antiqua habet intentionem quamdam in jure fundatam et apud fideles legitime præsumitur voluntas favendi suo pastori, cui soli incumbunt omnia officia et onera spiritualia, obligatorie et perpetuò exercenda.

Limitationes tamen juri parochi obvenire possunt: a *ex intentione offerentium vel consuetudine:* « de primo ad ultimum, ait S. Rota (2), in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo et mens seu voluntas offerentium. » In hoc conveniunt Doctores, teste jam Reiffenstuel (3), cui doctrinæ favet resolutio S. C. Concilii in Bellunen. 28 Aprilis 1888 (4). Ceterum limitatio ducta ex intentione offerentium facile ostenditur solidæ rationi innixa: cum enim oblationes liberæ sint, « haud dubie juxta intentionem dantis applicari debent, cum quivis libere donans et offerens rerum suarum moderator et arbiter existat » (5). — b *privilegio*, quod scilicet consequitur privilegium exemptionis a jurisdictione parochiali concessæ alicui loco intra parochiam sito, v. g. monasterio, seminario, hospitali etc. « Tunc enim oblationes non fiunt in territorio proprio parochi, ac proinde cessat juris præsumptio in parochi favorem (6). » — c/ *statuto diœcesano*

(1) Van den Berghe, Tr. autogr. *de Parochis*, p. 42.

(2) Cit. in discept. causæ coram S. C. C. 13 Maii 1876, apud *Acta S. Sedis*, vol. X, p. 124.

(3) In Lib. III, Tit. XXX, n. 191 et 192.

(4) *Acta S. Sedis*, vol. XXI. p. 129 sqq. Lege ibidem relatam disceptationem causæ, et mox citatam vol. X, p. 121 sqq.

(5) Reiffenstuel, *l. cit.* n. 191.

(6) Van den Berghe, *l. cit.* p. 43.

in casibus jure aut consuetudine approbatis, v. g. ad providendum honestæ sustentationi presbyterorum qui parocho in ministerium adjunguntur (1).

Principia exposita si breviter applicemus, dicendum 1/ pertinere ad parochum oblationes quæ fiunt in ecclesia parochiali intra missam, etiamsi alius sacerdos celebret, excepto forsan casu neomystæ primam missam celebrantis; item quæ fiunt in administratione sacramentorum, exequiis, inhumationibus vel anniversariis defunctorum, benedictione mulierum post partum, solemnitatibus nuptiarum aliisque sacris functionibus, etiamsi ab alio sacerdote in ecclesia parochiali peragantur, nisi consuetudine aliove legitimo titulo ad alios pertinere sint dicendæ; — 2/ ad parochum non pertinere ob intentionem manifestam vel saltem verisimilem offerentium, oblationes quæ fiunt in ecclesiis regularium aut oratoriis publicis ab ecclesia parochiali independentibus; item quæ colliguntur a magistris fabricæ aut mensæ pauperum vel quæ fiunt ad imagines aut reliquias alicujus sancti vel in capsis sive truncis ad certum usum expositis; idem dicendum videtur quoad oblata occasione venerationis alicujus reliquiæ (2).

II. *Quoad administrationem.* Imprimis oblata quæ ad parochum pertinent, ipse etiam, ut per se patet, administrare potest; deinde quoad illa quæ sunt ad certos usus destinata, eorum administratio, ut habet Schmalzgrueber (in Lib. III, Tit. XXX, n. 94) « jure communi et parochialitatis præ aliis competit parocho, nisi aliud inductum sit consuetudine »... Attamen nullum jus habet parochus administrandi oblationes factas in oratorio intra fines parochiæ sito sed habente rectorem specialem: huic enim dicta administratio competit, prout resolvit S. C. Rit. 10 Dec. 1703, ad 28m (3), pro

(1) Cfr. Bargilliat, *Prælectiones Juris Canonici,* Parisiis, 1899, n. 955.

(2) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Compendium...*, n. 475 et 883, Van den Berghe, *l. cit.* p. 43 sq.

(3) Hujus textum reperies apud De Brabandere-Van Coillie, *Compendium,* T. I, append. IV.

oratoriis confraternitatum; ad cujus decreti normam dubia resolvit pro aliis etiam oratoriis tum S. C. Conc. 20 Nov. 1762 et 15 Julii 1848, tum S. C. Ep. et Reg. 17 Martii 1854 et 18 Julii 1856, prouti refert Lucidi (1). — Notandum parochum ita habere administrationem oblationum ut eas « ad debitum finem juxta consuetudinem loci aut intentionem dantium applicet » (2). Hic enim sicut pro percipiendis ita et pro administrandis oblationibus, quia sunt liberæ, præprimis attendi debet voluntas offerentium.

H. M.

## De cæremoniis quæ cantum Evangelii in Missa solemni comitantur.

Sacrum Jesu-Christi Evangelium ac liber illud continens summo semper in Ecclesia catholica honore fuerunt habita. Refert enim illud divinum documentum tum historiam vitæ et mortis illius per quem mundus factus est salvus, tum doctrinam cœlestem ab ipsius ore prolatam qui est « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». Liber autem Evangeliorum, uti observat Bona (*Rer. liturg.* lib. II, cap. 7, n. 4) « typum gerit Christi in eo loquentis ». — « *Os Christi* Evangelium est, in cœlo sedet sed in terra loqui non cessat » S. Aug. Sermo 85, n. 1.

Quare jam antiquitus in Conciliis fuit evangeliorum liber honorifico loco super thronum expositus, quasi Christus eis præsideret, omniaque in illis ecclesiasticis cœtibus definienda ac statuenda ad normam evangelicæ doctrinæ ordinari deberent. Hinc etiam more receptum

(1) *De Visitatione SS. Liminum*, ed. 3a (1883), vol. II, p. 497 sq.
(2) Reiffenstuel, *l. cit.* n. 194.

et lege Ecclesiæ sancitum ut jusjurandum tactis Evangeliis emittatur, ac si Deus in iis præsens agnoscatur.

Similiter a primis jam ævi christiani temporibus, ac vix scripto et vulgato Evangelio illud sub actione sacra fidelibus fuit prælectum (1); et quamvis non ab initio, at certe a multis retrò sæculis, saltem in ecclesia latina, munus illud legendi aut cantandi reservatum fuit *Diaconis*, utpote ministris dignioribus; quibus in ordinatione per traditionem Codicis sacri illa potestas tribuitur sub verbis: « Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini ». Et quidem « ratio propter quam Diacono Evangelica lectio ab antiquis Patribus demandata est, ab ipsa potius Evangelii sanctitate et majestate petenda videtur, quæ cum maximam exigat reverentiam et venerationem, et semper cum ingenti pompa atque apparatu legi consueverit, ecclesiasticæ gravitati congruum fuit, tantum munus non Lectoribus committere, qui ut plurimùm in puerili ætate eligebantur, sed Diaconis, qui ad sacerdotalem dignitatem proxime accedunt » Bona. l. c. nº 1.

Diaconus autem, antequam ad cantandum Evangelium accedat, genuflexus in suppedaneo altaris retrò post celebrantem et capite inclinato ac manibus ante pectus junctis secreto dicit: *Munda cor* etc.; cujus orationis explicationem lege in libello nostro, *Ordo Missæ, seu precum ac cæremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica*, p. 22, n. 15, vel apud *Collationes Brugenses*, tom. IV, p. 296.

Absoluta oratione, desumit librum evangeliorum ab *altari*, in quo eum post cantatam ex eo per Subdiaconum Epistolam posuerat: cum autem altare Christum figurat, ritu illo significatur librum evangeliorum esse librum Christi seu in eo Christi doctrinam contineri.

---

(1) Cfr. Bened. XIV, *De Sacrificio Missæ*, lib. II, cap. VII, n. 5, et AA. ibi cit.

Posthæc Diaconus petit benedictionem a celebrante dicens: *Jube* **Domne** (1) *benedicere:* hæc autem benedictio quæ petitur a Diacono, et a celebrante impertitur verbis: *Dominus sit in corde tuo* etc. (2), vim quoque habet missionis ad annuntiandum verbum Dei requisitæ, juxta illud Apostoli ad Rom. X, 15: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur* (3).

Ad cantandum Evangelium stat Diaconus facie versùs *septentrionem* (supposito, quod generatim obtinet, ecclesiam ad orientem esse versam); cui ordinationi plerique AA. mysticam tribuunt significationem, quam sic exponit Pseudo — Alcuinus (4): « Verba Evangelii levita pronuntiaturus contra septentrionem faciem vertit ut ostendat verbum Dei et annuntiationem Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper Spiritui sancto contrarius existit et in nullo ei communicat... Sicut enim per austrum qui ventus est calidus et leniter flat, Spiritus sanctus designatur, qui corda quæ tangit ad amorem dilectionis inflammat, ita et per aquilonem qui durus et frigidus est, diabolus intelligitur, qui eos quos possidet ab amore charitatis atque dilectionis torpentes et frigidos reddit. Quod autem per aquilonem diabolus designetur, ostendit propheta dicens: « *O Lucifer, qui dicebas in corde tuo: sedebo in lateribus aquilonis* (Is. XIV, 13) ». Similia legi possunt apud Innoc. III, op. cit., cap. XLII; et apud Lebrun, qui, exposita ac propugnata hac ratione mystica, hortatur fideles ut, dum Evangelii lectioni assistunt, a Deo petant quatenus

---

(1) Sacerdos ante lectionem Evangelii petit benedictionem ab ipso Deo, qui solus *Dominus* est (*quoniam tu solus Dominus*) et ideo dicit: *jube* DOMINE benedicere. Diaconus vero celebrantem invitans ad benedicendum utitur verbo abbreviato *Domne*. Cfr. Bona, *De divina psalmodia*; cap. XVI, § 14, n. 5; Lebrun, *Explication des prières et cérémonies de la Messe*, P. I, art. VII, § 1; — Cavalieri, *Commentaria*, tom. V, cap. XI; — Gihr, *La Sainte Messe*, tom. II, p. 120, note (1).

(2) Cfr. *Ordo Missæ*, l. c.

(3) Ita censent Quarti, Bona, Innocentius III, De Herdt, aliique.

(4) *De div. off.* cap. XL, cit. apud Gihr, l. c. p. 125.

illa sit ipsis quasi flatus divinus, qui quidquid dæmon ingerere potuerit dissipet et expellat.

Dum cantatur Evangelium adstant hinc inde juxta sacrum Codicem duo ceroferarii candelabra cum cereis accensis tenentes, tum in signum gaudii quod afferre censetur Evangelium seu bonum nuntium (1); tum ut exprimatur Christum esse lucem mundi quæ verbo suo seu cœlesti doctrina illuminat nos atque dirigit gressus nostros per vias justitiæ, juxtà illud Ps. CXVIII: « Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis ». — Addunt sic moneri adstantes ut doctrina evangelica edocti et illuminati tanquam *filii lucis ambulent*, fructus lucis afferentes *in omni bonitate, et justitia et veritate* (Eph. V, 8 et 9), ac fideliter implentes monitum Domini: « Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est » (Matth. V, 16) (2).

Antequam Diaconus inchoet Evangelii cantum, triplici ductu incensat librum, tùm in signum reverentiæ, tum ad significandum spiritualem odorem notitiæ divinæ, quam ex Evangelio percipimus et quæ dum mentem illuminat simul *delectat affectum*, ut loquitur S. Thomas, commentans II Cor., II, 14 sqq. ubi Apostolus de seipso aliisque Evangelii prædicatoribus asserit quòd sunt « Christi bonus odor Deo (seu ad gloriam Dei) ».

De signatione Evangelii ac Diaconi signo crucis, deque osculatione textùs evangelici in fine cantùs vid. nostras adnotationes *Ordo missæ*, cit. p. 23 sq., coll. Gihr, l. c. p. 130 sv.

Dum cantatur Evangelium, quotquot Missæ intersunt, *stantes* audiunt: cujus praxeos triplex motivum assignat Martene (*Regula Comment.*, cap. XI) videlicet: « a honor et reverentia S. Evangelii: b quod non deceat alios sedere stante S. Evangelii lectore qui

(1) Ita S. Hieronymus, *adversus Vigilant.*

(2) Cfr. Gihr. l. c. p. 127.

Domini nostri J. Ch. personam gerit; c' ut hac nostri corporis dispositione demonstremus nos tanquam veros Dei servos ad ejus, quæ proferuntur, exsequenda mandata semper esse paratos ».

H. V. D. B.

# Jurisprudence des Cours et Tribunaux.

**Cour de Cassation.** — Arrêt du 7 Octobre 1901.

*Est légale la disposition d'un règlement communal qui interdit la vente sur la voie publique, sans autorisation du bourgmestre, de journaux ou autres imprimés.*

En 1886 le conseil communal de la ville de Limbourg avait établi un règlement de police, dont l'article 126 portait défense de vendre sur la voie publique des journaux ou autres imprimés, sans l'autorisation préalable du bourgmestre. Le tribunal de police de la même ville ayant condamné un individu du chef d'une triple contravention à ce règlement, appel fut interjeté de cette sentence devant le tribunal correctionnel de Verviers, qui par son jugement du 11 Juillet 1901 réforma la décision du premier juge et renvoya le prévenu des fins de la poursuite, pour le motif que la disposition susvisée du règlement de police de Limbourg est inconstitutionnelle.

Ce jugement fut dénoncé à la cour de Cassation, qui par son arrêt du 7 Octobre dernier a prononcé comme suit (*Pasic.* 1901, I, p. 366):

Attendu que le pouvoir de police des conseillers communaux, consacré par l'article 78 de la loi du 30 mars 1836, a

été fondé et organisé par les décrets des 16-24 août 1790 et des 19-22 juillet 1791 ;

Attendu que parmi les objets que ces décrets confient à la vigilance des corps municipaux, figure le soin d'assurer la sûreté et la commodité du passage, ainsi que la tranquillité et le bon ordre dans les rues, places et voies publiques ;

Attendu que le colportage des journaux et imprimés, dans ces endroits, peut être de nature à entraver la circulation et à causer du désordre ;

Que sa réglementation rentre donc dans les pouvoirs de la police communale et que l'article 126 du règlement de Limbourg a sa base dans les lois et décrets prérappelés ;

Attendu que le jugement dénoncé, tout en reconnaissant au conseil communal le droit de réglementer la vente des journaux et imprimés dans les rues, prétend qu'il ne peut l'exercer que pour le maintien actuel de l'ordre public ;

Attendu que c'est confondre la répression avec la réglementation préventive et faire une distinction contraire aux principes de la matière ;

Attendu que ce jugement critique le caractère absolu du droit conféré par le règlement au bourgmestre, qui pourrait empêcher la vente des journaux dans la commune ;

Attendu que le pouvoir judiciaire, dès qu'il a reconnu le fondement légal d'un règlement, ne peut se refuser à l'appliquer, sous le prétexte qu'il prêterait à des abus possibles ;

Qu'en agissant ainsi, il empiéterait sur le domaine du pouvoir administratif ;

Attendu que la décision attaquée déclare enfin inconstitutionnel l'article 126 du règlement de Limbourg, comme portant atteinte à la liberté de la presse ;

Attendu que cette liberté ne comporte pas, par essence, la vente ou la distribution des imprimés dans les rues, ce qui n'est qu'un moyen d'en faire le commerce ou de les répandre ;

Attendu que si l'on veut user de la voirie publique pour y faire acte de négoce ou de propagande, on doit observer les règlements faits pour en assurer la paisible jouissance à tous ;

Attendu que la Constitution, dans son article 19, en soumettant aux lois de police le droit des citoyens de s'assembler en plein air, loin d'établir une exception, ne fait qu'appliquer ce principe général, qui subordonne l'exercice

de toute liberté individuelle aux exigences de l'ordre public et de l'intérêt commun, quand on la pratique dans des lieux destinés à l'usage de tous ;

Attendu que le jugement attaqué ne se justifie donc pas plus au point de vue constitutionnel qu'au point de vue de l'étendue du droit de police communale, et qu'il viole les articles visés au moyen ;

Par ces motifs, casse...; renvoie la cause devant le tribunal correctionnel de Liége. (Du 7 octobre 1901.)

**Observations.** Cette décision confirme une jurisprudence consacrée déjà par plusieurs arrêts de la haute cour (1).

Pour comprendre la portée pratique de cette jurisprudence, il convient de fixer son attention sur le fondement légal que la Cour assigne à la défense en question. Ce fondement n'est autre que les lois et décrets qui confient à la vigilance des conseils communaux « le soin d'assurer la sûreté et la commodité du passage ainsi que la tranquillité et le bon ordre dans les rues, places et voies publiques ». Or comme le colportage et la vente des journaux et imprimés *sur la voie publique* peuvent donner lieu à des désordres et entraver la circulation, le conseil communal a autorité pour réglementer ces objets et les soumettre à la nécessité d'une autorisation préalable. En vain objecte-t-on avec les tribunaux de Gand et de Verviers que les règlements de l'espèce sont contraires à la liberté de la presse, garantie par l'article 18 de la constitution belge : car l'exercice des libertés constitutionnelles est toujours

(1) Voir notamment : arrêt du 25 Mars 1886 déclarant non contraire à la constitution un règlement semblable de la commune de Wetteren. — Un double arrêt du 18 Janvier 1892 annulant trois jugements du tribunal correctionnel de Gand, par lesquels ce tribunal avait refusé d'appliquer, pour motif d'inconstitutionnalité, les règlements de police d'Eeclo et de Nevele, indentiques à celui de Limbourg. (*Pasic.* 1892. I. 91). — Item deux arrêts de la même cour, chambres réunies, du 8 Juin 1892. (*Pasic.*, ibid. p. 286), cassant un jugement du tribunal correctionnel d'Audenarde, devant lequel la cause jugée par l'arrêt du 18 Janvier avait été renvoyée.

subordonné aux exigences de l'ordre public et de l'intérêt commun, quand on les pratique dans des lieux destinés à l'usage de tous. (Const. art. 19) (1). « Nous estimons, disait Mr l'avocat général Bosch, que le droit illimité de vendre les imprimés sur la voie publique n'est pas un corollaire nécessaire de la liberté de la presse, et qu'un règlement communal peut, en vue du bon ordre dans les rues, mais nous ajoutons, *uniquement en vue du bon ordre,* subordonner ce droit à une autorisation préalable. De même qu'un règlement peut spécifier à l'avance les temps et les lieux où l'on peut vendre, et ceux où on ne le peut pas, il peut aussi réserver au magistrat chargé de la police le soin d'apprécier et de disposer dans chaque cas particulier. Il est inadmissible que les vendeurs de journaux soient soustraits à une surveillance, que la loi a instituée pour tout le monde, par cela seul que leur industrie concourt, dans une certaine mesure à la publication des imprimés ; et au surplus, il n'est guère soutenable que la diffusion des idées soit arrêtée, que la *pensée* des écrivains soit *enchaînée*, comme le dit le décret de 1830, parce que *l'un* des nombreux modes de publication de la pensée sera soumis à un contrôle, qui porte, notons le bien, non pas *sur la pensée* elle-même, mais sur le rapport nécessaire qui existe entre la vente de l'imprimé et l'ordre matériel dans les rues ». (2)

Il n'en serait pas de même si un règlement de police attribuait au bourgmestre le droit d'interdire la vente des journaux sur la voie publique, non pas à raison du désordre que cette vente pourrait occasionner, mais *à cause du caractère subversif ou immoral* du journal. Pareil règlement serait déclaré inconstitutionnel, parce qu' « il met aux mains du bourgmestre l'arme que la constitu-

(1) Voir Bosch, *Pasic.* 1892, I, p. 89 sv. ; Giron, *Diction. de droit admin.* V° *Presse*, n. 7 ; Mesdach de ter Kiele, *Pasic.*, 1892, I. 289.

(2) *Pasic.*, l, c., p. 88.

tion, par son article 18, a voulu retirer du pouvoir à tout jamais » (1).

C'est pour ce motif que le règlement de police de la commune d'Aeltre du 30 Avril 1891 fut déclaré inconstitionnel par la Cour de Cassation (arrêt du 18 Janvier 1892), en ces termes :

« Considérant que d'après le dit règlement l'autorisation (de vendre des imprimés sur la voie publique) est exigée pour empêcher la diffusion d'idées subversives ou immorales ; que pour l'exécuter le bourgmestre doit donc contrôler les écrits imprimés et empêcher la distribution de ceux qui lui paraissent répandre des opinions dangereuses ;

Considérant que si l'autorité communale est investie du droit de réglementer les métiers ou professions qui s'exercent sur la voie publique, elle ne peut néanmoins faire usage de ce pouvoir que pour assurer le maintien de l'ordre dans la rue ainsi que la sécurité et la commodité du passage ;

Considérant que le règlement, tel que le caractérise son préambule, porte donc sur un objet qui n'est pas confié à la vigilance des corps communaux ; qu'il est contraire à l'article 18 de la constitution, puisqu'il établit une censure locale et porte atteinte à la liberté de la presse ; que c'est donc à bon droit que le tribunal de Gand a refusé de l'appliquer ;

Par ces motifs rejette... ». *Pasic.* 1892, I, 84.

Il faut donc que le texte et les considérants des règlements en question, visent uniquement le maintien du bon ordre sur la voie publique, sans quoi on ne pourra en poursuivre l'exécution, vu que les tribunaux se refuseront à l'appliquer.

Observons toutefois que de fait ce sera souvent le contenu ou le caractère de l'imprimé qui en rendra la vente publique dangereuse au point de vue du bon

---

(1) Bosch, *ibid.*, p. 91. — En ce sens A. R. du 7 Avril 1892. N'en concluez pas toutefois que le colportage des imprimés séditieux ou immoraux soit soustrait à toute vigilance du pouvoir communal ; car l'arrêté royal cité ajoute : « Si des écrits délictueux sont vendus et distribués sur la voie publique, il appartient à l'autorité communale de faire dresser procès-verbal et de saisir le parquet des infractions ainsi constatées ». *Moniteur Belge*, 1892, p. 1081.

ordre, soit parce qu'il est de nature à provoquer des attroupements qui empêchent la libre circulation, soit parce qu'il blesse profondément les convictions ou les sentiments de la population de l'endroit et peut de ce chef facilement donner lieu à des désordres. « Il est des situations, dit Mr Bosch, où l'agitation des esprits peut dégénérer d'un moment à l'autre en violences et en batailles et où l'annonce à cri public d'un imprimé de nature à surexciter les passions du moment sera un danger sérieux pour le bon ordre. Et le Bourgmestre qui, en pareil cas interdirait la vente de cet imprimé ne ferait que remplir sa mission de police ».

Telle est la théorie de la cour de Cassation, au sujet de la constitutionnalité des règlements de police, qui nous occupent. Cette opinion n'a point été suivie par le *pouvoir administratif*. Ainsi Mr de Burlet, Ministre de l'Intérieur et de l'Instruction publique, adressa aux gouverneurs, en date du 8 Août 1891, une circulaire conçue comme suit :

« L'article 18 de la constitution porte : *La presse est libre ; la censure ne pourra jamais être rétablie.*

La liberté de la presse proclamée en termes aussi absolus par le congrès nationnal a pour corollaire le droit de colporter, distribuer et vendre les livres, journaux et autres imprimés.

Il faut donc considérer comme inconstitionnels les règlements communaux qui tendraient à subordonner à une autorisation du bourgmestre la vente sur la voie publique des livres et journaux.

L'autorité communale ne peut intervenir à cet égard que dans des cas spéciaux et exceptionnels, intéressant l'ordre, la tranquillité et la sécurité publics, par exemple dans les cas prévus par l'article 94 de la loi communale ou encore pour empêcher les entraves à la libre circulation ». (1)

(1) Le Ministre n'admet donc pas la légalité d'une réglementation

De même un arrêté royal du 12 Avril 1892 annula un règlement local ainsi conçu:

« Considérant que la vente, dans les rues, places et voies publiques, des écrits, des journaux et autres imprimés pourrait engendrer du désordre et entraver la circulation, il est défendu à toutes personnes d'exposer en vente, de colporter ou de vendre dans les rues et places publiques des écrits, journaux ou autres imprimés, sans en avoir obtenu l'autorisation du bourgmestre. » Le motif d'annulation est encore que ce règlement confère, en réalité, au bourgmestre le droit de vérifier l'objet des écrits, leurs tendances et leurs doctrines, et institue, au moins indirectement, une censure locale (1).

Enfin Mr Le Jeune, Ministre de la Justice, dans son rapport du 7 Février 1893, soumis à la Chambre des Représentants, fit ses réserves au sujet des arrêts de la cour de Cassation du 8 Juin 1892, cités ci-dessus, et

---

*préventive,* établissant la nécessité d'une autorisation préalable: il ne permet qu'une interdiction passagère en cas d'évènements imprévus, pour le maintien *actuel* de l'ordre public, aux termes de l'art. 94 de la loi communale. — Peu de jours auparavant, M. de Burlet, répondant à une interpellation de M. Graux au sujet du règlement d'Eecloo susmentionné, avait fait la déclaration suivante: « Quant à moi, je l'ai dit, je suis d'accord avec M. le Ministre de la justice, il m'est impossible, malgré les arrêts de la cour de cassation et les autres décisions judiciaires, il m'est impossible de considérer comme ne violant pas l'esprit de la Constitution un règlement communal qui attribue au bourgmestre le droit absolu d'opposer son véto à la vente de journaux. Où irions nous en effet avec un pareil système? Le bourgmestre investi de ce pouvoir souverain d'appréciation n'a pas à rendre compte des motifs qui dictent sa défense. Il dit oui ou non, selon son bon plaisir peut-être. C'est éventuellement le *sic volo sic jubeo; sit pro ratione voluntas.* La prohibition s'appliquera a tel journal parce qu'il contient des outrages, des offenses aux bonnes mœurs, des provocations, des articles contraires aux lois, à l'ordre public, des articles jugés calomnieux, délictueux en un mot; mais l'interdiction pourra être prononcée également sans motif plausible, sans apparence de raison même et par arbitraire. Cela n'est pas possible ». Séance de la Chambre des Représ. du 29 Juillet 1891, *Ann. parlem.*, p. 1671.

(1) Voir *Revue de l'admin.*, T. XXXIX, p. 154. — Giron, l. c.

défendit à son tour l'inconstitutionnalité des règlements de police auxquels ils se rapportent. (1)

Malgré cette opposition, la Cour suprême persévère dans son opinion comme il conste par l'arrêt du 7 Octobre 1901, que nous avons reproduit plus haut.

En présence du conflit signalé entre la jurisprudence de la Cour de cassation et la jurisprudence administrative, les conseils communaux, s'ils ne veulent pas s'exposer à des mécomptes (2), s'abstiendront sagement de prendre des règlements qui subordonnent, d'une façon générale, à l'autorisation préalable du bourgmestre la faculté de colporter ou de vendre dans les rues des journaux ou autres imprimés.

Toutefois, de l'aveu du gouvernement lui-même, cet objet est susceptible d'une certaine réglementation : ainsi un règlement communal pourrait exiger, pour la vente des journaux sur la voie publique, certaines conditions d'âge ; interdire le colportage à son de trompe ou de cornet, les appels bruyants, les stationnements des vendeurs en bande ; leur défendre d'interpeller, d'accoster ou de suivre les passants (3). Mr de Burlet admettait même que « la liberté de la presse n'est guère compromise si un règlement communal défend aux crieurs d'annoncer des publications autrement que par le titre seul, d'ajouter aucun commentaire, aucune qualification » (4). Pareilles mesures sont plus que

(1) Voir *Het vlaamsch bestuur*, IV, 54.

(2) M. de Burlet déclara ouvertement à la Chambre des Représentants qu'il annulerait les règlements de l'espèce (Séance du 8 Avril 1891), *Ann. parlem.*, p. 1000. — Au reste la cour de cassation, dans les considérants de son arrêt du 18 Janvier 1892, semble inviter le pouvoir exécutif à user de son droit d'annulation chaque fois qu'un règlement communal, malgré une apparence contraire, a en réalité pour but de restreindre l'usage de la liberté de la presse et d'exercer sur celle-ci une sorte de censure. *Pasic.* 1892, I, p. 92.

(3) Voir *Pasic.* 1892, I, 292. — *Revue de l'admin.* 1892, p. 154. — *Vlaamsch bestuur*, III, 149.

(4) Séance de la Chambre des Représ. du 8 Avril 1892. *Ann. parlem.*, p. 1010.

suffisantes, paraît-il, pour parer, en temps ordinaire, aux inconvénients que peut présenter le colportage des journaux, au point de vue du bon ordre et de la tranquillité publique.

Dans les cas d'une gravité extraordinaire, l'article 94 de la loi communale permet au bourgmestre de prendre sur l'heure une ordonnance, immédiatement exécutoire: « cette ordonnance ou règlement interdira, s'il le faut, la vente de tous écrits ou imprimés à raison de circonstances momentanées ou d'événements imprévus et graves. Que veut-on de plus? » (1)

H. V. D. B.

# E Secretaria Brevium.

**Indulgentiæ conceduntur gestantibus Scapulare SS. Cordium Jesu et Mariæ.**

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad fidelium cultum pietatemque erga Divinum Cor Jesu atque Purissimum Cor Deiparæ Virginis magis fovendam et incitandam, supplicationibus, quas Nobis adhibuere tum Venerabilis Frater Episcopus Massiliensis, tum religiosæ Sorores ex Instituto Filiarum Cordis Jesu, libenter obsecundavimus, et per Decretum SS. Rituum Congregationis die IV Aprilis MDCCCV datum (2), scapulare ejusdem S. Cordis Jesu in agonia positi nec non Amantissimi Cordis Mariæ Perdolentis una cum proprio ritu et formula benedictionis et impositionis adprobavimus. Quum vero nunc a Nobis postulatum fuerit ut nonnullas dicto scapulari indulgentias adnectere et applicare velimus, Nos ut etiam in hac re

(1) M. de Burlet. *Ann. parlem.* 1892, p. 1002.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VIII, p. 262.

piis votis annuamus, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus in universo orbe degentibus, qui prædictum scapulare, dummodo sit confectum juxta formam in supradicto Decreto descriptam, de manu Sacerdotis, cui ab Apostolica Sede facultas facta fuerit, receperint, si die receptionis vere pœnitentes et confessi ad S. Synaxim accesserint, plenariam; item in cujusque eorum mortis articulo, si vere etiam pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint etiam plenariam; et si vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum solemnitate SS^mi Corporis Christi, feria sexta post octavam ejusdem solemnitatis, postrema dominica mensis augusti et festivitate Immaculatæ Conceptionis B. M. V. a primis vesperis ad occasum solis dierum hujusmodi quotannis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut præsentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ præmunitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ; atque præsentium Litterarum, quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus, exemplar ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ deferatur, juxta Decretum ab eadem S. Congregatione die XIX Januarii MDCCLVI latum et a S. M. Benedicto PP. XIV Prædecessore Nostro die XXVIII dicti mensis adprobatum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVII martii MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

ALOIS. Card. MACCHI.

**Adnotanda.** Juxta decretum S. Congr. Rituum diei 4 Aprilis 1900, in præsenti Brevi apostolico citatum « hoc scapulare ex privata fidelium devotione jamdiu adhibitum, constat ex duabus de more partibus laneis albi coloris per chordulam seu vittam conjunctis, quarum una præfert emblemata duorum cordium, Jesu nempe iis insignibus ornati, quibus repræsentari solet, et Immaculatæ Matris Mariæ gladio perforati, subjectis utrique instrumentis Dominicæ Passionis; altera vero pars exhibet sanctam crucem ex panno rubri coloris ».

C. C.

# Ex S. Rituum Congregatione

## ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutio expetita fuit, nimirum:

I. Quum juxta Rubricas statutum sit in Missis Feriarum Adventus etc. genuflectere debere omnes in Choro, dicto per celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini* inclusive: quæritur utrum hoc idem tenendum sit quoties præfatæ Missæ celebrentur sine cantu?

II. An quotiescumque recitantur in Choro preces feriales tempore Quadragesimæ, debeant omnes, Hebdomadario excepto, genuflexi manere etiam in commemorationibus Sanctorum simplicium et in Orationibus Suffragiorum?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis liturgicæ, rescribendum esse censuit:

Ad I Affirmative.

Ad II Affirmative juxta Rubricam Generalem Breviarii Tit. XXXIV *De precibus*, n. 4.

Atque ita rescripsit. Die 4 Martii 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præf.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Adnotationes.** Ad I. Rubrica Missalis Tit. XVII, 5 ita disponit. « In choro... in missis feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum et Vigiliarum, quæ jejunantur, ac in missis defunctorum genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad Orationes post Communionem et Super populum, excepta Vigilia Paschæ et Pentecostes, ac Nativitatis Domini et Quatuor temporibus Pentecostes ». Sacra autem Congregatio in decreto 29 decembris 1884, *Lucionen.*, X ad quæstionem « utrum hæc rubrica intelligenda sit usque ad *Pax Domini* inclusive, an exclusive » respondit: « Inclusive, usque ad *Pax Domini* per celebrantem ». Præsenti decreto rescribit idem in choro servandum esse in missis non cantatis.

Ad II. Rubrica Breviarii citata de modo dicendi preces feriales præscribit: « Dicuntur autem preces *(feriales)* flexis genibus ab Hebdomadario usque ad versum *Dominus vobiscum* ante primam Orationem: à circumstantibus autem, usque ad versum *Benedicamus Domino*, post ultimam orationem. » Ex quo sequitur chorum, excepto celebrante, genuflexum manere, tempore Commemorationum, si dicuntur, et Suffragiorum; quod confirmatur præsenti decreto.

Notandum autem est, has preces feriales dici debere non tantum tempore Quadragesimæ (de quo solum mentio fit in dubio) sed etiam « in feriis Adventus, Quatuor temporum et Vigiliarum quæ jejunantur (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, ac Vigilia et Quatuor temporibus Pentecostes) », easque, sicuti Antiphonam finalem B. M. V., juxta decretum 12 novembris 1831 ad 41, in Choro tantum, non autem in privata officii recitatione *flexis genibus* esse recitandas.

H. V. D. W.

# Consultationes.

I

**Quæritur.** Caius vicepastor a parocho, sanitatis recuperandæ gratia in extera regione degente, universaliter delegatur ad munera pastoralia et in specie ad tractandas causas matrimoniales. Porro quadam die qua matrimonium ipso assistente fuerat celebratum, nuntium accipit parochum pridie in Domino obiisse. Anxiatur autem circa valorem dicti matrimonii post mortem parochi delegantis celebrati.

**Respondetur.**

I. **Principia.** Diversimode loquuntur Auctores in dijudicando valore delegationis ad assistendum matrimonio, defuncto jam delegante, executioni mandatæ.

A/ Sat communiter docetur delegatum posse procedere vi delegationis ante obitum delegantis acceptæ, quotiescumque **causa jam non est integra.** Porro res censetur *non integra* statim ac positus fuit primus actus qui refertur ad causam *ad quam delegatio est concessa.* Unde, si delegatio datur *ad totam causam aliquam matrimonialem tractandam,* sufficit ad non integritatem ut proclamationes jam fecerit delegatus vel sponsos interrogaverit in ordine ad matrimonium; quæ non sufficerent si delegatio afficit *solam assistentiam* ipsi matrimonio; quia, in hac altera hypothesi, factis licet denuntiationibus et instructione peracta, integrum manet ipsum delegationis objectum seu causa ad quam delegatus existit.

Ratio autem cur, re incœpta, delegatio non pereat per mortem delegantis est, uti tradit Sanchez, *De Matrimonio,* l. VIII, Disp. 27, n. 30, quia « per jurisdictionis exercitium ante delegantis mortem, jurisdictio radicatur in persona delegati, ita ut efficaciter in eum transierit ».

B/ **Re autem integra**, delegatio (quæ censetur absolute impertita) (1), vel valida subsistit vel perit prout habenda est vel tanquam gratia *facta* vel gratia *facienda*. Est enim principium in jure passim admissum, quod pro *causis gratiæ* (secus ac pro *causis justitiæ*) (2), gratia facta non expirat morte concedentis, etiamsi res sit integra, bene vero gratia facienda.

Porro gratia *facta* dicitur, juxta eumdem Sanchez, l. c., n. 48, « quando perfecte conceditur ei, in cujus gratiam datur, ac independenter ab alio cui facienda committatur » ; seu quotiescumque subjectum gratiæ concessæ hanc plene est adeptum sive facto sive jure. « *Facienda* vero est quando non conceditur absolute ei in cujus favorem datur, sed dependenter ab alio cui facienda committitur » ; seu quando subjectum, in cujus favorem gratia est impertita, hanc nondum est consecutum neque facto neque jure (3).

Ita facultas dispensandi vel absolvendi vel quævis alia facultas generatim erit gratia *facta*, si est elargita in favorem delegati, cui eo ipso absolute et perfecte est acquisita ; est autem gratia *facienda* si data est intuitu personæ dispensandæ, absolvendæ etc., quippe cui adhuc est applicanda gratia ; attamen si delegatus constitutus fuerit executor *necessarius* seu mandatum acceperit assistendi, gratia etiam censetur *facta*, licet concessa sit intuitu personæ dispensandæ ; hoc namque

---

(1) Quid sit dicendum quando delegatio est concessa cum restrictione. v. gr. *ad beneplacitum, donec voluero,* etc., videsis apud Reiffenstuel, *Jus Canonic. univ.*, in L. V Decr., ad tit. XXXIII, n. 169-170; et Van den Berghe, tractat. autographo *De Jure Publico,* II, n. 58.

(2) Causæ *justitiæ* sunt illæ in quibus agitur de negotio judiciali inter partes contendentes explendo ; causæ *gratiosæ* sunt illæ quarum objectum est aliqua liberalitas data a superiore, puta beneficium conferente, facultatem impertiente, absolutionem aut dispensationem concedente.

(3) Cf. VI Decret., l. III, t. IV, cap. 36: « si super provisione certæ personæ facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur gratiam vel favorem; illa quidem expirat omnino si concedens re integra moriatur ».

casu gratia est acquisita *jure* a subjecto in cujus favorem est data (1).

*Ratio* autem disparitatis est in ipsa natura utriusque gratiæ descriptæ, quatenus scilicet gratia *facta*, utpote jam obtenta saltem jure, jam non pendet a concedente, adeoque post hujus obitum manet, dum contrà gratia *facienda*, respectu ejus in cujus favorem tribuitur, adhuc est dispensanda, adeoque pendet adhuc a persona concedentis ac proinde cum hac moriente necessariò expirat. Cf. Sanchez, op. cit., nn. 64-87; Reiffenstuel, op. cit., in l. I Decr., ad tit. III, n. 250 et seq.; Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *gratia*, *ut est gratiosum rescriptum*, nn. 1-3; Schmalzgruëber, ad l. I Decret., Tit. III, n. 37; Santi, *Jus Canon.*, in l. I Decr., ad tit. 3m, n. 35 (2); Putzer, *Commentar. in Facult. Apost.*, n. 37; Van den Berghe, l. c.; De Brabandere-Van Coillie, *Comp. Jur. Canon.*, I, n. 115.

Controversia igitur reducitur ad quæstionem utrum facultas assistendi nuptiis sit consideranda, attentis notionibus datis, tanquam gratia *facta* vel potius tanquam gratia *facienda*.

Jamvero juxta De Becker, *De sponsal. et matrim.*, p. 97, facultas assistendi matrimonio est reputanda gratia *facta*, adeoque ipsi præplacet opinio juxta quam mors delegantis non influit in valorem delegationis, quæ proinde perseverat, delegante defuncto, sive res integra sit sive non.

Feye, *De Imped. Matrim.*, ed. 1893, n. 297, sub 7°, quem citat et sequitur *Theol. Mechl.*, *De matrim.*, n. 88, utramque sententiam refert, affirmantium videlicet et negantium delegationem de qua quæritur esse gratiam factam, et opinatur affirmantium doctrinam posse in

(1) Cf. Reiffenstuel, op. cit., in l. I Decr., tit. III, n. 259.

(2) « Ratio disparitatis est in eo quod gratia facta jus tribunat per se, gratia autem facienda non exhibet jus quæsitum, sed possibilitatem illud acquirendi per exercitium jurisdictionis delegatæ, quæ jurisdictio prorsus cessat morte delegantis, nisi delegatus fecerit suam, occupando negotium ».

praxim deduci ac adeo practice tutam esse opinionem a De Becker propositam.

Contrariam ineunt viam Bangen, *Instructio practica de Spons. et matr.*, III, p. 13, et Gasparri, *Tractat. canon. de matr.*, II, n. 951, absolute docentes morte parochi vel Ordinarii delegantis cessare licentiam assistendi, excepto casu infra memorando quo mors mansit ante nuptias ignota.

Atvero melius videtur distinctione utendum. Nimirum facultas assistendi æquiparatur gratiæ factæ, quotiescumque datur *ad universalitatem causarum*, sine determinatione personarum: tunc enim facultas concessa prærogativa constituitur ipsius delegati (1), licet remote in bonum cedat nupturientium; adeoque, juxta superius dicta, censetur gratia perfecte concessa et acquisita.

Contrà si sacerdos deputatur *ad casum particularem*, subjectum quod in gratiæ elargitione intenditur, non est ipse delegatus sed sunt nupturientes; et cum hisce nondum sit gratia applicata, eo ipso, uti vidimus, est gratia facienda, nisi delegatus, vero accepto mandato assistendi, constituatur executor necessarius (2).

*Conclusio* igitur est quod sacerdos ad matrimonio assistendum deputatus officium suum validè præstat, defuncto licet parocho delegante, quotiescumque, *re etiam integra,* fuerit delegatus *ad universalitatem causarum*, vel *ad casum particularem cum mandato exequendi.*

Attamen nota, etiam in nostra sententia, numquam

(1) Revera, uti ratiocinatur Reiffenstuel, op. cit., in l. I Decr., ad tit. III, n. 255, hujusmodi generalis facultas, qua quis possit generaliter assistere quibusvis celebrandis matrimoniis, « est magna prærogativa ejus, cui ejusmodi gratia specialis seu facultas generalis sine expressione certæ personæ concessa est; ergo gratia hujusmodi censetur principaliter esse concessa in favorem sive ad majorem prærogativam ipsius recipientis ». Cf. etiam VI Decr., l. III, tit. IV, cap. 36.

(2) Simile mandatum profectò non imponitur sacerdotibus ex delegatione assistentibus matrimonio, titulo consanguinitatis vel amicitiæ erga nupturientes. Contrà assistentia nuptiis præbenda a vicepastoribus, ad id a parochis delegatis, passim ex mandato injungitur, ita ut sese habeant tanquam executores necessarii.

invalidam esse assistentiam a delegato præstitam, si mors parochi ante puptias adhuc erat ignota. Supplet namque Ecclesia, in quantum est opus, propter præsentiam tituli colorati, cum errore communi (1). Cf. Sanchez, op. cit., l. III, Disp. XXII, n. 58-59; Reiffenstuel, op. cit., in l. I Decr., tit. III, n. 234; Lugo, *Responsa Moralia*, l. I, dub. 35; Gasparri, l. c.; Deshayes, *Questions pratiques sur le mariage*, 1898, qu. 114.

II. **Solutio.** Indubie valida fuit assistentia a Caio vicepastore præstita in casu proposito; tum quia delegatio, utpote ad universalitatem causarum concessa, erat habenda qua gratia facta, tum quia ante nuptias nondum pervenerat nuntium obitus, tum etiam quia præsumitur, juxta exposita, res non integra: supponitur namque Caius vicepastor jam ante mortem parochi, vi delegationis acceptæ, nonnullos actus posuisse in ordine ad dicti matrimonii celebrationem (2).

**Nota.** Quæ præcedunt principia solutionem præbent casui quo delegatus assisteret matrimonio postquam parochus delegans aliter ac per mortem officium amiserit, v. gr. per translationem ad aliud munus.

A. D. S.

II

**Quæritur.** Statim post collatum baptisma solent susceptores rogare ut neo-baptizato imponatur scapulare B. M. Virg. de Monte Carmelo. Quæritur autem utrum sacerdos vel sacrista possit pro ipso scapulari a se præstito justum aliquod pretium licite petere et recipere absque indulgentiarum jactura?

---

(1) Circa notiones tituli colorati et erroris communis, ac circa conditiones requisitas ad hoc ut suppleat Ecclesia, cf. *Collat. Brug.*, IV, pp. 639 et seq.

(2) Non enim erat deputatus ad solam assistentiam ipsi matrimonio, sed ad integram causam matrimonialem tractandam; ac proinde, uti diximus, per factas proclamationes res jam cessavit esse integra.

**Respondetur**: *Affirmative.*

Non enim *benedictio* obstat licitæ venditioni, dummodo ratione ipsius benedictionis pretium non augeatur (cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 54).

Nec obstat *indulgentiarum adnexio*, quia hic in casu indulgentiæ non adnectuntur ipsi habitui sacro, sed adsociationi confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo. Nam a/ in formula benedictionis hujus scapularis accurate distingui possunt tres partes: quarum prior pronuntiatur ad benedicendum scapulare, secunda ad illud imponendum, tertia tandem ad recipiendum fidelem in confraternitate. Jamvero non in prioribus sed in tertia dumtaxat parte enuntiatur participatio bonorum spiritualium quæ a religiosis de Monte Carmelo peraguntur.

b/ Qui semel valide scapulare recepit et confraternitati adscriptus est, potest, qualicumque de causa, aliud scapulare *non benedictum* assumere quin inde deperdantur indulgentiæ.

C. C.

III

In oppido quodam, cujus antiqua ecclesia parochialis dedicata est Sancto Martino, propter adauctum numerum incolarum, altera erecta est parochia cum ecclesia sub titulo S. Antonii de Padua. Parochus novæ ecclesiæ celebrat festum S. Antonii uti titularis, sub ritu duplici primæ classis cum octava, imo, festo incidente per hebdomadam, transfert solemnitatem in Dominicam sequentem. Appropinquante autem festo S. Martini quærit, utrum ipse, sicuti parochus S. Martini, teneatur ad celebrandum festum hujus Sancti, sub eodem ritu duplici primæ classis cum octava et an possit vel debeat transferre ejus Solemnitatem pariter in Dominicam sequentem?

R. 1° Quoad celebrationem festi S. Antonii optime egit parochus juxta rubricas et decreta, speciatim

decretum generale 5 Junii 1899, n° 4025 (1), quo ad I declaratur: « In quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum octava (2), et ad III: « Relativi Titularis festum a toto clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore ecclesiæ aut publico Oratorio addicto per integrum Officium celebrabitur ». In casu enim agitur de ecclesia quæ supponitur vel consecrata vel saltem solemniter benedicta, juxta præscriptum ejusdem decreti ad II: « Ecclesias omnes esse ab Episcopo, nisi consecratæ eæ fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam oratoria publica, sub formula in Rituali Romano præscripta ». Ecclesia autem in casu consecrata vel benedicta est sub titulo S. Antonii; consequenter hic Sanctus colendus est ut Titularis, ejusque festum celebrandum per integrum officium sub ritu duplici primæ classis cum octava (2) ab integro clero, ergo a Parocho seu Rectore, qui cleri præcipuum imo forte unicum membrum existit.

Non tamen ideo parochus legitime transtulit solemnitatem S. Antonii in Dominicam sequentem, celebrando missam solemnem ut in festo. Festa enim, quorum solemnitas in proximiorem Dominicam non impeditam transferri potest, vi indulti reductionis festorum concessi Reipublicæ Galliarum territorio sub die 9 Aprilis 1802, sunt: « Epiphaniæ Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Sanctorum Patronorum locorum, quando infra hebdomadam occurrunt ». Ita definitum decreto 2 decembris 1902, n° 3754 (3). « Pro Patrono autem præcipuus loci intelligendus est, videlicet civitatis, aut oppidi etc., atque etiam in illius tantum defectu. Patro-

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1901, p. 55.
(2) Dummodo occurat festum tempore quo octavæ non prohibentur.
(3) Vide *Collat. Brugen.* 1900, p. 447.

nus Diœcesis: quorum nempe alteruter legitime electus juxta constitutionem Urbani Papæ VIII, (1) vel ab immemoriali assumptus, in singulis locis celebrandus est sub ritu duplici I classis cum octava ac præcepto in foro » (*Idem decr.*) (2). Titularis ergo ecclesiæ, nisi simul sit patronus loci, secluso speciali indulto, jus non habet ad translatam solemnitatem in Dominicam. Jamvero S. Antonius est quidem Titularis novæ ecclesiæ, sed ut talis non evadit Patronus *loci* seu territorii quo parochia continetur, nec supponitur, ut patronus electus juxta regulas traditas ab Urbano VIII vel ab immemorabili assumptus. Nisi ergo habeatur indultum speciale solemnitas in Dominicam transferri non potest.

2° Utrum autem parochus S. Antonii teneatur etiam celebrare festum S. Martini sub ritu duplici primæ classis cum octava et an possit vel debeat solemnitatem translatam in Dominica celebrare, distinguendum est: Si S. Martinus est tantum Titularis antiquæ ecclesiæ oppidi et non simul colitur ut patronis *loci* seu oppidi, neutrum potest facere. Ad officium enim Titularis non tenetur, ut supra vidimus, nisi clerus illi ecclesiæ adscriptus, parochus autem S. Antonii non censetur adscriptus ecclesiæ S. Martini. Nec in Dominicam transferri potest, secluso indulto speciali, solemnitas nisi hic sanctus sit simul Patronus loci; supponitur autem non esse patronum, ergo in casu nec in propria ecclesia nec in nova S. Antonii celebranda est solemnitas in Dominica.

Si autem S. Martinus non tantum habetur uti Titularis antiquæ ecclesiæ oppidi, sed insuper ut patronus præcipuus ejusdem *oppidi seu loci* colitur, ejus festum « celebrandum est ab omnibus et singulis de clero, ad horas canonicas obligatis, *qui eodem in loco degunt*, sub ritu duplici primæ classis, a sæculari cum octava, a

(1) Cfr. Ill. Van der Stappen, *de rubricis Breviarii*, q. 219.
(2) Cfr. *Collat. Brugen.* 1896. p. 152.

regulari sine octava » (1), ergo à toto clero diversarum parochiarum seu ecclesiarum ejusdem loci et consequenter in casu a clero et parocho S. Antonii; « Patronus enim sua jura servat integra, etiamsi in loco patronatus novæ erigantur parochiæ cum suis propriis titularibus, nam in tali casu datur tantum separatio a parochia, minime vero a loco patronatus, qui integer omnino remanet » (2). Propter eamdem rationem in Dominicam sequentem solemnitas S. Martini in utraque ecclesia, tum propria S. Martini, tum nova S. Antonii est transferenda, cum utraque ad eumdem locum patronatus pertineant.

Non raro difficile est definire utrum aliquis Sanctus sit merus Titularis Ecclesiæ, an etiam Patronus loci. Sed etiamsi non constaret de legitima electione facta juxta regulas statutas ab Urbano VIII, sufficit ut tanquam Patronus ab immemorabili fuerit assumptus et veneratus. « Rationabiliter etiam conjici debet sanctum aliquem, non merum ecclesiæ titularem, sed verum simul loci Patronum esse, si festum ipsius ante concordatum anni 1801, cum præcepto et feriatione populi fuerit celebratum.... Pro nostris ideo regionibus patronatus etiam probatur ex eo quod festum alicujus Sancti Titularis, inde a concordato, juxta decretum Card. Caprara 9 Aprilis 1802, cum consueto ritu, licet sine præcepto, in populo fuerit peractum et ipsius solemnitas in Dominicam proxime subsequentem translata » (3).

H. V. D. W.

(1) Decret. gen. 9 Julii 1895, nº 3863 ad I.
(2) Ill. Van der Stappen, l. c., q. 227.
(3) *Collat. Brugen.* 1896, p. 153.

# Collationes Brugenses

## Lettre apostolique de S. S. le Pape Léon XIII *à tous les Patriarches, Primats, Archevêques et Evêques du monde catholique, à l'occasion du vingt-cinquième anniversaire de son élévation au trône pontifical.* (1)

LÉON III, PAPE

VÉNÉRABLES FRÈRES, SALUT ET BÉNÉDICTION APOSTOLIQUE

Parvenu à la vingt-cinquième année de Notre ministère apostolique, et étonné Nous-même de la longueur du chemin qu'au milieu d'âpres et continuels soucis Nous avons parcouru, Nous Nous sentons tout naturellement porté à élever Notre pensée vers le Dieu à jamais béni qui, parmi tant d'autres faveurs, a bien voulu Nous accorder un Pontificat d'une durée telle qu'on en rencontre à peine quelques-uns de pareils dans l'histoire. C'est donc vers le Père de tous les hommes, vers Celui qui tient dans ses mains le mystérieux secret de la vie, que s'élance, comme un impérieux besoin de Notre cœur, l'hymne de Notre action de grâces. Assurément, l'œil de l'homme ne peut pas sonder toute là profondeur des desseins de Dieu, lorsqu'il a ainsi prolongé au delà de toute espérance Notre vieillesse; et ici Nous ne pouvons que Nous taire et l'adorer. Mais il y a pourtant une chose que Nous savons bien, c'est que, s'il lui a plu, et s'il lui plaît de conserver encore Notre existence, un grand devoir Nous incombe: vivre pour le bien et le développement de son Épouse immaculée, la Sainte Église, et, loin de perdre courage en face des soucis et des peines, lui consacrer le restant de Nos forces jusqu'à Notre dernier soupir.

Après avoir payé le tribut d'une juste reconnaissance à

(1) Cette Encyclique, n'a pas été écrite en latin. La rédaction officielle a été faite en italien et en français.

Notre Père céleste, à qui soient honneur et gloire pendant toute l'éternité, il Nous est très agréable de revenir vers vous par la pensée et de vous adresser la parole, à vous, Vénérables Frères, qui, appelés par l'Esprit-Saint à gouverner des portions choisies du troupeau de Jésus-Christ, participez par cela même avec Nous aux luttes et aux triomphes, aux douleurs et aux joies du ministère des Pasteurs. Non, elles ne s'évanouiront jamais de Notre mémoire, les nombreuses et remarquables preuves de religieuse vénération que vous Nous avez prodiguées au cours de Notre Pontificat, et que vous multipliez encore avec une émulation pleine de tendresse dans les circonstances présentes. Intimement uni à vous déjà par Notre devoir et par Notre amour paternel, ces témoignages de votre dévouement, extrêmement chers à Notre cœur, Nous y ont attaché encore, moins pour ce qu'ils avaient de personnel en ce qui Nous regarde, que pour l'attachement inviolable qu'ils dénotaient à ce Siège apostolique, centre et soutien de tous les autres sièges de la catholicité. S'il a toujours été nécessaire qu'aux divers degrés de la hiérarchie ecclésiastique tous les enfants de l'Eglise se tinssent jalousement unis dans les liens d'une charité réciproque et dans la poursuite des mêmes desseins, de manière à ne former qu'un cœur et qu'une âme, cette union est devenue de nos temps plus indispensable que jamais. Qui peut ignorer, en effet, l'immense conjuration de forces hostiles qui vise aujourd'hui à ruiner et à faire disparaître la grande œuvre de Jésus-Christ en essayant, avec un acharnement qui ne connaît plus de limites, dans l'ordre intellectuel, de ravir à l'homme le trésor des vérités célestes, et, dans l'ordre social, de déraciner les plus saintes, les plus salutaires institutions chrétiennes? Mais tous cela, vous en êtes vous-mêmes frappés tous les jours, vous qui Nous avez plus d'une fois exprimé vos préoccupations et vos angoisses, en déplorant la multitude de préjugés, de faux systèmes et d'erreurs qu'on sème impunément au milieu des foules. Que de pièges ne tend-on point de tous côtés aux âmes croyantes? Que d'obstacles ne multiplie-t-on pas pour affaiblir et, autant que possible, pour annihiler la bienfaisante action de l'Eglise? Et, en attendant, comme pour ajouter la dérision à l'injustice, c'est l'Eglise elle-même qu'on accuse de ne pas savoir recouvrer sa vertu antique, et

d'être impuissante à endiguer le torrent de passions débordées qui menace de tout emporter !

Nous voudrions bien vous entretenir, Vénérables Frères, d'un sujet moins triste et qui fût en harmonie plus grande avec l'heureuse circonstance qui Nous incline à vous parler. Mais rien ne comporte un pareil langage, ni les graves épreuves de l'Eglise, qui appellent avec instance un prompt secours, ni les conditions de la société contemporaine qui, déjà fortement travaillée au point de vue moral et matériel, s'achemine vers des destinées encore pires par l'abandon des grandes traditions chrétiennes : une loi de la Providence, confirmée par l'histoire, prouvant qu'on ne peut pas porter atteinte aux grands principes religieux sans ébranler en même temps les bases de l'ordre et de la prospérité sociale. Dans ces circonstances, pour permettre aux âmes de reprendre haleine, pour les réapprovisionner de foi et de courage, il Nous paraît opportun et utile de considérer attentivement, dans son origine, dans ses causes, dans ses formes multiples, l'implacable guerre que l'on fait à l'Eglise, et, en en dénonçant les funestes conséquences, d'en assigner les remèdes. Que Notre parole résonne donc bien haut, quoiqu'elle doive rappeler des vérités affirmées d'autres fois déjà : qu'elle soit entendue non seulement par les fils de l'unité catholique, mais encore par les dissidents et même par les infortunés qui n'ont plus la foi ; car ils sont tous enfants du même Père, tous destinés au même bien suprême ; qu'elle soit accueillie enfin comme le testament que, à la faible distance où Nous sommes des portes de l'éternité, Nous voulons laisser aux peuples comme un présage du salut que Nous désirons pour tous.

De tous temps, la sainte Eglise du Christ a eu à combattre et à souffrir pour la vérité et pour la justice. Instituée par le divin Rédempteur lui-même pour propager dans le monde le règne de Dieu, elle doit conduire aux clartés de la loi évangélique l'humanité déchue vers ses immortelles destinées, c'est-à-dire la faire entrer en possession des biens sans fin que Dieu nous a promis, à la hauteur desquels nos seules forces ne nous permettent pas de monter : céleste mission dans l'accomplissement de laquelle elle ne pouvait que se heurter aux innombrables passions reçues de l'antique

déchéance et de la corruption qu'elle a engendrée, orgueil, cupidité, amour effréné des jouissances matérielles, vices et désordres qui en découlent et qui ont tous rencontré dans l'Eglise le frein le plus puissant.

Le fait de ces persécutions ne doit pas nous étonner; ne nous ont-elles pas été prédites par le divin Maître, et ne savons-nous pas qu'elles dureront autant que le monde? Que dit, en effet, le Sauveur à ses disciples, lorsqu'il les envoya porter le trésor de sa doctrine à toutes les nations? Personne ne l'ignore : « Vous serez poursuivis de ville en ville, à cause de mon nom ; vous serez haïs et méprisés, vous serez traduits devant les tribunaux et condamnés aux derniers des châtiments ». Et pour les encourager à supporter de telles épreuves, il se donna lui-même en exemple : « Si le monde vous hait, sachez qu'il m'a haï avant vous, tout le premier. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* » (1). Voilà les joies, voilà les récompenses qu'ici bas le divin Sauveur nous promet.

Quiconque juge sainement et simplement des choses ne pourra jamais découvrir la raison d'une pareille haine. Qui donc le divin Rédempteur avait-il jamais offensé, ou en quoi avait-il démérité? Descendu sur cette terre sous l'impulsion d'une charité infinie, il y avait enseigné une doctrine, sans tache, consolatrice et on ne peut mieux faite pour unir fraternellement tous les hommes dans la paix et dans l'amour. Il n'avait convoité ni les grandeurs de ce monde ni ses honneurs, et n'avait usurpé sur le droit de personne : bien au contraire, on l'avait vu infiniment compatissant pour les faibles, pour les malades, pour les pauvres, pour les pécheurs et pour les opprimés ; en sorte qu'il n'avait passé dans la vie que pour semer à pleines mains parmi les hommes ses divins bienfaits. Ce fut donc un pur excès de malice de la part de ces hommes, excès d'autant pas lamentable qu'il était plus injuste ; et, suivant la prophétie de Siméon, le Sauveur devint le signe de la contradiction sur cette terre : *Signum cui contradicetur* (2).

Faut-il s'étonner dès lors si l'Église catholique, qui est la

---

(1) *Joan.* XV, 18.
(2) *Luc.* II, 34.

continuatrice de la mission divine de Jésus-Christ et l'incorruptible gardienne de sa vérité, n'a pas pu échapper au sort du Maître? Le monde ne change pas; à côté des enfants de Dieu, se trouvent toujours les séides du grand ennemi du genre humain, de celui qui, rebelle au Très-Haut dès le principe, est appelé dans l'Évangile le prince de ce monde. Et voilà pourquoi, en face de la loi divine et de qui la lui présente au nom de Dieu, ce monde sent bouillonner et se soulever en lui, dans un orgueil sans mesure, un esprit d'indépendance auquel il n'a aucun droit! Ah! que de fois, avec une cruauté inouïe, avec une impudente injustice et pour la perte évidente de la société, que de fois, dans les époques les plus agitées, les ennemis de l'Église ne se sont-ils pas formés en colonnes profondes pour renverser l'œuvre divine!

Un genre de persécution restait-il sans succès, ils essayaient d'un autre. Pendant trois grands siècles, l'empire romain, abusant de la force brutale, parsema toutes ses provinces des cadavres de nos martyrs et empourpra de leur sang chacune des mottes de terre de cette ville sacrée. Puis l'hérésie, tantôt sous un masque et tantôt le visage à découvert, recourut aux sophismes et à des artifices perfides afin de briser l'harmonie de l'Église et son unité. Comme une tempête dévastatrice, se déchaînèrent ensuite, du nord les barbares, et du midi l'islamisme, laissant partout derrière elle des ruines dans un immense désert. Ainsi se transmettait de siècle en siècle le triste héritage de haine sous lequel l'Épouse du Christ était accablée. Alors vint un césarisme, soupçonneux autant que puissant, jaloux de la grandeur d'autrui, quelque développement qu'il eût d'ailleurs donné à la sienne, et qui se reprit à livrer d'incessants assauts à l'Église pour faire main basse sur ses droits et pour fouler aux pieds sa liberté. Le cœur saigne à voir cette Mère si souvent assiégée par les angoisses et par d'inexprimables douleurs! Cependant, triomphant de tous les obstacles, de toutes les tyrannies, elle plantait toujours de plus en plus largement ses tentes pacifiques, elle sauvait du désastre le glorieux patrimoine des arts, de l'histoire, des sciences et des lettres, et, en faisant pénétrer profondément l'esprit de l'Évangile dans toute l'étendue du corps social, elle créait de toutes pièces la civilisation chrétienne, cette civilisation à qui les peuples soumis à sa

bienfaisante influence doivent l'équité des lois, la douceur des mœurs, la protection des faibles, la pitié pour les pauvres et pour les malheureux, le respect des droits et de la dignité de tous les hommes et, par là même, autant du moins que cela est possible au milieu des fluctuations humaines, ce calme dans la vie sociale qui dérive d'un accord sage entre la justice et la liberté.

Ces preuves de la bonté intrinsèque de l'Église sont aussi éclatantes et sublimes qu'elles ont de durée. Et cependant, comme au moyen âge et durant les premiers siècles, dans des temps plus voisins du même, nous voyons cette Église assaillie, d'une certaine façon au moins, plus durement et plus douloureusement que jamais. Par suite d'une série de causes historiques bien connues, la prétendue Réforme leva au XVI^e siècle l'étendard de la révolte, et, résolue à frapper l'Église en plein cœur, elle s'en prit audacieusement à la Papauté : elle rompit le lien si précieux de l'antique unité de foi et d'autorité qui, centuplant bien souvent la force, le prestige, la gloire, grâce à la poursuite harmonieuse des mêmes desseins, réunissait tous les peuples sous une seule houlette et un seul pasteur, et elle introduisit ainsi dans les rangs chrétiens un principe funeste de lamentable désagrégation.

Ce n'est pas que Nous prétendions affirmer par là que dès le début même du mouvement on eût en vue de bannir le principe du christianisme du sein de la société : mais, en refusant d'une part de reconnaître la suprématie du Siège de Rome, cause effective et lien de l'unité, et en proclamant de l'autre le principe du libre examen, on ébranlait, jusque dans ses derniers fondements, le divin édifice et on ouvrait la voie à des variations infinies, aux doutes et aux négations sur les matières les plus importantes, si bien que les prévisions des novateurs eux-mêmes furent dépassées.

Le chemin était ouvert : alors surgit le philosophisme orgueilleux et railleur du XVIII^e siècle, et il va plus loin. Il tourne en dérision le recueil sacré des Écritures et il rejette en bloc toutes les vérités divinement révélées, dans le but d'en arriver finalement à déraciner de la conscience des peuples toute croyance religieuse et à y étouffer jusqu'au dernier souffle l'esprit chrétien. C'est de cette source que

découlèrent le rationalisme et le panthéisme, le naturalisme et le matérialisme, systèmes funestes et délétères qui réinstaurèrent, sous de nouvelles apparences, des erreurs antiques déjà victorieusement réfutées par les Pères et par les docteurs de l'Église, en sorte que l'orgueil des siècles modernes, par un excès de confiance dans ses propres lumières, fut frappé de cécité et, comme le paganisme, ne se nourrit plus que de rêveries, même en ce qui concerne les attributs de l'âme humaine et les immortelles destinées qui constituent son privilège glorieux.

La lutte contre l'Église prenait ainsi un caractère de gravité plus grande que par le passé, non moins à cause de la véhémence des attaques qu'à cause de leur universalité. L'incrédulité contemporaine ne se borne pas, en effet, à révoquer en doute ou à nier telle ou telle vérité de foi. Ce qu'elle combat, c'est l'ensemble même des principes que la révélation consacre et que la vraie philosophie soutient; principes fondamentaux et sacrés qui apprennent à l'homme le but suprême de son passage dans la vie, qui le maintiennent dans le devoir, qui versent dans son âme le courage et la résignation, et qui, en lui promettant une incorruptible justice et une félicité parfaite au delà de la tombe, le forment à subordonner le temps à l'éternité, la terre au ciel. Or, que mettait-on à la place de ces préceptes, réconforts incomparables fournis par la foi? Un effroyable scepticisme qui glace les cœurs et qui étouffe dans la conscience toutes les aspirations magnanimes.

Des doctrines aussi funestes n'ont que trop passé, comme vous le voyez, ô vénérables Frères, du domaine des idées dans la vie extérieure et dans les sphères publiques. De grands et de puissants Etats vont sans cesse les traduisant dans la pratique, et ils s'imaginent ainsi faire œuvre de civilisation et prendre la tête du progrès. Et, comme si les pouvoirs publics ne devaient pas ramasser en eux-mêmes et refléter tout ce qu'il y a de plus sain dans la vie morale, ils se sont tenus pour affranchis du devoir d'honorer Dieu publiquement, et il n'advient que trop souvent que, en se vantant de rester indifférents en face de toutes les religions, de fait ils font la guerre à la seule religion instituée par Dieu.

Ce système d'athéisme pratique devait nécessairement

jeter, et de fait a jeté une perturbation profonde dans le domaine de la morale ; car, ainsi que l'ont entrevu les sages les plus fameux de l'antiquité païenne, la religion est le fondement principal de la justice et de la vertu. Quand on rompt les liens qui unissent l'homme à Dieu, législateur souverain et juge universel, il ne reste plus qu'un fantôme de morale : morale purement civile, ou, comme on l'appelle, indépendante, qui, faisant abstraction de toute raison éternelle et des lois divines, nous entraîne inévitablement et par une pente fatale à cette conséquence dernière d'assigner l'homme à l'homme comme sa propre loi. Incapable dès lors de s'élever sur les ailes de l'espérance chrétienne jusque vers les biens supérieurs, cet homme ne cherche plus qu'un aliment matériel dans l'ensemble des jouissances et des commodités de la vie ; en lui s'allument la soif des plaisirs, la cupidité des richesses, l'âpre désir des gains rapides et sans mesure, doive la justice en souffrir ; en lui s'enflamment en même temps toutes les ambitions et je ne sais quelle avidité fiévreuse et frénétique de les satisfaire, même d'une manière illégitime ; en lui enfin s'établissent en maîtres le mépris des lois et de l'autorité publique et une licence de mœurs qui, en devenant générale, entraîne avec soi un véritable déclin de la société.

Mais peut-être exagérons-Nous les tristes conséquences des troubles douloureux dont Nous parlons ? Non, car la réalité est là, à notre portée, et elle ne confirme que trop Nos déductions. Il est manifeste, en effet, que, si on ne les raffermit pas au plus tôt, les bases mêmes de la société vont chanceler et qu'elles entraîneront dans leur chute les grands principes du droit et de la morale éternelle.

C'est de là que proviennent les graves préjudices qu'ont eu à souffrir toutes les parties du corps social, à commencer par la famille. Car l'état laïque, sans se souvenir de ses limites, ni du but essentiel de l'autorité qu'il détient, a porté la main sur le lien conjugal pour le profaner en le dépouillant de son caractère religieux ; il a entrepris autant qu'il le pouvait sur le droit naturel qu'ont les parents en ce qui concerne l'éducation des enfants ; et, dans plusieurs endroits, il a détruit la stabilité du mariage en donnant à la licencieuse institution du divorce une sanction légale. Or, chacun sait les fruits que

ces empiétements ont portés: ils ont multiplié au delà de toute expression des mariages ébauchés seulement par de honteuses passions et par suite se dissolvant à bref délai, en dégénérant, tantôt en luttes tragiques, tantôt en scandaleuses infidélités! Et Nous ne disons rien des enfants, innocente descendance qu'on neglige, ou qui se pervertit, ici au spectacle des mauvais exemples des parents, et là sous l'effet du poison que l'Etat, devenu officiellement laïque, lui verse tous les jours.

Avec la famille, l'ordre social et politique est, lui aussi, mis en danger, surtout par les doctrines nouvelles, qui, assignant à la souveraineté une fausse orgine, en ont corrompu par là même la véritable idée. Car si l'autorité souveraine découle formellement du consentement de la foule et non pas de Dieu, principe suprême et éternel de toute puissance, elle perd aux yeux des sujets son caractère le plus auguste et elle dégénère en une souveraineté artificielle qui a pour assiette des bases instables et changeantes, comme la volonté des hommes dont on la fait dériver. Ne voyons-nous pas aussi les conséquences de cette erreur dans les lois? Trop souvent, en effet, au lieu d'être la *raison écrite,* ces lois n'expriment plus que la puissance du nombre et la volonté prédominante d'un parti politique. C'est ainsi qu'on caresse les appétits coupables des foules et qu'on lâche les rênes aux passions populaires, même lorsqu'elles troublent la laborieuse tranquillité des citoyens, sauf à recourir ensuite, dans les cas extrêmes, à des répressions violentes où l'on voit couler le sang.

Les principes chrétiens répudiés, ces principes qui sont si puissamment efficaces pour sceller la fraternité des peuples et pour réunir l'humanité tout entière dans une sorte de grande famille, peu à peu a prévalu dans l'ordre international un système d'égoïsme jaloux, par suite duquel les nations se regardent mutuellement, sinon toujours avec haine, du moins certainement avec la défiance qui anime des rivaux. Voilà pourquoi dans leurs entreprises elles sont facilement entraînées à laisser dans l'oubli les grands principes de la moralité et de la justice, et la protection des faibles et des opprimés. Dans le désir qui les aiguillonne d'augmenter indéfiniment la richesse nationale, les nations ne regardent plus que l'opportunité des circonstances, l'utilité de la réus-

[illegible] et la raison d'une les deux exemples vous que per-
[illegible] ne les [illegible] vous en nom de leur [illegible] de respect
qu'il lui est dû. Principes chinoises, qui ont consacré à toute
[illegible] comme le [illegible] du monde et à qui les deux
[illegible] ont [illegible] gouverné [illegible] sans mesure des
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Devant l'immensité des maux qui accablent la société et des périls qui la menacent, Notre devoir exige que Nous avertissions une fois encore les hommes de bonne volonté, surtout ceux qui occupent les situations les plus hautes, et que Nous les conjurions, comme Nous le faisons en ce moment, de réfléchir aux remèdes que la situation exige, et, avec une prévoyante énergie, de les appliquer sans retard.

Avant tout, il faut se demander quels sont ces remèdes et en scruter la valeur. La liberté et ses bienfaits, voilà d'abord ce que Nous avons entendu porter jusques aux nues ; en elle, on exaltait le remède souverain, un incomparable instrument de paix féconde et de prospérité. Mais les faits ont lumineusement démontré qu'elle ne possédait pas l'efficacité qu'on lui prêtait. Des conflits économiques, des luttes de classes s'allument et font irruption de tous les côtés, et l'on ne voit pas même briller l'aurore d'une vie publique où le calme régnerait. Du reste, et chacun peut le constater, telle qu'on l'entend aujourd'hui, c'est-à-dire indistinctement accordée à la vérité et à l'erreur, au bien et au mal, la liberté n'aboutit qu'à rabaisser tout ce qu'il y a de noble, de saint, de généreux, et à ouvrir plus largement la voie au crime, au suicide et à la tourbe abjecte des passions.

On a soutenu aussi que le développement de l'instruction, en rendant les foules plus polies et plus éclairées, suffirait à les prémunir contre leurs tendances malsaines et à les retenir dans les limites de la droiture et de la probité. Mais une dure réalité ne nous fait-elle pas toucher du doigt chaque jour à quoi sert une instruction que n'accompagne pas une solide instruction religieuse et morale ? Par suite de leur inexpérience et de la fermentation des passions, l'esprit des jeunes gens subit la fascination des doctrines perverses. Il se prend surtout aux erreurs qu'un journalisme sans frein ne craint pas de semer à pleines mains et qui, en dépravant à la fois l'intelligence et la volonté, alimentent dans la jeunesse cet esprit d'orgueil et d'insubordination qui trouble si souvent la paix des familles et le calme des cités.

On avait mis aussi beaucoup de confiance dans les progrès de la science. De fait, le siècle dernier en a vu de bien grands, de bien inattendus, de bien merveilleux assurément. Mais est-il si vrai que ces progrès nous aient donné l'abon-

dance des fruits, pleine et réparatrice, que le désir d'un si grand nombre d'hommes en attendait? Sans doute, le vol de la science a ouvert de nouveaux horizons à notre esprit, il a agrandi l'empire de l'homme sur les forces de la matière, et la vie dans ce monde s'en est trouvée adoucie à bien des égards. Néanmoins, tous sentent, et beaucoup confessent que la réalité n'a pas été à la hauteur des espérances. On ne peut pas le nier quand on prend garde à l'état des esprits et des mœurs, à la statistique criminelle, aux sourdes rumeurs qui montent d'en bas et à la prédominance de la force sur le droit. Pour ne point parler encore des foules qui sont la proie de la misère, il suffit de jeter un coup d'œil, même superficiel, sur le monde, pour constater qu'une indéfinissable tristesse pèse sur les âmes et qu'un vide immense existe dans les cœurs. L'homme a bien pu s'assujettir la matière, mais la matière n'a pas pu lui donner ce qu'elle n'a pas, et aux grandes questions qui ont trait à nos intérêts les plus élevés, la science humaine n'a pas donné de réponse; la soif de vérité, de bien, d'infini, qui nous dévore, n'a pas été étanchée, et ni les joies et les trésors de la terre, ni l'accroissement des aises de la vie n'ont pu endormir l'angoisse morale au fond des cœurs. N'y a-t-il donc qu'à dédaigner ou à laisser de côté les avantages qui découlent de l'instruction, de la science, de la civilisation et d'une sage et douce liberté? Non certes; il faut au contraire les tenir en haute estime, les conserver et les accroître comme un capital de prix; car ils constituent des moyens qui de leur nature sont bons, voulus par Dieu lui-même et ordonnés par l'infinie sagesse au bien de la famille humaine et à son profit. Mais il faut en subordonner l'usage aux intentions du Créateur et faire en sorte qu'on ne les sépare jamais de l'élément religieux, dans lequel réside la vertu qui leur confère, avec une valeur particulière, leur véritable fécondité. Tel est le secret du problème. Quand un être organique dépérit et se corrompt, c'est qu'il a cessé d'être sous l'action des causes qui lui avaient donné sa forme et sa constitution. Pour le refaire sain et florissant, pas de doute qu'il ne faille le soumettre de nouveau à l'action vivifiante de ces mêmes causes. Or, la société actuelle, dans la folle tentative qu'elle a faite pour échapper à son Dieu, a rejeté l'ordre surnaturel et la révélation divine; elle s'est soustraite

ainsi à la salutaire efficacité du christianisme, qui est manifestement la garantie la plus solide de l'ordre, le lien le plus fort de la fraternité et l'inépuisable source des vertus privées et publiques.

De cet abandon sacrilège est né le trouble qui la travaille actuellement. C'est donc dans le giron du christianisme que cette société dévoyée doit rentrer, si non bien-être, son repos et son salut lui tiennent au cœur.

De même que le christianisme ne pénètre pas une âme sans l'améliorer, de même il n'entre pas dans la vie publique d'un peuple sans l'ordonner. Avec l'idée d'un Dieu qui régit tout, qui est sage, infiniment bon et infiniment juste, il fait pénétrer dans la conscience humaine le sentiment du devoir, il adoucit la souffrance, il calme les haines et il engendre les héros. S'il a transformé la société païenne, et cette transformation fut une résurrection véritable, puisque la barbarie disparut à proportion que le christianisme s'étendit, il saura bien de même, après les terribles secousses de l'incrédulité, remettre dans le véritable chemin et réinstaurer dans l'ordre les États modernes et les peuples contemporains.

Mais tout n'est point là: le retour au christianisme ne sera pas un remède efficace et complet, s'il n'implique pas le retour et un amour sincère à l'Église une, sainte, catholique et apostolique. Le christianisme s'incarne en effet dans l'Église catholique, il s'identifie avec cette société spirituelle et parfaite, souveraine dans son ordre, qui est le corps mystique de Jésus-Christ, et qui a pour chef visible le Pontife romain, successeur du Prince des apôtres. Elle est la continuatrice de la mission du Sauveur, la fille et l'héritière de sa rédemption; elle a propagé l'Évangile et elle l'a défendu au prix de son sang; et, forte de l'assistance divine et de l'immortalité qui lui ont été promises, ne pactisant jamais avec l'erreur, elle reste fidèle au mandat qu'elle a reçu de porter la doctrine de Jésus-Christ à travers ce monde et, jusqu'à la fin des siècles, de l'y garder dans son inviolable intégrité.

Légitime dispensatrice des enseignements de l'Évangile, elle ne se révèle pas seulement à nous comme la consolatrice et la rédemptrice des âmes; elle est encore l'éternelle source de la justice et de la charité, et la propagatrice en même

temps que la gardienne de la liberté véritable et de la seule égalité qui soit possible ici-bas. En appliquant la doctrine de son divin Fondateur, elle maintient un sage équilibre et trace de justes limites entre tous les droits et tous les privilèges dans la société. L'égalité qu'elle proclame ne détruit pas la distinction des différentes classes sociales : elle la veut intacte, parce qu'évidemment la nature même les requiert. Pour faire obstacle à l'anarchie de la raison émancipée de la foi et abandonnée à elle-même, la liberté qu'elle donne ne lèse ni les droits de la vérité, parce qu'ils sont supérieurs à ceux du nombre et de la force, ni les droits de Dieu, parce qu'ils sont supérieurs à ceux de l'humanité.

Au foyer domestique, l'Église n'est pas moins féconde en bons effets. Car non seulement elle résiste aux artifices pervers que l'incrédulité met en œuvre pour attenter à la vie de famille, mais elle prépare encore et elle sauvegarde l'union et la stabilité conjugale, dont elle protège et développe l'honneur, la fidélité, la sainteté. Elle soutient en même temps et elle cimente l'ordre civil et politique, en apportant d'une part une aide efficace à l'autorité, et, de l'autre, en se montrant favorable aux sages réformes et aux justes aspirations des sujets, en imposant le respect des princes et l'obéissance qui leur est due et en défendant les droits imprescriptibles de la conscience humaine, sans jamais se lasser. Et c'est ainsi que, grâce à elle, les peuples soumis à son influence n'ont rien eu à craindre de la servitude, parce qu'elle a retenu les princes sur la pente de la tyrannie.

Parfaitement conscient de cette efficacité divine, dès le commencement de Notre Pontificat Nous Nous sommes soigneusement appliqué à mettre en pleine lumière et à faire ressortir les bienfaisants desseins de l'Église et à étendre le plus possible, avec le trésor de ses doctrines, le champ de son action salutaire.

Tel a été le but des principaux actes de Notre Pontificat, notamment des Encycliques sur *la Philosophie chrétienne*, sur *la Liberté humaine*, sur *le Mariage chrétien*, sur *la Franc-Maçonnerie*, sur *les Pouvoirs publics*, sur *la Constitution chrétienne des États*, sur *le Socialisme*, sur *la Question ouvrière*, sur *les Devoirs des citoyens chrétiens* et sur d'autres sujets analogues. Mais le vœu ardent de Notre âme n'a pas été seulement

d'éclairer les intelligences ; Nous avons voulu encore remuer et purifier les cœurs, en appliquant tous nos efforts à faire refleurir au milieu des peuples les vertus chrétiennes. Aussi ne cessons-Nous pas de prodiguer les encouragements et les conseils pour élever les esprits jusqu'aux biens impérissables et pour les mettre ainsi à même de subordonner le corps à l'âme, le pélerinage terrestre à la vie céleste et l'homme à Dieu.

Bénie par le Seigneur, Notre parole a pu contribuer à raffermir les convictions d'un grand nombre d'hommes, à les éclairer davantage au milieu des difficultés des questions actuelles, à stimuler leur zèle et à promouvoir les œuvres les plus variées. C'est surtout pour le bien des classes déshéritées que ces œuvres ont surgi et continuent à surgir encore dans tous les pays, parce qu'on a vu s'y raviver cette charité chrétienne qui a toujours trouvé au milieu du peuple son champ d'action le plus aimé. Si la moisson n'a pas été plus abondante, Vénérables Frères, adorons Dieu, mystérieusement juste, et supplions-le en même temps d'avoir pitié de l'aveuglement de tant d'âmes auxquelles peut malheureusement s'appliquer l'effrayante parole de l'Apôtre : *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriæ Christi.* (1)

Plus l'Église catholique donne d'extension à son zèle pour le bien moral et matériel des peuples, plus les enfants des ténèbres se lèvent haineusement contre elle et recourent à tous les moyens afin de ternir sa beauté divine et de paralyser son action de vivifiante réparation. Que de sophismes ne propagent-ils pas, et que de calomnies ! Un de leurs artifices les plus perfides consiste à redire sans cesse aux foules ignorantes et aux gouvernements envieux que l'Église est opposée aux progrès de la science, quelle est hostile à la liberté, que l'Etat voit ses droits usurpés par elle et que la politique est un champ qu'elle envahit à tout propos. Accusations insensées, qu'on a mille fois répétées et qu'ont mille fois réfutées aussi la saine raison, l'histoire, et, avec elles, tous ceux qui ont un cœur honnête et ami de la vérité.

L'Eglise ennemie de la science et de l'instruction ? Ah ! sans

---

(1) *II Cor.* IV, 4.

doute, elle est la vigilante gardienne du dogme révélé ; mais c'est cette vigilance elle-même qui l'incline à protéger la science et à favoriser la saine culture de l'esprit ! Non ! en ouvrant son intelligence aux révélations du Verbe, vérité suprême de qui émanent originairement toutes les vérités, l'homme ne compromettra jamais, ni en aucune manière, ses connaissances rationnelles. Bien, au contraire, les rayonnements qui lui viendront du monde divin donneront toujours plus de puissance et de clarté à l'esprit humain, parce qu'ils le préserveront, dans les questions les plus importantes, d'angoissantes incertitudes et de mille erreurs. Du reste, dix-neuf siècles d'une gloire conquise par le catholicisme dans toutes les branches du savoir suffisent amplement à réfuter cette calomnie. C'est à l'Eglise catholique qu'il faut faire remonter le mérite d'avoir propagé et défendu la sagesse chrétienne, sans laquelle le monde serait encore gisant dans la nuit des superstitions païennes et dans une abjecte barbarie ; à elle, d'avoir ouvert les premières écoles pour le peuple et d'avoir créé des Universités qui existent encore et dont le renom s'est perpétué jusqu'à nos jours ; à elle enfin d'avoir inspiré la littérature la plus haute, la plus pure et la plus glorieuse, en même temps qu'elle rassemblait sous ses ailes protectrices les artistes du génie le plus élevé.

L'Eglise ennemie de la liberté ? Ah ! comme on travestit l'idée de liberté, qui a pour objet un des dons les plus précieux de Dieu, quand on exploite son nom pour en justifier l'abus et l'excès ! Par liberté, que faut-il entendre ? L'exemption de toutes les lois, la délivrance de tous les freins, et, comme corollaire, le droit de prendre le caprice pour guide dans toutes les actions ? Cette liberté, l'Eglise la réprouve certainement, et tous les cœurs honnêtes la réprouvent avec elle. Mais salue-t-on dans la liberté la faculté rationnelle de faire le bien, largement, sans entrave et suivant les règles qu'a posées l'éternelle justice ? Cette liberté, qui est la seule digne de l'homme et la seule utile à la société, personne ne la favorise, ne l'encourage et ne la protège plus que l'Eglise. Par la force de sa doctrine et l'efficacité de son action, c'est cette Eglise en effet qui a affranchi l'humanité du joug de l'esclavage en prêchant au monde la grande loi de l'égalité et de la fraternité humaines. Dans tous les siècles,

elle a pris en mains la défense des faibles et des opprimés contre l'arrogante domination des forts; elle a revendiqué la liberté de la conscience chrétienne en versant à flots le sang de ses martyrs; elle a restitué à l'enfant et à la femme la dignité et les prérogatives de leur noble nature en les faisant participer, au nom du même droit, au respect et à la justice, et elle a largement concouru ainsi à introduire et à maintenir la liberté civile et politique au sein des nations.

L'Eglise, usurpatrice des droits de l'Etat, l'Eglise, envahissant le domaine politique? Mais l'Eglise sait et enseigne que son divin Fondateur a ordonné de rendre à César ce qui est à César et à Dieu ce qui est à Dieu, et qu'il a ainsi sanctionné l'immuable principe de la perpétuelle distinction des deux pouvoirs, tous les deux souverains dans leur sphère respective: distinction féconde et qui a si largement contribué au développement de la civilisation chrétienne. Etrangère à toute pensée hostile, dans son esprit de charité, l'Eglise ne vise donc qu'à marcher parallèlement aux pouvoirs publics pour travailler, sans doute, sur le même sujet, qui est l'homme, et sur la même société, mais par les voies et dans le dessein élevé que lui assigne sa mission divine. Plût à Dieu que son action fût accueillie sans défiance et sans soupçon: car les innombrables bienfaits dont Nous avons parlé plus haut ne feraient que se multiplier. Accuser l'Eglise de visées ambitieuses, ce n'est donc que répéter une calomnie bien ancienne, calomnie que ses puissants ennemis ont plus d'une fois employée, du reste, comme prétexte pour masquer eux-mêmes leur propre tyrannie. Et, loin d'opprimer, l'histoire l'enseigne clairement quand on l'étudie sans préjugés, l'Eglise comme son divin Fondateur, a été le plus souvent, au contraire, la victime de l'oppression et de l'injustice. C'est que sa puissance réside, non pas dans la force des armes, mais dans la force de la pensée et dans celle de la vérité.

C'est donc sûrement dans une intention perverse qu'on lance contre l'Eglise de semblables accusations. Œuvre pernicieuse et déloyale, dans la poursuite de laquelle va, précédant toutes les autres, une secte ténébreuse que la société porte depuis de longues années dans ses flancs et qui, comme un germe mortel, y contamine le bien-être, la fécondité et la vie. Personnification permanente de la révolution, elle constitue une sorte

de société retournée dont le but est d'exercer une suzeraineté occulte sur la société reconnue et dont la raison d'être consiste entièrement dans la guerre à faire à Dieu et à son Eglise. Il n'est pas besoin de la nommer, car, à ces traits, tout le monde a reconnu la franc-maçonnerie, dont Nous avons parlé d'une façon expresse dans Notre Encyclique *Humanum genus* du 20 avril 1884, en dénonçant ses tendances délétères, ses doctrines erronées et son œuvre néfaste. Embrassant dans ses immenses filets la presque totalité des nations et se reliant à d'autres sectes qu'elle fait mouvoir par des fils cachés, attirant d'abord et retenant ensuite ses affiliés par l'appât des avantages qu'elle leur procure, pliant les gouvernants à ses desseins, tantôt par ses promesses et tantôt par ses menaces, cette secte est parvenue à s'infiltrer dans toutes les classes de la société. Elle forme comme un Etat invisible et irresponsable dans l'Etat légitime. Pleine de l'esprit de Satan qui, au rapport de l'Apôtre, sait au besoin se transformer en ange de lumière (1), elle met en avant un but humanitaire, mais elle sacrifie tout à ses projets sectaires ; elle proteste qu'elle n'a aucune visée politique, mais elle exerce en réalité l'action la plus profonde dans la vie législative et administrative des Etats, et, tandis qu'elle professe en paroles le respect de l'autorité et de la religion elle-même, son but suprême (ses propres statuts en font foi) est l'extermination de la souveraineté et du sacerdoce, en qui elle voit des ennemis de la liberté.

Or, il devient de jour en jour plus manifeste que c'est à l'inspiration et à la complicité de cette secte qu'il faut attribuer en grande partie les continuelles vexations dont on accable l'Eglise et la recrudescence des attaques qu'on lui a livrées tout récemment. Car la simultanéité des assauts dans la persécution qui a soudainement éclaté en ces derniers temps, comme un orage dans un ciel serein, c'est-à-dire sans cause proportionnée à l'effet ; l'uniformité des moyens mis en œuvre pour préparer cette persécution, campagne de presse, réunions publiques, productions théâtrales ; l'emploi dans tous les pays des mêmes armes, calomnies et soulèvements populaires, tout cela trahit bien vraiment l'identité

(1) *II Cor.* XI, 14.

des desseins et le mot d'ordre parti d'un seul et même centre de direction. Simple épisode, du reste, qui se rattache à un plan arrêté d'avance, et qui se traduit en actes sur un théâtre de plus en plus large afin de multiplier les ruines que nous avons énumérées précédemment. Ainsi veut-on surtout restreindre d'abord, exclure complètement ensuite l'instruction religieuse en faisant des générations d'incrédules ou d'indifférents, combattre par la presse quotidienne la morale de l'Eglise, ridiculiser enfin ses pratiques et profaner ses fêtes sacrées.

Rien de plus naturel, dès lors, que le sacerdoce catholique, qui a précisément pour mission de prêcher la religion et d'administrer les sacrements, soit attaqué avec un particulier acharnement : en le prenant pour point de mire, la secte veut diminuer aux yeux du peuple son prestige et son autorité. Déjà, son audace croissant d'heure en heure et en proportion de l'impunité dont elle se croit assurée, elle interprète malignement tous les actes du clergé, elle le soupçonne sur les moindres indices et elle l'accable des plus basses accusations. Ainsi de nouveaux préjudices s'ajoutent à ceux dont ce clergé souffre déjà tant à cause du tribut qu'il doit payer au service militaire, grand obstacle à sa préparation sacerdotale, que par suite de la confiscation du patrimoine ecclésiastique que les fidèles avaient librement constitué dans leur pieuse générosité.

Quant aux ordres religieux et aux congrégations religieuses, la pratique des conseils évangéliques faisait d'eux la gloire de la société autant que la gloire de la religion : ils n'en ont paru que plus coupables aux yeux des ennemis de l'Eglise, et on les a implacablement dénoncés au mépris et à l'animosité de tous. Ce Nous est ici une douleur immense que de devoir rappeler les mesures odieuses, imméritées et hautement condamnées par tout les cœurs honnêtes dont tout récemment encore les religieux ont été les victimes. Rien n'a pu les sauver, ni l'intégrité de leur vie restée inattaquable même pour leurs ennemis, ni le droit naturel qui autorise l'association contractée dans un but honnête, ni le droit constitutionnel qui en proclame hautement la liberté, ni la faveur des peuples pleins de reconnaissance pour les services précieux rendus aux arts, aux sciences, à l'agriculture, et pour

une charité qui déborde sur les classes les plus nombreuses et les plus pauvres de la société. Et c'est ainsi que des hommes, des femmes, issus du peuple, qui avaient spontanément renoncé aux joies de la famille pour consacrer au bien de tous, dans de pacifiques associations, leur jeunesse, leurs talents, leurs forces, leur vie elle-même, traités en malfaiteurs, comme s'ils avaient constitué des associations criminelles, ont été exclus du droit commun et proscrits, en un temps où partout on ne parle que de liberté !

Il ne faut pas s'étonner que les fils les plus aimés soient frappés, quand le Père lui-même, c'est-à-dire le chef de la catholicité, le Pontife romain, n'est pas mieux traité. Les faits sont bien connus. Dépouillé de la souveraineté temporelle et privé par le fait même de l'indépendance qui lui est nécessaire pour accomplir sa mission universelle et divine, forcé, dans cette Rome elle-même qui lui appartient, de se renfermer dans sa propre demeure, parce qu'un pouvoir ennemi l'y assiège de tous les côtés, il a été réduit, malgré des assurances dérisoires de respect et des promesses de liberté bien précaires, à une condition anormale, injuste et indigne de son haut ministère. Pour Nous, Nous ne savons que trop les difficultés qu'on lui suscite à chaque instant en travestissant ses intentions et en outrageant sa dignité. Aussi la preuve est-elle faite et elle devient de jour en jour plus évidente: c'est la puissance spirituelle du Chef de l'Eglise elle-même que peu à peu on a voulu détruire quand on a porté la main sur le pouvoir temporel de la papauté. Ceux qui furent les vrais auteurs de cette spoliation n'ont du reste pas hésité à le confesser.

A en juger par les conséquences, ce fait est non seulement un fait impolitique, mais encore une sorte d'attentat antisocial; car les coups qu'on inflige à la religion sont comme autant de coups portés au cœur même de la société.

En faisant de l'homme un être destiné à vivre avec ses semblables, Dieu, dans sa Providence, avait aussi fondé l'Eglise et, suivant l'expression biblique, il l'avait établie sur la montagne de Sion, afin qu'elle y servît de lumière et qu'avec ses rayons fécondants elle fît circuler le principe de la vie dans les multiples replis de la société humaine, en lui donnant des règles d'une sagesse céleste, grâce auxquelles

celle-ci pourrait s'établir dans l'ordre qui lui conviendrait le mieux. Donc, autant la société se sépare de l'Eglise, part considérable de sa force, autant elle déchoit ou voit les ruines se multiplier dans son sein en séparant ce que Dieu a voulu unir.

Quant à Nous, Nous ne Nous sommes jamais lassé, toutes les fois que l'occasion Nous en a été offerte, d'inculquer ces grandes vérités, et Nous avons voulu le faire une fois encore et d'une manière expresse dans cette circonstance extraordinaire. Plaise à Dieu que les fidèles s'en trouvent encouragés et instruits à faire converger plus efficacement vers le bien commun tous leurs efforts et que, mieux éclairés, nos adversaires comprennent l'injustice qu'ils commettent en persécutant la Mère la plus aimante et la bienfaitrice la plus fidèle de l'humanité.

Nous ne voudrions pas que le souvenir des douleurs présentes abattît dans l'âme des fidèles la pleine et entière confiance qu'ils doivent avoir dans l'assistance divine; car Dieu assurera à son heure et par ses voies mystérieuses le triomphe définitif. Quant à Nous, quelque grande que soit la tristesse qui remplit Notre cœur, Nous ne tremblons pas néanmoins pour les immortelles destinées de l'Eglise. Comme nous l'avons dit en commençant, la persécution est son partage, parce que, en éprouvant et en purifiant ses enfants par elle, Dieu en retire des biens plus hauts et plus précieux. Mais en abandonnant l'Eglise à ses luttes, il manifeste sa divine assistance sur elle, car il lui ménage des moyens nouveaux et imprévus, qui assurent le maintien et le développement de son œuvre sans que les forces conjurées contre elle parviennent à la ruiner. Dix-neuf siècles d'une vie écoulée dans le flux et le reflux des vicissitudes humaines nous apprennent que les tempêtes passent sans avoir atteint les grands fonds.

Nous pouvons d'autant plus demeurer inébranlables dans la confiance que le présent lui-même renferme des symptômes bien faits pour Nous empêcher de nous troubler. Les difficultés sont extraordinaires, formidables, on ne saurait le nier; mais d'autres faits, qui se déroulent sous Nos regards, témoignent en même temps que Dieu remplit ses promesses avec une sagesse admirable et avec bonté. Pendant que tant

de forces conspirent contre l'Église et qu'elle s'avance, privée de tout secours, de tout appui humain, ne continue-t-elle pas en effet à poursuivre dans le monde son œuvre gigantesque et n'étend-elle pas son action parmi les nations les plus différentes et sous tous les climats? Non, chassé qu'il en a été par Jésus-Christ, l'antique prince de ce monde ne pourra plus y exercer sa domination altière comme jadis, et les efforts de Satan nous susciteront bien des maux sans doute, mais ils n'aboutiront pas à leur fin. Déjà une tranquillité surnaturelle due à l'Esprit-Saint, qui couvre l'Église de ses ailes et qui vit dans son sein, règne, non pas seulement dans l'âme des fidèles, mais encore dans l'ensemble de la catholicité; tranquillité qui se développe avec sérénité, grâce à l'union toujours de plus en plus étroite et dévouée de l'épiscopat avec ce Siège apostolique et qui forme un merveilleux contraste avec l'agitation, les dissensions et la fermentation continuelle des sectes qui troublent la paix de la société. Féconde en innombrables œuvres de zèle et de charité, cette union harmonieuse existe aussi entre les évêques et leur clergé. Elle se retrouve enfin entre le clergé et les laïques catholiques, qui, plus serrés et plus affranchis de respect humain que jamais, se réveillent et s'organisent avec une émulation généreuse afin de défendre la cause sainte de la religion. Oh! c'est bien là l'union que Nous avons recommandée si souvent et que Nous recommandons de nouveau encore, et Nous la bénissons, afin qu'elle se développe de plus en plus largement et qu'elle s'oppose, comme un mur invincible, à la fougueuse violence des ennemis du nom divin.

Rien de plus naturel dès lors que, semblables aux surgeons qui germent au pied de l'arbre, renaissent, se fortifient et se multiplient les innombrables associations que Nous voyons avec joie fleurir de nos jours dans le sein de l'Église. On peut dire qu'aucune forme de la piété chrétienne n'a été laissée de côté, qu'il s'agisse de Jésus-Christ lui-même et de ses admirables mystères, ou de sa divine Mère, ou des saints dont les vertus insignes ont le plus brillé. En même temps, aucune des variétés de la charité n'a été oubliée, et c'est de tous les côtés qu'on a rivalisé de zèle pour instruire chrétiennement la jeunesse, pour assister les malades, pour moraliser le

peuple et pour voler au secours des classes les moins favorisées. Avec quelle rapidité ce mouvement se propagerait et combien ne porterait-il pas des fruits plus doux, si on ne lui opposait pas les dispositions injustes et hostiles auxquelles il va si souvent se heurter.

Le Dieu qui donne à l'Église une vitalité si grande dans les pays civilisés où elle est établie depuis de longs siècles déjà, veut bien Nous consoler par d'autres espérances encore. Ces espérances, c'est au zèle des missionnaires que nous les devons. Sans se laisser décourager par les périls qu'ils courent, par les privations qu'ils endurent et par les sacrifices de tout genre qu'ils doivent s'imposer, ils se multiplient et conquièrent à l'Évangile et à la civilisation des pays entiers. Rien ne peut abattre leur constance, quoique, à l'exemple du divin Maître, ils ne recueillent souvent que des accusations et des calomnies pour prix de leurs infatigables travaux.

Les amertumes sont donc tempérées par des consolations bien douces, et, au milieu des luttes et des difficultés qui sont Notre partage, Nous avons de quoi rafraîchir Notre âme et espérer. C'est là un fait qui devrait suggérer d'utiles et sages réflexions à quiconque observe le monde avec intelligence et sans se laisser aveugler par la passion. Car il prouve que, comme Dieu n'a pas fait l'homme indépendant en ce qui regarde la fin dernière de la vie, et comme il lui a parlé, ainsi il lui parle encore aujourd'hui dans son Église, visiblement soutenue par son assistance divine, et qu'il montre par là où se trouvent le salut et la vérité. Dans tous les cas, cette éternelle assistance remplira nos cœurs d'une espérance invincible : elle nous persuadera que, à l'heure marquée par la Providence et dans un avenir qui n'est pas très éloigné, la vérité, déchirant les brumes sous lesquelles on cherche à la voiler, resplendira plus brillante et que l'Esprit de l'Évangile versera de nouveau la vie au sein de notre société corrompue et dans ses membres épuisés.

En ce qui Nous concerne, Vénérables Frères, afin de hâter l'avènement du jour des miséricordes divines, Nous ne manquerons pas, comme d'ailleurs Notre devoir Nous l'ordonne, de tout faire pour défendre et développer le règne de Dieu sur la terre. Quant à vous, votre sollicitude pastorale

Nous est trop connue pour que Nous vous exhortions à faire de même. Puisse seulement la flamme ardente qui brûle dans vos cœurs se transmettre de plus en plus dans le cœur de tous vos prêtres! Ils se trouvent en contact immédiat avec le peuple: il connaissent parfaitement ses aspirations, ses besoins et ses souffrances, et aussi les pièges et les séductions qui l'entourent. Si, pleins de l'esprit de Jésus-Christ et se maintenant dans une sphère supérieure aux passions politiques, ils coordonnent leur action avec la vôtre, ils réussiront, sous la bénédiction de Dieu, à accomplir des merveilles: par la parole ils éclaireront les foules, par la suavité des manières ils gagneront tous les cœurs, et, en secourant avec charité ceux qui souffrent, ils les aideront à améliorer peu à peu leur condition.

Le clergé sera fermement soutenu lui-même par l'active et intelligente collaboration de tous les fidèles de bonne volonté. Ainsi, les enfants qui ont savouré les tendresses maternelles de l'Église l'en remercieront dignement en accourant vers elle pour défendre son honneur et ses gloires. Tous peuvent contribuer à ce devoir, si grandement méritoire: les lettrés et les savants, en prenant sa défense dans les livres ou dans la presse quotidienne, puissant instrument dont nos adversaires abusent tant; les pères de famille et les maîtres, en donnant une éducation chrétienne aux enfants; les magistrats et les représentants du peuple, en offrant le spectacle de la fermeté des principes et de l'intégrité du caractère, tout en professant leur foi sans respect humain. Notre siècle exige l'élévation des sentiments, la générosité des desseins et l'exacte observance de la discipline. C'est surtout par une soumission parfaite et confiante aux directions du Saint-Siège que cette discipline devra s'affirmer. Car elle est le moyen le meilleur pour faire disparaître ou pour atténuer le dommage que causent les opinions de parti lorsqu'elles divisent, et pour faire converger tous les efforts vers un but supérieur, le triomphe de Jésus-Christ dans son Église.

Tel est le devoir des catholiques. Quant au succès final, il dépend de Celui qui veille avec sagesse et amour sur son Épouse immaculée, et dont il a été écrit: *Jesus Christus heri, et hodie ipse et in sæcula* (1).

---

(1) *Ad Hebr.* XIII, 8.

C'est donc vers Lui qu'en ce moment Nous laissons monter encore Notre humble et ardente prière; vers Lui qui, aimant d'un amour infini l'errante humanité, a voulu s'en faire la victime expiatoire dans la sublimité du martyre; vers Lui qui, assis quoique invisible dans la barque mystique de son Église, peut seul apaiser la tempête en commandant au déchaînement des flots et des vents mutinés.

Sans aucun doute, Vénérables Frères, vous supplierez volontiers ce divin Maître avec Nous, afin que les maux qui accablent la société diminuent, afin que les splendeurs de la lumière céleste éclairent ceux qui, plus peut-être par ignorance que par malice, haïssent et persécutent la religion de Jésus-Christ, et aussi afin que tous les hommes de bon vouloir s'unissent étroitement et saintement pour agir. Puissent le triomphe de la vérité et de la justice être ainsi hâté dans ce monde, et sur la grande famille humaine se lever doucement des jours meilleurs, des jours de tranquillité et de paix.

Qu'en attendant, gage des faveurs divines les plus précieuses, descende sur vous et sur tous les fidèles confiés à vos soins la bénédiction que Nous vous donnons de grand cœur.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 19 mars de l'année 1902, de Notre pontificat la vingt-cinquième.

LÉON XIII, PAPE.

ANNOTATIO

## Clichtovei Neoportuensis

# in Officium SS. Corporis Christi.

Quum, in Congregatione prosynodali hujus anni 1902, sermonem facientes de præstantia divini Officii (1), plura vix indigitare vel et silentio præterire, brevitatis causa, coacti fuerimus, quæ tamen non sine maximo utilitatis ac jucunditatis fructu legerentur, quædam ex ibidem omissis huic periodico nostro identidem inserenda curabimus. Et, decurrente quidem nunc octava SS. Corporis Christi, nihil acceptius dilecto Clero futurum judicavimus, quam de hoc ipso SS. Corporis Christi officio Clichtoveum nostrum docte ac pie disserentem audire, in suo *Antiluthero*, l. II, c. 18:

« Quoniam artificis industria et excellentia magnam solet afferre laudem suo operi, non deest ea ex parte commendandi illius officii (quod in celeberrimæ solemnitatis sacramenti Eucharistiæ horis canonicis et mysterio Missæ, ex instituto ecclesiastico, singulo quoque anno concinitur) ampla materia. Siquidem auctor illius fuit sanctus Thomas Aquinas, sacri ordinis Prædicatorum jubar illustre et decus eximium, non minus insigni vitæ sanctitate, quam omnimodæ doctrinæ, præsertim theologicæ, splendore præfulgens. Qui incitatus hortatu Urbani quarti summi Pontificis, singulari devotione ad sacrosanctum Eucharistiæ mysterium affecti, id totum (ut in catholica lectitatur et frequentatur ecclesia) offi-

(1) Hunc Ill$^{mi}$ ac Rev$^{mi}$ Episcopi sermonem in proxime sequenti fasciculo cum lectoribus nostris communicabimus.

cium contexuit. Quemadmodum aperto demonstrat argumento, inter opuscula ejusdem auctoris insertum atque numeratum unum opusculum, quod totum id officium tanquam a beato Thoma compositum complectitur. Commendandus quidem est majorem in modum prædictus apostolicæ Sedis moderator, quod solemnitatem illam annuam in venerationem sacratissimæ Eucharistiæ celebrandam publice sanxerit, illiusque sanctionis perpetuum monumentum posteris reliquerit, quod Clementinis constitutionibus insertum legitur, titulo *de reliquiis et veneratione sanctorum*, cap. **si dominum**, legique dignissimum merito censetur ob admiranda excellentiaque præconia altissimi illius mysterii (quod omni laude superius est et eminentius) in eo cumulatissime sinceroque devotionis affectu commemorata. Nec minus itidem commendandus, idem summus totius Ecclesiæ præses, quum tantum et talem delegerit virum (sanctum Thomam dico) cui provinciam commiserit conficiendi pro rei dignitate illius officii, eumque ad obeundum id munus pontificia auctoritate excitaverit et induxerit. In quo quidem delectu, falsus non est nec elusus Urbanus; quum alium quemvis ea tempestate nancisci virum vix bene potuisset, cui illam credidisset curam, tam feliciter et accurate expediendam, ut res ipsa, tacentibus etiam linguis, satis superque loquitur.

Nempe sicut operis cujusque excellentia et magnificentia suum prodit artificem, artisque ipsius eminentiam apertis testatur indiciis, quin etiam ipsos opificii spetatores rapit in commendationem auctoris, quem tamen ignorat: sic totum illud officium (ad quamcumque ejus partem contuendam te convertas) sui auctoris declarat singularem doctrinam et mentem in sacris Litteris exercitatissimam.

Si enim *antiphonas* ipsas spectes: singulæ ex aliquo sibi respondente psalmo sunt depromptæ, et tanti Sacramenti mysterio aptissime accommodatæ.

Sin vero ad *responsoria* prædicti officii vertas obtu-

tum, ea omnia hac arte contexta offendes, ut quodcumque eorum ex uno sacræ Scripturæ Testamento desumptum sit: *versus* vero illi respondens et annexus, ex altero divinarum Litterarum instrumento. Enimvero si responsorium ex veteris organi pagina decerptum est, versus illi subjunctus ex novæ Legis codice depromitur. Et contra si responsorium ex novi instituti corpore desumitur, versus illius ex antiquæ Legis scriptura depromptus cernitur. Exempli gratia: id responsorium, in primis tantæ solemnitatis vesperis decantari solitum: *Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia parata sunt omnia*, ex novi Testamenti pagina accipitur, utpote ex decimo quarto evangelii secundum Lucam capite. Ejus autem versus: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis*, ex veteris Legis accipitur codice, utputa ex nono Proverbiorum capite. Ediverso id responsorium quod in officio matutino prædictæ solemnitatis est ordine tertium: *Respexit Helias ad caput suum subcineritium panem, qui surgens comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei*, ex antiquæ Legis promptuario est acceptum, scilicet ex tertii libri regum capite decimonono. Versus vero illi continuo subjectus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ex novæ Legis pagina desumptus est. videlicet ex sexto Evangelii secundum Joannem capite. Idem quoque in cæteris omnibus illius solemnitatis responsoriis exactissime observatum comperitur; et eo quidem artificio atque ingenio, ut in unoquoque eorum aut figura aliqua exprimatur antiquæ Legis, tanti mysterii repræsentativa; aut novæ Legis sententia, exhibitam tanti doni cœlestis gratiam nobis indicans.

Sed quid *hymnos* diei illius solemnis commemorer, quam suavi decurrant modulatione, quanto sententiarum pondere abundent, quantaque mysteriorum exuberent plenitudine! Quid succulentius (ut interim cætera taceam) hoc versu hymnico, quadrifica Christi in nos

beneficia paucis verbis complectente: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium?* Quid item sincerius hoc versu invocatoriam orationem ad sanctam Eucharistiam continente: *O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium?* Qui hoc tempore calamitoso, gravique et diuturno bellorum turbine exagitato, a toto clero sæpius decantandus est, ut a Deo pacis et dilectionis, populo christiano placidæ pacis munera tandem impartiantur, et turbulenta præliorum rabies conquiescat.

Postremum si *prosam* ipsam, in solemni Missæ officio concini solitam attendas, nihil illa concinnius aut suavius invenias. Gratissima quippe in ea rithmorum sonoritas et dulcissima percipitur vocalitas. Mysteriorum vero sacrosanctam Eucharistiam concernentium tanta inibi exprimitur altitudo, pariter et multitudo, ut ipsam quidem doctissimi viri theologi opus esse, ex ipso rei aspectu liquido constet. Et ut cætera prætereamus, unicus ille versus: « *In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur, agnus paschæ deputatur, datur manna patribus* », tres complectitur antiquæ Legis figuras umbratiles, hoc sacramentum admirabile præsignificantes. Siquidem Isaac ad immolandum ductus a patre, Christum præfiguravit, traditum pro nobis omnibus a Deo patre in mortem, immo et qui seipsum tradidit oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Reliquæ autem figuræ omnes quæ afferuntur in illius officii ecclesiastici contextu, aliquem habent aptum responsum atque affinitatem quamdam ad proprietates et conditiones eximias sacramenti Eucharistiæ, sensibilique forma et materiali insinuant spiritualem ipsius dignitatem. Ut agnus paschæ typicus (quæ secunda est figura, prædicto prosæ de venerabili sacramento versu comprehensa) repræsentabat hanc salutarem hostiam pro nobis in cruce immolatam, cujus virtute a principis tenebrarum imperio sumus liberati, quemadmodum

populus Israëliticus per suum agnum paschalem a jugo durissimo Pharaonis. Manna vero Israëliticum (cujus tertio loco meminit prædictus versus, ex prosa solemnitatis sacramentalis adductus) in deserto subministratum cœlitus Hebræis, panem hunc verum et vivum, qui de cœlo descendit, congrua proportione significat. Demum subcinericius ille panis, quem respexit Helias ad caput suum comeditque, et in fortitudine cibi illius ambulavit usque ad montem Dei Oreb, ut responsorium prius adductum refert, eumdem insinuat panem vivificum, sub cinere nostræ mortalitatis excoctum igne acerbissimæ passionis et ferventissimæ charitatis, qui factus etiam est viaticum nostræ peregrinationis ut ejus ductu et virtute tandem perveniamus in montem illum Dei excelsum, ubi videbitur Deus deorum in Sion. Et hunc in modum cæteræ figuræ omnes in illo officio celeberrimo adductæ, præclarum aliquod et sublime designant mysterium, quod in sancta Eucharistia ut veritate et exemplari eminenter elucere conspicitur. »

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Julii.

—

I

Explica Matth. V, 22: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.*

II

Demonstra ex ratione Deum esse simpliciter infinitum in perfectione.

III

Quomodo agere debet qui habet conscientiam perplexam?

IV

Explica quomodo dilectio Dei debeat esse super omnia?

V

Quæritur utrum et cur charitas viæ possit esse tam perfecta quam charitas patriæ?

VI

Determina quanta et qualis sit obligatio parochi celebrandi pro grege.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

### I

Q. Explica Ps. L, 12-14: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

R. V. 12. *Cor*, juxta notum loquendi modum Scripturæ, ponitur pro voluntate: actio autem Dei in ordine supernaturali, utpote omnipotentiam ejus et supereminentiam a conditionibus naturæ independentem magis manifestans, convenienter *creatio* appellatur. Petit ergo Psalmista ut puram mentem ipsi Deus infundat, et parallelismus membrorum exigit ne diversum statuamus sensum in verbis sequentibus, quæ proinde ita intelligimus: animum justum et sanctum innova in interioribus meis.

V. 13. *Ne projicias me a facie tua*, a vultu benignitatis tuæ, *et spiritum sanctum* etc. Varias sententias ita Muisius exponit: « Chaldæus et alii Hebræorum necnon Lyranus hoc de spiritu prophetico intelligunt, quem Kimhi a Davide post peccatum fuisse sublatum autumat: ideoque *ne auferas* interpretatur: ne auferas in perpetuum, quo pertinere vult quod mox sequitur: *Redde mihi lætitiam salutis tuæ*, hoc est, juxta illum, spiritum prophetiæ, qui animæ gaudium est et salus. In eadem sententia est Lyranus, qui ad illud *ne auferas a me*, sic habet: mihi non restituendo, quia adhuc tunc carebat: ideo subditur: *Redde mihi* etc. Hugo a S. Victore *spiritum sanctum* spiritum prophetiæ, vel

donum Spiritus Sancti, quo peccatum suum David cognosceret, confiteretur et pœniteret; ac per hoc *ne auferas a me*, docet petere Davidem perseverantiam et præsentiam Spiritus Sancti continuam. Optime sane ».

V. 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui* seu salutis tuæ, quam nempe affert salus a te concessa, qua olim ante peccatum fruebar, qua vero iterum delectari desidero. *Et spiritu principali confirma me.* Apposite Titelmannus: « Græce habetur ἡγεμονικος i. e. ducalis vel regius sive principalis... Ducalem ergo... spiritum vocat quasi magnificum, nobilem, munificum et liberalem, divitem et potentem, ut valeat et ut velit bonum facere et in omni bono hominem firmare, quem inhabitaverit » (1). In Annotationibus ex hebræo hæc addidit: « Posset nihilo minus recte etiam de spiritu humano intelligi, ut postulet pœnitens, qui collapsus fuerat nimium turpiter, jam amodo in spiritu principali confirmari, hoc est in spiritu potenti et valido, qui sufficiat resistendis malis concupiscentiæ motibus et pravis occasionibus peccatorum... Talem enim spiritum... sic Dei gratia stabilitum in bono, apte potentem spiritum vel principalem vel regium nominare poterimus. Videtur tamen alia expositio [de Spiritu Sancto] potior et probabilior ».

A. D. B.

## II

Q. *Quæritur cur necesse sit ut intellectus noster plures distinguat rationes in Deo et utrum nomina quæ proprie dicuntur de Deo sint synonyma.*

R. I. Ad primum respondetur cum S. Thoma: Quia « res quæ Deus est superat intellectum nostrum... Quod autem Deus excedat intellectum nostrum, est ex

(1) Paulo aliter Beelen qui vertit *een gewillige geest* et explicat *altijd veerdig en gereed tot medewerking met de werking der gratie.*

parte ipsius Dei, propter plenitudinem perfectionis ejus, et ex parte intellectus nostri qui deficienter se habet ad eam comprehendendam » (1).

Et sane, 1/ Deus quum sit ipsum Esse subsistens, in se, vel formaliter et eminenter, vel eminenter tantum, continet quidquid habere possit rationem entis. Ideo simplicissum Esse divinum est absoluta perfectionis plenitudo et omnia entia, omnesque perfectiones, creata vel creabilia non sunt nisi deficientes quædam imitationes ipsius Esse subsistentis, sc. Dei.

2/ Si intellectus noster intuitive videret Deum et simul Ipsum comprehenderet uno conceptu exprimere in se valeret plenitudinem divinæ perfectionis.

Sed intellectus noster quum sit limitatus et debeat, quamdiu in statu viæ manet, a creaturis omnem suam cognitionem accipere, non nisi per species seu similitudines a rebus materialibus abstractas valet intelligere : consequenter *iisdem speciebus* uti debet ad Deum aliqualiter cognoscendum : jamvero illæ species proveniunt a variis perfectionibus quæ realiter distinctæ inveniuntur in rebus : inde uni speciei respondet talis perfectio, alii speciei alia. V. gr. quum in creatis aliud sit intelligere, aliud velle, aliud scientia, aliud sanctitas, etc., inde variis speciebus illa varia intelligimus et aliud est id quod concipio conceptu scientiæ, aliud id quod concipio conceptu sanctitatis. Porro quum iisdem speciebus utamur oportet ad Dei perfectionem cognoscendam, necesse est ut *pluribus* conceptionibus Dei perfectionem intelligamus et consequenter ut *plures rationes* (2)

---

(1) In I, D. II, Q. I, a. 3.

(2) Nomine *rationis* hîc iterum intelligitur id quod intellectus apprehendit de significatione alicujus nominis. Quæstionem quam supra exposuimus ponit S. Thomas his verbis : *utrum pluralitas rationum quibus attributa differunt, sit tantum in intellectu vel etiam in Deo* : attributum est ipsa *perfectio*, ut supra, p. 180 exposuimus ; ratio vero est id quod concipio de hac perfectione, sc. est similitudo intentionalis intellectu concepta : inde variis rationibus nos distinguimus in Deo varia attributa : ideo dicit S. Thomas : pluralitas *rationum quibus attributa differunt*. Et quæstioni

h. e. plures similitudines intentionales intellectu conceptas, in Deo distinguamus (1) et consequenter plura attributa.

II. Inde statim sequitur *pluribus* etiam *nominibus* nos uti debere ad exprimendam nostram de Deo cognitionem: nomina enim sunt signa conceptionum intellectus (2). Porro nomina quæ *proprie* de Deo prædicantur ea sunt quorum ipsa ratio significata in Deo verificatur (3).

Jamvero ut nomina sint synonyma requiritur ut significent *eamdem rem sub eadem ratione* (4). Atqui diversa nomina quæ de Deo dicuntur *proprie* significant quidem eamdem rem sed non sub eadem ratione. Ergo illa nomina non sunt synonyma.

Minor patet: quando v. gr. Deus dicitur vivens, sapiens, potens, etc. designatur quidem eadem res, nempe ipsum Esse subsistens, sed sub alia et alia ratione: alia est enim ratio vitæ, alia sapientiæ et alia potentiæ. Attamen unaquæque ratio in Deo verificatur,

---

propositæ respondet S. Doctor quod hæc pluralitas rationum est « non tantum ex parte intellectus formantis diversas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diversæ rationes, sed (etiam) ex parte ipsius Dei inquantum scilicet est aliud in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus. » In I, D. II, Q. I, a. 3.

Hic etiam notatu digna occurit conclusio quam statuit Capreolus: « Non solum attributa sunt in Deo, sed etiam rationes attributorum. » Quod explicat dicendo: « rationes dicuntur esse subjective in intellectu, sed in re sicut in fundamento suæ veritatis. » In L. I, D. VIII, Q. IV, 3a Conclus. Nempe ratio quatenus est similitudo intentionalis concepta de re est in intellectu subjective, sc. tamquam in subjecto, sed est fundamentaliter in re quia in re est aliquid quod respondet illi rationi: res enim est talis in essendo, qualis ratio est in repræsentando rem.

(1) Quum tamen aliunde sciamus unam et simplicissimam rem æquivalere iis variis rationibus ideo intellectus noster non cogitat falsum de Deo.

(2) Cf. S. Thomas, S. cont. Gent. L. I, c. 31.

(3) Inde nomina perfectionum *simplicium* de Deo dicuntur *proprie*; nomina vero perfectionum *mixtarum* tantum *improprie*. Cf. Billot, *De Deo Uno*, Romæ, 1897, Thes. XVII, p. 160.

(4) Cf. S. Thomas, I. Q. XIII, a. 4.

quum in Deo sit vere et proprie id quod significatur nomine *vivens*, et id quod significatur nomine *sapiens*, et id quod significatur nomine *potens*, etc.

J. V. D. M.

III

Q. *Martha mater-familias catholica tum filio suo qui nondum septimum ætatis annum complevit, tum marito perfecte ebrio, feria VI carnes anteponit manducandas: an et quare peccat Martha?*

R. *Matha non peccavit præbendo carnes manducandas filio suo, quia pueri ante septennium completum, etiamsi sufficientem rationis usum sint adepti, saltem probabiliter legi ecclesiasticæ non subduntur. Peccavit vero inducendo maritum suum ad carnes manducandas fer. VI, quia sic causa fuit cur maritus legem ecclesiasticam, cui, etsi accidentaliter usu rationis privatus, subditus manet, violaverit et proinde materiale peccatum commiserit.*

**Explicatur**: Subjectum passivum legis ecclesiasticæ sunt omnes et soli baptizati qui saltem habitualiter usu rationis fruuntur, pro quibus est lata. En principium generale ab omnibus admissum, quod casui nostro jam est applicandum.

*Pars 1ª*. Si puer septennio junior nondum ad sufficientem usum rationis pervenit, profectò non tenetur lege ecclesiastica esum carnium certis diebus prohibente. Unde sequitur licitum esse hujusmodi infanti carnes præbere fer. VI, cùm ità nulli, ne materiali quidem, peccato cooperetur.

Difficultas verò est quoad pueros septennio minores qui jam sufficienti usu rationis gaudent ut possint obligari legibus suæ ætati convenientibus, qualis profectò est illa de qua hic fit quæstio.

Porro communius affirmatur hujusmodi pueros dictis legibus obligari, quia, cum sint lege capaces, eorum

exemptio deberet probari; atqui, aïunt, hanc exemptionem non probant argumenta a nonnullis prolata in contrarium. Et quidem opponitur 1/ Ecclesiam in ferendo leges attendere ad communiter contingentia; septennium autem est ætas, quâ completa, communiter adest usus rationis; quare censetur Ecclesia pueros septennio minores legibus suis non comprehendere. — Respondent autem « Ecclesiam attendere ad communiter contingentia quando pro obligatione aliqua particulari determinat certam ætatem, prout fecit quoad jejunium; at nulla ætas positive determinata est pro generali legum obligatione » (1). — Opponitur 2/ sententiam affirmantem locum dare frequentibus ambagibus et anxietatibus, cùm sæpe difficile sit dijudicare utrum de facto puer sit sufficienti rationis usu præditus necne; quare præsumitur Ecclesia hisce difficultatibus obviare, non obligando pueros ante ætatem qua communiter plenus solet usus rationis haberi. — Rursùs respondent negando fundamentum illius argumenti cum sententia affirmans non respiciat nisi illos pueros qui *moraliter certò* usum rationis sunt adepti.

Nihilominus sententia negans probabilitate non caret tum extrinseca (2) tum intrinseca: quamvis enim responsa data ad illius opinionis argumenta, hæc aliquatenus infirment ità ut sufficere non videantur ad exceptionem, de qua agitur, certò stabiliendam, eorum tamen vim non plane infringunt. « Nam ex eo quod Ecclesia certam ætatem non determinat (pro aliqua obligatione), non sequitur eam non attendere ad com-

---

(1) Bouquillon, *Theol. mor. fundam.* n. 140.

(2) Illam docent Jo. Sanchez, *Select. disput.*, d. 51, n. 31 in fine; Reuter *Neo-Confessarius*. n. 101, et *Theol. mor.* P. I, n. 166; Elbel, *Theol. mor. Confer.* n. 369; aliique plures eam probabilem habent; ità præter citatos in textu, Lacroix *Theol. mor.*, n. 676; Gury, T. I, n. 93; Lehmkuhl, *Theol. mor.* T. I, n. 158; Bucceroni, *Inst. theol. mor.* (ed. 1893), T. I, n. 195; D'annibale, *summa theol. mor.* (ed. 1896), P. I, n. 204 in nota. Aertnys, *Theol. mor.*, lib. I, Tr. III, n. 164; Génicot, *Th. mor. inst.*, T. I, n. 94; Theol. Mechl.; *Th. mor. gen.*, n. 50.

muniter contingentia, præsertim si illa ætas apud omnes aut saltem doctos determinate cognoscitur præcise ex communiter contingentibus. Unde merito S. Thomas hac ratione utitur (2ª 2ᵃᵉ q. 147, a. 4, ad 2) ad excusandos a jejunio juvenes ante 21 annum completum, nec enim ulla lege hanc ætatem determinavit Ecclesia...; si dicas ipsam consuetudinem esse legem, a pari dicam : consuetudinem non obligandi pueros ante septennium, quæ certò legitima est, eamdem vim habere. Deinde etiamsi anxietates vitari possint in opinione nostra probabiliore fatendum tamen est facilius esse, si ætate determinata, non vero tempore judicio morali cujusque æstimando exurgat obligatio » Illˢ ac Revᵘˢ Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali* n. 308 not. 1; qui de eadem sententia affirmat illam esse « certo in praxi tutam et commodam ad removendas anxietates ». — Billuart, Tr. *de leg.* Diss. IV, art. VIII, ait, sibi *probabilius apparere* quod pueri non teneantur legibus humanis nisi septennio completo, etsi antea polleant usu rationis, et ità *videri usu et communi hominum sensu receptum;* — S. Alphonsus, lib. III, n. 270, censet *haud immeritò ut probabilem tradi* et n. 1012 *non videri improbabilem* eamdem sententiam negantem; — de quæ Feije (Tr. autogr. *De legibus*, n. 106) dicit negari non posse illam in praxi esse licitam. — Unde in praxi non est Martha rea peccati habenda propter subministratas carnes filio suo. — Ast

*Pars 2ª*. — Omnino culpanda est Martha, quia præbuit carnes manducandas marito etsi perfecte ebrio. Etenim *accidentalis* defectus rationis non eximit a lege, quamvis ab ejus transgressione possit excusare. « Quemadmodum enim lex fertur secundum communiter contingentia et adaptatur communi subditorum capacitati, ità subditos afficit secundum communem seu habitualem eorum conditionem et statum » Bouquillon, l. c. Proinde in casu maritus quamvis in statu ebrietatis agendo contrà præceptum Ecclesiæ non peccet forma-

liter, materiale tamen peccatum committit, ad quod ipsum inducere nefas est. « Quotquot sunt, ait Lhemkuhl, qui legi subjacent, eos non licet ad legis violationem, etsi subjective inculpabilem, inducere; nam ipsa illa actio objective sumpta in legis subjecto pertinet ad res moraliter malas, atque ità, qui alterum ad eam utcunque inducit, ipse rem malam voluntarie amplectitur, et verum formaleque peccatum committit » (1).

H. V. D. B.

## IV

Q. *Titius sacerdos lege diœcesana obligatus ad exercitia spiritualia peragenda, his durantibus, prorsus negligit meditationem, ratus sese ad hanc non teneri, quia legislator humanus non potest præcipere actus internos; sed ut tempus terat, legit librum prohibitum; moraliter certum habens nullum ex illa lectione sibi imminere periculum. An et quare habendus est Titius legis violatæ reus?*

R. Quoad I: affirmative; habendus est Titius violatæ legis diœcesanæ reus, utpote qui meditationem, quæ est pars substantialis exercitiorum spiritualium præscriptorum, neglexit. Nec valet ratio allegata ab ipso in contrarium. Etenim etsi, juxta unanimem DD. sententiam, affirmandum sit legislatorem humanum *civilem* non posse *actus internos* præcipere, nisi in quantum essentialiter conjunguntur cum externis, qui intra ambitum suæ jurisdictionis continentur (putà actum voluntatis ad contractus essentiam necessarium, — intentionem ad juramenti validitatem requisitam etc.), idem

(1) *Theol. mor.* T. I. n. 133. — Supervacaneum videtur notare nos in præsenti considerare actum Marthæ in se et abstractione facta a circumstantiis, quæ ipsam a materiali cooperatione ad peccatum objectivum mariti excusare possent, putà ob graves sævitias, blasphemias etc. vitandas

tamen cum æquali fundamento et certitudine de legislatore *ecclesiastico* (de quo hîc agitur) asseri nequit.

Et quidem imprimis vix dubitari potest quominus Ecclesia præscribere valeat actus internos *per accidens* tantum cum externis conjunctos, v. g. celebrationem sacrificii missæ *cum applicatione fructus specialis pro grege;* orationem vel jejunium ad certum determinatumque finem seu gratiam obtinendum, ità ut tum opus ipsum tum operis relatio sub præcepto cadant: idque Ecclesiæ praxi plane confirmatur.

Imo actus *mere internos* seu nullo modo cum externis conjunctos sub potestate legislativa Ecclesiæ cadere sententia vere probabilis tenet. Negari enim non potest hujusmodi actus, quales sunt actus virtutum theologicarum sola mente eliciti, piæ meditationes etc., ad finem Ecclesiæ, quæ est hominum sanctificatio, valde efficaces esse; et aliunde Christus Petro et successoribus suis potestatem legislativam contulit verbis utens generalibus et indefinitis: « *Quodcumque* ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis »; quare restrictio ab eadem potestate actus mere internos excludens deberet probari: atqui minime adversæ sententiæ rationibus illam restrictionem demonstrari censent plures egregii nominis AA. antiquiores (1), quibus multi recentiores (2) adhærent. Non vacat illam disputationem hic evolvere, nec necesse id est ut monstretur Titium nostrum male fuisse ratiocinatum ac illicite egisse.

Etenim certum est Episcopo jus competere præscribendi clericis ut identidem exercitia spiritualia peragant. (S. C. C. 20 Sept. 1878 ap. *Acta S. Sedis*, T. XII,

---

(1) Cfr. præ cæteris Magn. Schmier, *Jurispr. can.* lib. I, tr. I, cap. I, n. 113 sqq. — Böckhn, *Jus can.*, lib. I, tit. 2, § 4, n. 58 sqq.

(2) Bouquillon *Th. mor. fund.*, n. 101; Ballerini, ad Gury, T. I, n. 89; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, T. I, p. 307 sqq.; Piat, adn. ad Van der Velden, *Principia theol. mor.*, T. I, p. 207; — eidem sententiæ favent Feije, Tr. autogr. *de legibus* n. 61 sqq.; Lehmkuhl, *Th. mor.*, T. I, n. 131.

p. 609 sqq.) (1); atqui omnium consensu, exercitia spiritualia important præprimis exercitium *meditationis*.

Simili autem lege diœcesana non præscribitur, juxtà plures, actus *mere internus*, sed actus mixtus seu actus externus (aut series actuum externorum) cui conjungitur actus internus (meditatio) uti *necessarius ad dandum illi propriam speciem* sacri secessus (2), vel hujus *debitum complementum* (3). Unde ipse Wernz, qui potestatem legislativam in actus mere internos perfracte Ecclesiæ denegat, illamque vocat *singularem et exorbitantem* (4), non dubitat tamen Episcopis agnoscere jus obligandi clericos ad peragenda singulis annis vel bienniis exercitia spiritualia, illamque obligationem etiam pœnis, paterna tamen admonitione præmissa, urgendi (5).

Sed dato etiam legis diœcesanæ, de qua disserimus, objectum directum esse actum internum, nihilominus illam servare tenetur Titius, nec potest absque peccato meditationem, sacri secessus tempore, negligere. Etenim negari nequit sententiam quæ affirmat posse Ecclesiam suis legibus etiam directe circa actus internos disponere, vera et solida probabilitate gaudere; imo hæc a pluribus gravis nominis auctoribus intrinsece multò magis fundata æstimatur (6). Consequenter Epi-

---

(1) Equidem de jure communi talia exercitia nondum sunt clero universim præscripta; attamen in schemate pro Concilio Vaticano præparato hæc fere statuenda proponuntur: « Et quoniam in medio corrupti sæculi facile evenit ut de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant, ad ecclesiastici vero ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducat, omni studio curent Episcopi, ut clerici præsertim parochi et confessarii singulis saltem trienniis vel quadrienniis certo dierum spatio in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant ».

(2) Ità Bouquillon, l. c.

(3) Ita dubitative *(fortasse)* Lehmkuhl, l. c., n. 132.

(4) *Jus decretalium* (Romæ 1898) T. I, n. 98.

(5) *Ibid.* T. II, n. 182.

(6) Sic Ballerini l. c. ait opinionem negantem sibi videri « magis quadam extrinsecæ auctoritatis specie quam ratione inniti ». — Bouquillon, l. c., adversariorum *rationes admodum leves esse*; et cum « in

scopus præscribens meditationem usus est jure suo; cui respondet a parte subditi Titii debitum obedientiæ; et, stante mandato legitimi superioris justo, utpote quod nititur sententia probabili, jam non est practice probabile subditum posse obedientiam detrectare, quia non probabiliter tantum, sed certo existit obligatus; secus esset bellum justum ex utraque parte, np. superior juste imperaret et inferior juste resisteret; quod repugnat. — Ad eamdem conclusionem devenitur arguendo ex principio possessionis: scilicet: possidet superior, i. e. ipse habet jus præcipiendi ea quæ prudenter potest credere contenta intra limites suæ potestatis, quamvis probabiliter excedentia suam potestatem: et si præcipiat, ei est obediendum, eo ipso quod est superior seu in possessione superioritatis (1).

Quoad II seu quoad lectionem libri prohibiti, distinguendum est: si liber quem legit Titius jure naturæ tantum sit prohibitus, i. e. in quantum ejus lectio est occasio peccati, liquet Titium, cum moraliter certum habeat ex illa lectione nullum sibi imminere periculum, contra legem non peccavisse: hic enim materia legis seu periculum peccati vitandum non obtinet.

Secus vero dicendum si liber iste sit prohibitus lege positiva ecclesiastica sive communi sive particulari. Nam hujusmodi lex fundatur in præsumptione periculi universalis, cujus proprium est obligare etiam in casu

---

scholastica disputatione plurium auctoritas tenere theologum non debet. Canus *De loc. th.* VIII, cap. 4 « rese plene adhærere solidæ paucorum sententiæ affirmant; — Ballerini-Palmieri, l. c. n. 129, hominum contrariam potius quam solida aliqua ratione, nisi hoc autoritatis quæ perperam creditur immensis rationibus roborari. — Theol. Mechlin. T. 1, *mor. gen.* n. 44, q. 3: sententiæ affirmanti ut probabiliori adhæret. — Prat. l. c. simpliciter affirmat hanc potestatem ecclesiastico legislatori competere.

1. Ita fere Ill. ac Revmus Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 300, cit. ibid. n. 285-300, ubi quoad hanc quæstionem criteria auctorum numerantur. — Elbel, *Theol. mor. supér.*, n. 3, *probab.* n. 172 et 192. — Bouquillon, l. c., n. 279; — Theol. Mechlin., l. c., n. 106, q. 2, [illegible] alii.

ubi per accidens periculum non adest: quia nihilominus motivum adæquatum legis subsistit. Sic lex prohibens lectionem libri cujusdam pro motivo habet non quidem periculum perversionis omnibus et singulis lectoribus imminens, sed idem periculum universim seu ut plurimum ex tali lectione timendum. Quapropter etsi eadem lectio alicui in particulari non sit nociva, verum tamen manet eamdem communiter esse periculosam: adeoque minime cessat legis ratio. Ceterum bonum commune exigit ut istiusmodi legi non fiat exceptio pro his qui sese periculi expertes æstimarent: nam ob talem exceptionem finis quem lex intendit magna ex parte frustraretur seu malum non vitaretur efficaciter, siquidem homines nimis facile sibi persuaderent respectu sui non adesse periculum (1).

« Accedit in casu prædictum periculum vitandum non esse solum finem a legislatore intentum, sed etiam ne detur ansa hæreticis aut aliis improbis scriptoribus perniciosa typis demandandi, necnon ut ipsi libri novi destruantur: quæ rationes manent etiamsi lectores nihil mali sibi timeant ab ejusmodi librorum lectione. Denique cum in Indicem referantur libri certi argumenti ob neglectam præviæ censuræ solemnitatem (cf. const. *Officiorum ac munerum*, v. g. art. 13 et 20) facile de pluribus constare posset eos in se innocuos esse. Num illos passim legi posse existimabis et sic enervabis saluberrimam Constitutionis pontificiæ disciplinam? » Van Coillie, *Commentarius in Const. « Officiorum ac munerum »*, p. 70.

H. V. D. B.

V

Q. *Expone notionem charitatis theologicæ.*

R. *Charitas theologica est virtus supernaturalis qua*

(1) Cfr. Bouquillon, l. c., n. 161; — Lehmkuhl, l. c., n. 182; — Theol. Mechlin., l. c. n. 60, q. 1; — noster *Trad. de leg.*, n. 99.

*justus, amore amicitiæ, propter bonitatem Dei in se ut est beatitudinis objectum, super omnia diligit Deum et proximum sicut seipsum.*

**Explicatur.** 1° *Est virtus supernaturalis* sc. principium operativum permanens entitative et quoad substantiam supernaturale, adeoque a Deo per se infusum (1), potentiam naturalem (voluntatem) perficiens ac elevans ad connaturaliter eliciendos actus amoris supernaturalis. Est autem virtus *theologica*, uti ex ejus objecto materiali ac formali statim patebit.

2° *qua justus.* Etsi enim charitas theologica a gratia sanctificante realiter distincta habeatur, non potest tamen, de lege Dei ordinaria, ab ea separari ità ut in solo *justo* gratia sanctificante ornato reperiatur : simul cum gratia acquiritur, augetur, minuitur (2) et amittitur, per quodvis nempe peccatum mortale (3).

3° *amore amicitiæ.* Amicitia autem est amor benevolentiæ mutuæ quæ fundatur in communicatione bonorum. Charitas theologica amat Deum *amore benevolentiæ* formaliter non ratione commodi quod affert amanti, sed pure et simpliciter *secundum se*, seu propter ipsummet, sistendo in ipso (4). Amor *amicitiæ* addit supra benevolentiam quod sit benevolentia *mutua*, *mutuo cognita*, et *fundata in communione boni.*

Mera benevolentia ergo non sufficit ad rationem

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.* T. VI, p. 245.

(2) Cfr. *Coll. Brug.* T. VI, p. 411 ss.

(3) Cfr. Ill$^{m}$ ac Reverend$^{m}$ Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis, 1900, n. 439.

(4) Et ità charitas distinguitur ab *amore concupiscentiæ* quo quis amat aliquid non ut ei bonum velit, sed ut bonum ejus *sibi* velit. Amor benevolentiæ adeoque charitas est amor pure gratuitus. « Quod cave ne intelligas, ait Ill$^{s}$ ac Reverend$^{s}$ Waffelaert, (*o. c.* n. 388) quasi volendo gratuito bonum amato propter ipsum et non propter nos, non quæramus felicitatem nostram in illo actu, quam naturaliter non possumus non quærere in omni actu; aliud enim est amare alterum concupiscentia et eum referre ad nos, aliud amare et velle bona ipsi propter se, et nos ipsos velle ipsi, ità ut felicitatem nostram, quam naturaliter quærimus, voluntarie in ejus felicitate constituamus ».

amicitiæ, sed requiritur quædam *mutua* redamatio, quia « amicus est amico amicus » ut ait S. Thomas (1). Quod explicans Suarez ait: « Si unus amet, non vero redametur, est quidem benevolentia, non vero amicitia. Oportet etiam ut hic mutuus amor *non lateat;* nam si ignoretur, esto sit concursus amorum, erit tamen per accidens; at vero amor amicitiæ postulat ut sit alterius tanquam redamantis » (2), seu ut sit *mutuo cognitus.* Requiritur denique ut mutuus ille amor nitatur *aliqua communione boni*, quam uterque amicus participet. Etenim, communionem quamdam boni esse conditionem necessariam (3) ad amicitiam, patet ex eo quod amans semper se habet ad id quod amat sicut ad seipsum vel aliquid sui (4). Hoc autem in amore hominis ad Deum verificari omnino non potest nisi quædam sit ad hominem divini et imparticipati boni communicatio sive diffusio, seu communicatio Dei bonitatis *ut est in se.* Dicitur: *bonitatis Dei ut est in se,* nam communicatio qua Deus in ordine naturæ se homini communicat secundum quasdam participationes et adumbrationes analogicas, non præbet fundamentum sufficiens amori amicitiæ, cùm homo per eam nullo modo fiat consors seu particeps propriæ bonitatis ac vitæ divinæ. Requiritur ergo ad amicitiam hominis cum Deo, communicatio supernaturalis qua Deus bonitatem suam ut est in se communicat homini, per possessionem ipsius Dei bea-

---

(1) 2ª 2ᵃᵉ, q. 23, a. 1.

(2) *De Gratia*, l. VII.

(3) Consultò dicitur *conditio necessaria*, non motivum. Non motivum, quia in amore benevolentiæ motivum amandi nusquam reponitur in bono proveniente amanti ab amato (licet vera amicitia non excludat respectum ad bonum aliquod ab amico accipiendum, modo primo et principaliter diligatur amicus propter se, bonum autem illud solum secundario exspectetur); conditio necessaria tamen propter rationem allegatam. — Cfr. Billot, *De Virtut. Infusis*, Romæ, 1901, p. 376.

(4) S. Thomas in l. III *Sent.* D. 27, Q. 2ª, a. 1 egregie exponit quomodo amor benevolentiæ ad alterum imitetur benevolentiam quam quisque habet ad semetipsum.

titudinis aut saltem per dona ad illam vitam divinam præparatoria et inchoativa.

Reverà, ut ex fidei fontibus constat, *justus* per gratiam habitualem essentialiter fit consors naturæ divinæ, filius ac hæres Dei, et mediante auxilio divino vitam Dei ethice imitari valet, ac ità divinæ beatitudinis est particeps, adhuc quidem jure et inchoate per semen gloriæ quamdiu peregrinatur in via, re autem et actu quando gloria coronabitur in patria. « Charitas, ait Angelicus (1), non est virtus hominis in quantum est homo, sed in quantum per participationem gratiæ fit Deus et filius Dei ».

4/ *propter bonitatem Dei in se ut est beatitudinis objectum.* Quibus verbis breviter adumbratur charitatis *objectum formale*, et formale *motivum*. Est nempe *Dei bonitas absoluta in se et propter se amabilis*, non vero ut est bonum respectivum nostrum. Ad rem Suarez (2): « Primo constat Deum sub ratione boni esse objectum charitatis, quia charitas ad voluntatem spectat et est amor. Constat secundo Deum sub ratione summi boni propter se amabilis esse objectum charitatis... Ratio est quia in hoc differt charitas et ab omni alia dilectione boni creati et a dilectione ipsius Dei, quæ est concupiscentiæ vel spei: nam hæc diligit Deum ut summum bonum diligentis, charitas verò amat Deum propter se » (3).

---

(1) *QQ. Disp.* Q. un. de Char. a. 2, ad 15m — Cfr. *Collat. Brug.* T. I, p. 345 ss.

(2) *De Charitate* Disp. I, s. 2, n. 1.

(3) Licet charitas Dei bonitatem absolutam pro objecto formali habeat, ab ea tamen non excluditur necessario omnis respectus ad Deum prout est bonum amantis. Nihil impedit quominus secundariò includat aliquem amorem concupiscentiæ. Vera enim amicitia non excludit respectum ad bonum aliquod ab amico accipiendum, modo primo et principaliter diligatur amicus propter se, bonum autem illud solum secundario exspectetur. Quinimo, ut ostendit Bouquillon (*Tract. de Virt. theol.* Brugis 1878, n. 406) respectus ille ad Deum, quatenus est bonum summum amantis, a charitate moraliter excludi nequit.

Additur: est bonitas Dei in se *ut est objectum beatitudinis*. Adsignificatur nempe bonitatem Dei in se nobis manifestari lumine supernaturali fidei, et simul connotatur eam nobis communicari per gratiam in terra, per gloriam in cœlo, *tanquam fundamentum amicitiæ mutuæ* (1).

5/ *objectum materiale* charitatis seu ipsa persona ex amicitia dilecta et cui ideo bonum concupiscimus, est duplex. Objectum *primarium et principale* est *ipse Deus* quem objective et appretiative *super omnia* et ratione ipsius diligimus (2); *objectum secundarium* verò *et subordinatum* quod ratione Dei per se dilecti seu *propter Deum* amamus, sunt illi omnes ad quos bonum supernaturalis beatitudinis aut jam pervenit aut pervenire potest (3). Hinc amicitia quæ est hominis ad Deum principaliter, ex consequenti se extendit imprimis ad ipsum hominem qui charitatem habet. Sese extendit præterea ad omnes *proximos* qui capaces sunt beatæ illius cum Deo societatis, super cujus communione charitas fundatur. Et eadem quoque ratione se extendit ad sanctos angelos quorum concives, cohæredes et sodales erimus in resurrectione justorum (4). Hos omnes homo justus diligere debet *sicut seipsum*, ità ut amor suîipsius tanquam regula ponatur amoris erga proximum.

A. C.

## VI

Q. *Quænam sunt jura parochi relate ad communionem paschalem et communionem infirmorum?*

R. I° **Relate ad communionem paschalem**: generatim dici debet communionem paschalem esse jus parochiale,

(1) Cfr. *respons.* IV mensis sequentis.
(2) Cfr. Ill^m ac Rererend^m Waffelaert, *o. c.* p. 132 ss.
(3) Cfr. *respons.* V mensis sequentis.
(4) Cfr. Billot, *o. c.*, p. 386.

ita ut parochiani absque licentia parochi ejusve superioris communicantes in ecclesia aliena, etiamsi sit ecclesia cathedralis (1), præcepto paschali non satisfaciant. Etenim ex canone Lateran. *Omnis utriusque sexus* et ex universali consuetudine colligitur communionem paschalem *a proprio sacerdote* esse suscipiendam, quo nomine per prius intelligitur parochus proprius et dein hujus superior, Episcopus proprius et Summus Pontifex. Communio igitur paschalis inter jura parochialia recenseri debet. Cum vero parochus in sua propria ecclesia sacram communionem tempore paschali distribuat, ideo generatim dicitur eam *in ecclesia parochiali* esse suscipiendam. « Nemo est qui ignoret, ait Bened. XIV Const. *Magno cum animi*, § 21, præceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii episcopi vel parochi licentia.... » Hæc licentia omnino requiritur, ut extra ecclesiam parochialem præcepto paschali fiat satis, sufficit tamen præsumpta, modo adsit certitudo moralis de consensu parochi ejusve superioris (2). Nota hunc consensum esse petendum, quoties absque incommodo peti potest, ut ita finis obtineatur legis, quæ ad hoc lata est ut proprius sacerdos melius invigilare possit utrum subditi satisfaciant præcepto Ecclesiæ (3).

---

(1) Jam audiendi non sunt qui affirmarunt universim satisfieri præcepto paschali per communionem factam in ecclesia cathedrali. Cfr. Lahousse, *De Euchar.*, n. 152. Hoc meliori forsan jure affirmaretur in casu quo ipse episcopus in sua ecclesia cathedrali sacram communionem distribueret; verius tamen dici videtur, attento fine legis, tunc etiam requiri consensum saltem præsumptum parochi vel episcopi. Cfr. Lahousse, *l. cit.*,

(2) S. Alph. L. VI. n. 300. — Pro parte theologica hujus quæstionis cfr. Lahousse, *l. cit.*

(3) Parochi potestas quoad licentias illas concedendas ingreditur potestatem ejus *accommodandi*, vi cujus etiam dispensat in præcepto jejunii et abstinentiæ, in observatione dominicæ et festorum, *in casibus nempe particularibus* (*Coll. Brug.* T. VI (1901), p. 596); unde jus habet parochus concedendi ut *his vel illis* præcepto paschali alibi satisfaciat; non autem eximendi *universim* omnes parochianos, aut integram portionem gregis, puta habitantes vicum nimis distantem. Cfr. Berardi, *De Parocho*, n. 756.

Ab hac lege eximuntur : 1/ *Peregrini*. Hi nempe, qui accidentaliter versantur in loco, in quo domicilium aut quasi-domicilium non habent, modo ad propriam parochiam commode accedere non possint, satisfaciunt præcepto communicando in ecclesia *parochiali* loci ubi degunt, tum quia proprius parochus præsumitur consentire, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. (1) Hoc confirmatur ex Rituali Rom. *De Comm. pasc.* et sic habet usus et praxis. — Alia quæstio est utrum *teneantur* peregrini paschare in ecclesia parochiali loci, ita ut communicantes in alia ecclesia vel oratorio publico non satisfaciant præcepto Ecclesiæ. Ad hanc quæstionem diversimode respondent AA. (2) : videtur ad minus dicendum illam obligationem non certo probari, cum peregrini in loco ubi actualiter degunt non habeant proprium parochum adeoque ipsis impossibile sit adimplere legem Ecclesiæ quod attinet ad sacerdotem a quo suscipienda est communio, cum deinde respectu illorum ratio legis omnino deficiat.

2/ *Vagi* seu qui nullibi habent domicilium aut quasi-domicilium. De his certum existimat Suarez (3) eos non posse satisfacere præcepto paschali extra ecclesiam parochialem apud quam actu degunt ; quæ iterum obligatio, quamvis forsan facilius admitteretur quam pro peregrinis, non ostenditur certa.

3/ *Sacerdotes*, qui ex consuetudine quovis in loco satisfaciunt, modo *celebrent* tempore paschali. Ratio est « quia præceptum communicandi in propria parochia ex recepta consuetudine videtur extendi solum ad eos qui Eucharistiam ab aliis sumunt » (4).

4/ *Subjecti jurisdictioni superioris regularis*, qui respectu ipsorum censetur parochus proprius, ut tradunt omnes. Ex privilegio hoc extenditur ad *regularium*

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, T. I, (1898), n. 469.
(2) Cfr. Van den Berghe, Tr. autogr. *de Parochis*, n. 44.
(3) *De Religione*, Tract. X, L. IX, c. 3, n. 8.
(4) Bonacina, Disp. IV *De Sacram. Eucharistiæ*, Q. VII, Punct. II, n. 7.

*famulos*, qui videlicet ipsis « actu serviunt, et infra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia [non religiosa, sed servili] vivunt » (Conc. Trid. sess. XXIV, cap. XI de reform.). Cfr. etiam Statuta nostra Tit. VI, art. 2 (1).

5/ *Jure particulari alumni collegiorum*. Notatim jure nostro diœcesano conceditur « ut regulares proprie dicti, qui cum consensu Nostro scholas aut collegia aperuerint, discipulos omnes sive internos sive externos, modo interni per quatuor saltem menses collegium jam inhabitarint, externi vero illud frequentarint a sex circiter mensibus,..... ad communionem paschalem in ecclesiis vel sacellis suis admittere valeant ». Quod privilegium sub iisdem conditionibus extenditur ad alumnos aliorum collegiorum ecclesiasticorum. Cfr. Statuta nostra, Tit. VI, art. 3.

II° **Relate ad communionem infirmorum.** — A/ « Communio infirmorum in eorum domo, *per modum Viatici*, inter jura parochialia est adnumeranda; et nullo tempore nulloque modo potest administrari, nisi a parocho loci vel de ejus licentia; secluso tamen casu necessitatis. Sacerdotes sæculares, extra casum necessitatis, Viaticum administrantes sine parochi licentia, graviter delinquunt; regulares vero, præter gravis culpæ reatum, excommunicationem latæ sententiæ R. P. reservatam incurrunt (Const. *Apostolicæ Sedis*, Tit. II, n. 14) » (2). Porro hoc jus privative competit parocho tum erga parochianos, sive laicos sive clericos (S. C. Conc. 16 Sept. 1871), tum erga peregrinos et vagos: nam « omnes fideles sive laici sive clerici, qui graviter decumbunt in parochia, censentur parochiani quoad susceptionem Viatici, etiamsi accidentaliter tantum vel transeunter in parochia versarentur » (3).

---

(1) Van den Berghe, *l. cit.*, n. 46.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, T. I (1898), n. 470. — Quænam conditiones requirantur, ut incurratur excommunicatio, expositum habes apud *Collat. Brug.*, T. VI (1901), p. 461 sqq.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, — Cfr. etiam *Collat. Brug.*, T. VI, p. 464.

Hæc tamen lex generalis nonnullas patitur *exceptiones:* 1/ *excipitur casus necessitatis:* quando scilicet, « infirmo in gravi periculo mortis constituto, parochus vel ejus vices gerens est absens, aut tempore opportuno advenire nequit, aut saltem rationabiliter timetur ipsum tempestive non posse accedere; vel, quod vix supponere licet, quando parochus ægroto injuste sacramenta denegare audet » (1). — Casui necessitatis videtur æquiparandus casus quo infirmus sacrilege S. Viaticum suscepisset, quia tunc sacerdos, cui sacrilegium confessus est infirmus, licentiam parochi exquirere nequit, quin sigillum sacramentale frangat (2).

2/ *Eximuntur* a/ *regulares eorumque novitii et famuli*, qui sunt vere de familia (vide supra sub 4). b/ *Episcopus* (ex Cæremoniali episc. l. II, cap. 38, n. 4), necnon ex consuetudine in variis locis vigente etiam *canonici:* Hi quidem de jure communi tenentur Viaticum recipere a parocho loci ubi habitant, verum juxta praxim in Gallia et Belgio magis receptam ipsis ministratur Viaticum a præside capituli (3). c/ *Jure nostro diœcesano*, discipuli decumbentes in scholis vel collegiis regularium, necnon alumni minoris seminarii Rollariensis. (4)

B/ Non solum administratio S. Viatici, sed etiam delatio SS. Eucharistiæ *ex mera devotionis causa* ab infirmis in eorum domo suscipiendæ, privative ad parochum spectat, saltem si publice fiat; occulte autem deferre non licet sine indulto Apostolico, præterquam in casu supra memorato infirmi qui prius suscepisset S. Viaticum sacrilege adeoque præcepto divino non fecisset satis. (5)

H. M.

---

(1) *Coll. Brug.*, T. VI, p. 464.

(2) *Coll. Brug.* ibid.; F. Piatus, *Prælectiones juris regularis* (ed. altera), T. II, p. 251; *Nouv. Rev. théol.*, T. V, p. 368.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 473.

(4) Cfr. *Statuta*, Tit. VI, art. 3, ubi istud privilegium non extenditur ad alumnos aliorum collegiorum ecclesiasticorum.

(5) Cfr. F. Piatus, *l. cit.*, p. 249, De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 470 et AA. ibidem citati.

## Recentiora S. Sedis acta de cultu Sacratissimi Cordis.

Quam plurima SS. D. N. Leonis XIII acta hisce ultimis annis luculenter testantur quanto studio Sanctitas Sua exoptet « ut in populis christianis pietas erga Sacratissimum Cor Domini Jesu indesinenter floreat et virescat » (1). Uberrime enucleavit quam opportuna sit et nostris maxime temporibus accommodata devotio erga Sacratissimum illud Cor, in quo tanquam in altero *Labaro* « omnes collocandæ spes: ex quo hominum petenda atque exspectanda salus » (2). Ideoque « cultum divini Cordis ubique promovendum augendumque multipliciter sategit » (3). Ineunte hoc mense Junio, recentiora acta Pontificis nostri summatim commemorare et colligere non absque aliqua utilitate fore censemus.

I. In memoriam imprimis revocare placet Litteras encyclicas *Annum sacrum*, quibus, enucleate expositis ratione et vi actus consecrationis, edixit ut mense Junio anni 1898 universum genus humanum formula speciali ab Ipso approbata, Sanctissimo Jesu Cordi publice **devoveretur** (4). Quam solemnitatem ab illis qui tardius litteras apostolicas recepissent, anno sequenti fieri jussit et ab aliis repeti permisit (5). His accedit decretum S. Congr. Indulg. diei 9 decembris 1900, (6) quo indulgentiarum præmio fidelibus animos addidit ut vigesimum sæculum inchoandum divino Cordi Jesu consecrarent.

---

(1) Ex decr. S. Cong. Rit. *de cultu SS. Cordis amplificando*, ap. *Collat. Brug.*, IV, p. 554.

(2) Encycl. *Annum Sacrum* ap. *Collat. Brug.*, IV, p. 421.

(3) Ex decreto S. Cong. Rit. 26 Febr. 1901 ap. *Anal. ecclesiastica*, 1901, p. 255.

(4) *Collat. Brugen.*, IV, p. 417.

(5) *Analecta eccles.*, 1900, p. 14.

(6) *Collat. Brug.*, VI, p. 148.

II. Peracta vix in Urbe et Orbe præfata solemni consecratione, Sanctissimus Dominus Noster, voce S. Congr. Rituum præfecti, omnibus Episcopis gratulatus est et gratias egit per litteras *de cultu Sacratissimi Cordis Jesu amplificando* (1), quibus iterato spem suam repetit « uberes jucundissimosque fructus... in omne genus hominum ex hac solemni oblatione derivaturos », et « ut jam excitata pietas erga sacratissimum divini Cordis stabilis perseveret, imo alatur indesinenter », « sacrorum Antistites vehementer hortatur ut cœptis alacres insistentes ea excogitent et constituant, quæ pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur ».

Quibus in litteris Beatissimus Pater tria quam maxime commendat: Primo ut per **integrum mensem Junium** varia pietatis obsequia divino Cordi publice præstentur. Quare indulgentiis antea a Pio IX, decreto S. Congr. Indulg. 8 Maii 1873 concessis (2) superaddidit indulgentiam 300 dierum toties lucrandam quoties sacris ejusmodi publicis exercitiis fideles interfuerint, plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum præstiterint (3).

Secundo magnopere commendatur praxis **celebrandi primam quamlibet sextam feriam** cujusvis mensis obsequiis in honorem SSi Cordis præstitis, notatim iterata consecrationis formula de qua supra (4), et publica recitatione Litaniarum SS. Cordis. Has **litanias**, privatim jam recitari solitas (5), S. Cong. Rit. revisit, atque « ut numerus triginta trium invocationum in memoriam et honorem vitæ temporalis divini Redemptoris impleretur » sex invocationibus auxit, easque primo pro diœ-

(1) *Collat. Brug.*, IV, p. 551 sqq.
(2) *Raccolta*, ed. 1889, p. 194; *Rescripta authentica S. Cong. Indulg.*, n. 409.
(3) *Collat. Brug.*, IV, p. 553.
(4) Quam vide ap. *Collat. Brug.*, IV, p. 422.
(5) Cf. *Historique des litanies du S. Cœur* dans *Le Messager du S. Cœur*, Juin, 1902, pp. 355-358.

cesibus Massiliensi et Augustodunensi et toto ordine Visitationis B. M. V., (1) dein pro aliis diœcesibus, v. gr. Brugensi (2), tandem pro universo Orbe christiano probavit, in Ecclesiis et Oratoriis publice recitari et decantari permisit et indulgentia 300 dierum ditavit (3).

Ad fovendam hanc praxim celebrandi primam feriam VI mensis, jam olim, præter indulgentiam plenariam concessam sodalibus confraternitatis SS. Cordis (4), impertiverat Leo XIII indulgentiam plenariam sub conditionibus ordinariis adipiscendam ab omnibus Christifidelibus qui in prima feria VI cujusvis mensis infinitam SS. Cordis Jesu bonitatem paululum meditarentur (5).

Tertio Beatissimus Pater exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientiisque dant operam, in eas societates congregentur quæ pii **cœtus** vel **sodalitia a Sacro Jesu Corde** nuncupantur (6).

III. Exinde plura alia obsequia erga SS. Cor Jesu probavit et commendare dignatus est.

1. Decreto S. Cong. Indulg. 14 junii 1901 concessa est indulgentia 50 dierum semel in die lucrifacienda a recitantibus **orationem** jaculatoriam: « Laus, honor et gloria divino Cordi Jesu! » (7)

2. **Scapulare SS. Cordium Jesu et Mariæ**, juxta formam quam supra p. 262 descripsimus, authentice approbatum fuit decreto S. Congr. Rituum 4 aprilis 1900, quo simul statuuntur ritus et formula benedictionis et impositionis præfati scapularis (8). Illud autem gestantibus

---

(1) Decr. S. Cong. Rit. 27 Junii 1898, apud *Collat. Brug.*, IV, p. 178.

(2) Rescr. S. Cong. Rit. 13 Januarii 1899. Ibid.

(3) Decr. S. Cong. Rit. Urbis et Orbis, 2 Aprilis 1899, ap. *Collat. Brug.*, IV, p. 363.

(4) Cf. *Collat. Brug*, I, p. 150.

(5) Cf. *Collat Brug.*, II, 630. Cf. concessionem specialem pro anno 1901, *Collat. Brug.*, VI, p. 148.

(6) *Collat. Brug.*, IV, p. 553.

(7) *Analecta ecclesiastica*, 1901, p. 356.

(8) *Anal. ecclesiast.*, 1900, p. 262.

concessæ fuerunt multiplices indulgentiæ brevi apostolico diei 17 martii 1901 (1).

2. Per Breve apostolicum diei 13 Martii 1902 (2) conceditur in perpetuum Moderatori Generali congregationis SS. Cordium facultas erigendi ubique terrarum, servatis de jure servandis, pias **Uniones sub titulo SS. Cordium Jesu et Mariæ**, eisque communicandi indulgentias, quæ in novo Summario authentico a S. Congr. Indulg. die 14 Martii 1902 approbato (3) colliguntur.

3. Jam olim R. P. Gallifet S. J., qui magno zelo promovit devotionem erga SS. Cor Jesu, exaraverat **parvum officium SS. Cordis**. Illud nuper in meliorem formam redactum, a S. Cong. Rituum decreto 26 Febr. 1901 (4) authentice recognitum et ad usum tam publicum quam privatum approbatum fuit. Recitantibus autem illud officium parvum, concessit Romanus Pontifex, per breve apostolicum diei 12 Dec. 1901 (5) indulgentiam 200 dierum singulo die quo illud egerint, dummodo insuper ad mentem Pontificis oraverint.

4. Desiderio obsecundantes ipsius Christi Domini qui, testante B. Margarita Maria, « exoptat ut amici sui imaginem Sacratissimi Cordis super cor suum deferant », mox plures fideles supra pectus gerere cœperunt pannulum laneum albi coloris, referentem emblema ipsius Cordis Jesu, depictum ad normam illius imaginis quam ipsa B. Margarita Maria delineaverat. Decursu temporis, maxime post pestem Massiliensem anni 1730, latius propagata hæc pia consuetudo, anno 1872 ditata est a Pio IX indulgentia 100 dierum concessa iis qui imaginem Sacri Cordis gestantes recitarent *Pater*, *Ave* et *Gloria* (6). Brevi post pannulus ille formá mutatus est

(1) *Collat. Brug.*, VII, p. 260.
(2) *Anal. eccles.*, 1902, p. 110.
(3) *Anal. eccles.*, 1902, p. 128.
(4) *Anal. eccles.*, 1901, p. 255.
(5) Ibid , 1902, p. 53. Cf. *La récitation de l'office du S. Cœur* dans *Le Messager du Cœur de Jésus*, Juin 1902, pp. 321-330.
(6) Cf. *Anal. eccl.*, 1901, p. 359.

in proprie dictum **scapulare SS. Cordis Jesu**, quod SS. D. N. Leo XIII approbare dignatus est, decreto S. Cong. Rit. diei 4 Aprilis 1900 (1) cui adnectitur ritus et formula benedicendi ac imponendi dictum scapulare.

Præfato decreto sequens præscribitur scapularis forma: « Hoc scapulare conficitur ex binis de more partibus laneis albi coloris, per duplicem chordulam seu vittam conjunctis, quarum una habet emblema Sacri Cordis Jesu, prouti pingi solet, altera autem refert imaginem B. Mariæ V. sub titulo *Mater Misericordiæ* » (2).

Facultas benedicendi et imponendi hoc scapulare concessa fuit Moderatori Oblatorum Mariæ Immaculatæ necnon rectoribus Basilicæ Montis Martyrum (Montmartre) Lutetiæ Parisiorum, Sanctuarii de Paray-le Monial et Ecclesiæ vulgo della Pace in Roma (3).

Per breve apostolicum diei 10 Julii 1900 (4) indulsit SS. D. N. Leo XIII gestantibus scapulare Sacri Cordis plurimas indulgentias tum plenarias tum partiales, quas dein S. Congr. Indulg. collegit in Summarium authenticum, die 13 Augusti 1900 approbatum (5).

**Scholion de imagine SS. Cordis.**

Apud fideles SS. Cordi Jesu devotos usus invaluit ut in superliminaribus domorum vel cubiculorum apponerent imaginem quamdam SS. Cordis, quatenus ita seipsos suasque domos speciali patrocinio Christi Domini committerent. Originem ducunt illæ imagines vel a Paray-le-Monial vel a Monte Martyrum in civitate Parisiensi. Sed in eis depingitur dumtaxat solum Cor Jesu sejunctum a pectore et corpore Christi. Unde pluribus ortum et nobis propositum est dubium utrum

---

(1) *Anal. eccl.*, 1900, p. 206.
(2) *Anal. eccl.*, 1900, p. 206.
(3) Ibid. p. 206.
(4) Ibid. p. 330.
(5) Ibid. p. 358.

non reprobentur imagines vel tabulæ quæ solum Cor Jesù exhibent.

Cui quæstioni apte respondet decisio S. Congreg. Univers. Inquisitionis, diei 26 Aug. 1891, citata in statutis Synodi diœcesanæ Ostiensis et Veliternæ (1):

« Tabulæ exhibentes solum Cor Jesu, etiamsi sacris emblematibus insignes, *privatæ tantum devotioni* permittuntur, at *publicæ venerationi* exponendæ vetantur. »

Patet praxim de qua quæritur pertinere ad devotionem privatam et proinde esse omnino licitam. Præterea ex actis Sedis Romanæ circa scapularia SS. Cordis Jesu et SS. Cordium Jesu et Mariæ luculenter apparet praxim privatim colendi imaginem solius Cordis Jesu vel utriusque Cordis Jesu et Mariæ sejuncti a corpore Christi Domini ejusque Matris sanctissimæ non mere tolerari sed positive probari et commendari.

C. C.

---

(1) Ap. *Nouv. Rev. Théol.*, XXVI, 1894, p. 316. Eodem modo jam quæstionem diremerat S. Congr Rituum, die 5 Aprilis 1879:

« Utrum approbanda tolerandave sit effigies satis late vulgata, duorum Cordium ejusdem magnitudinis, ejusdem decoris et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia B. Margaritæ Mariæ Alacoque revelatione depingendum exhibetur; alterum autem immaculatum Cor Beatæ Mariæ Virginis exprimit rosea corona redimitum et gladio perforatum: utroque interdum radiis ejusdem, ut aiunt, gloriæ circumcincto? »

Resp.: « Ejusmodi emblemata *privata ex devotione permitti posse;* dummodo altaribus non apponantur. »

# Ex Sacra Congregatione Rituum

## I

## ROMANA.

Hodiernus Moderator Piæ Unionis Primariæ Sacratissimi Cordis Jesu, ad Sanctæ Mariæ de Pace in Alma Urbe constitutæ, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia sibi proposita pro opportuna resolutione humiliter exposuit; videlicet:

I. Utrum indultum de Missa votiva Sacratissimi Cordis Jesu in prima Feria VI cujusque mensis juxta decretum Urbis et Orbis, nº 3712, diei 28 Junii 1889, valeat etiam pro Ecclesiis ubi unus tantum sacerdos adest, qui Missam conventualem officio convenientem celebrare debet?

II. Utrum præfata Missa votiva celebrari possit diebus festis de præcepto in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui applicare tenetur pro populo?

III. Utrum eadem Missa dici possit in Festo Purificationis B. M. V., cum hoc Festum incidit in supradictam Feriam VI?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. *Negative.*

Ad III. Item *Negative*, attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. M. V. æquiparatur Festo Domini. (1)

Atque ita rescripsit, die 27 Martii 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

(1) Vide dicta de eadem missa SS. Cordis prohibita in vigilia Epiphaniæ Domini, supra p. 155, 2º.

## II

## AUGUSTANA.

R. D. Pacificus Garin Parochus loci Sancti Eugendi diœceseos Augustanæ, de consensu R^mi sui Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime proposuit; videlicet:

I. In exequiis, antequam cadaver efferatur debetne cani vel tantum recitari Psalmus *De profundis?*

II. In officiis mortuorum extra diem obitus, seu depositionis defuncti, sumi ne debet semper nocturnum, quod feriæ occurrenti respondet, sint onera adimplenda fixa vel adventitia?

III. Potestne cani vel saltem recitari submissa voce Responsorium *Libera* in die dominica, quando hæc concurrit cum festo duplici 1^æ vel 2^æ classis?

IV. Quando festum Annuntiationis incidit in hebdomadam majorem, potestne transferri etiam quoad solemnitatem, ad alium diem?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II: *Affirmative* juxta decreta N. **3691**, *de Guatemala*, 22 Julii 1888, ad III: et N. **3764**, *Lincien.* 6 Februarii 1892, ad V.

Ad III: Detur decretum *Romana — Resolutionis Dubiorum*, 12 Julii 1892, ad VIII.

Ad IV: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 11 Aprilis 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**Adnotationes.** Ad II. Decretum citatum N° 3691, 22 Julii 1888 ad III ita habet: « Ex consuetudine unum tantum nocturnum in exequiis canitur: licetne primum semper assumere? an debet illud potius cani quod feriæ occurrenti respondet »? R. « Canendum nocturnum

feriæ occurrentis: nisi sit dies obitus, in quo servandum Rituale. » — Decretum autem nº 3764, 6 Feb. 1892, ad V. ad quæstionem: « In exequiis pro depositione defuncti, quando unicum recitatur nocturnum, debet-ne dici illud quod feriæ currenti respondet » ? rescribit: « Dicatur primum nocturnum. » Ex diversis ergo illis decretis et ex dispositione Ritualis Tit. VI, cap. 3, nº 16, et Breviarii. *Off. Defunct.* sequitur: quando unum tantum nocturnum officii defunctorum dicitur, illud in exequiis diei obitus seu depositionis (corpore physice vel moraliter præsente) esse primum; in aliis autem (v. gr. in anniversario) sumi debere nocturnum feriæ correspondens (1). Notatur juxta decr. 6 Feb. 1892 ad VI. quotiescumque dicitur *horis vespertinis*, unum nocturnum defunctorum quod feriæ respondere debet juxta rubricam Breviarii (extra diem obitus), illud respondere debere feriæ qua canitur missa; v. gr., quando anniversarium celebrandum est sabbato, et pridie feria VI vespere jam persolvitur officium defunctorum, dicendum est tertium nocturnum conveniens sabbato.

Ad III. En decretum ad quod in responso remittitur: « Num absolutio pro defunctis fieri vel responsorium super sepulturam cantari quotidie possit: maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas? R. Affirmative; exceptis tamen duplicibus primæ classis in quibus absolutio et responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere horas canonicas. Quod si diebus permissis de mane fiant, nunquam post missam de die, nisi omnino independenter ab eadem ».

H. V. D. W.

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen.* 1896, p. 257.

# Jurisprudence administrative

## Fabrique d'église. — legs de bijoux pour en orner une statue de la vierge.

*Arrêté royal du 5 avril 1902.*

LÉOPOLD II,... etc., vu l'expédition du testament reçu, le 9 janvier 1900, par le notaire Van Caillie, de résidence à Bruges, et par lequel Mlle Sophie Rotsaert, sans profession, demeurant à Bruges, dispose notamment comme suit :

*Traduction.* « ... Je veux qu'une fondation perpétuelle soit établie dans l'église paroissiale du Saint-Sauveur, afin qu'à perpétuité et chaque année, un service solennel y soit célébré le jour ou vers le jour anniversaire de mon décès, à dix heures, pour le repos de mon âme et de celles de mes parents et sœurs prédécédés. L'argent nécessaire doit être prélevé.

» ... Je donne tous mes bijoux à la fabrique de l'église du Saint-Sauveur pour en orner la statue de Notre-Dame des Petits Aveugles. »

Vu les délibérations en date des 18 mai et 30 décembre 1901, par lesquelles le bureau des marguilliers de l'église cathédrale du Saint-Sauveur sollicite l'autorisation d'accepter : 1° un capital de 2,000 francs dont le revenu devra servir à l'exonération des services religieux prémentionnés ; 2° le legs des bijoux qui lui est fait, lesquels sont évalués à 335 fr. 14 ;

Vu les avis de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial de la Flandre occidentale, en date des 9 décembre 1901, 13 et 24 janvier 1902 ;

Vu les articles 910 et 937 du code civil, 59 et 113 du décret du 30 décembre 1809, ainsi que le tarif du diocèse de Bruges, approuvé par Nous le 22 février 1880 ;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

[illegible] arrêts et arrêtés.

[illegible] — [illegible] [illegible] autorise à [illegible] [illegible] [illegible]

# Consultation.

Q. On demande si, en cas d'incendie du presbytère, le curé est responsable des dégâts vis-à-vis de la commune ou fabrique propriétaire, ainsi qu'à l'égard des voisins ; en d'autres termes, si les articles 1733, 1382 et 1383 lui sont applicables.

R. L'excellente *Revue canonique de droit* vient de résoudre cette question dans le sens affirmatif (T. V., p. 17) : nous croyons ne pouvoir mieux répondre à notre honorable consultant qu'en reproduisant ici l'article de la susdite revue :

Aux termes de l'article 1733 du Code civil, le locataire d'une maison répond de l'incendie, à moins qu'il ne prouve « que l'incendie est arrivé par cas fortuit ou force majeure, ou par vice de construction, ou que le feu a été communiqué par une maison voisine ... Il y a donc présomption légale que le sinistre est causé par la faute ou la négligence du locataire ; cette présomption ne peut être détruite que par la preuve contraire, sauf quoi le locataire est tenu d'indemniser le propriétaire de tous les dégâts causés à l'immeuble.

Les voisins pourront également exercer un recours du chef des dégâts produits par l'incendie, en vertu des articles 1382 et 1383 du Code civil, qui rendent chacun responsable du dommage causé, non seulement par sa faute, mais encore par sa négligence ou son imprudence. Ces risques sont ordinairement compris dans les contrats d'assurance : les Compagnies garantissent le locataire, moyennant une prime spéciale, contre le recours du propriétaire et le recours éventuel des voisins.

Cette double responsabilité est-elle encourue également par celui qui occupe gratuitement une habitation en vertu de ses fonctions, et notamment par le curé du chef de son presbytère ? La question doit être résolue affirmativement.

M. le Ministre de l'Intérieur a répondu récemment en ce sens pour ce qui concerne les instituteurs occupant gratuite-

ment des immeubles appartenant aux communes. Le droit d'occupation des curés ou desservants a été souvent assimilé à celui d'un locataire, bien qu'il existe des différences très notables (V. *Pacaud*, II, 174). Mais quoique l'article 1733 se trouve placé au Titre du contrat de louage, il n'est que l'application d'un principe général, en vertu duquel celui qui détient la chose d'autrui est tenu de la rendre dans l'état où il l'a reçue, à moins de prouver que les détériorations sont survenues sans qu'il y ait eu faute de sa part. On peut ajouter que, dans la plupart des cas, l'incendie proviendra de la négligence ou de l'imprudence des habitants de la maison ou des gens de service; la loi a voulu consacrer cette présomption pour ne pas rendre illusoire le droit de recours du propriétaire, s'il était tenu à prouver la faute. Ces motifs s'appliquent aussi bien à l'occupant à titre gratuit qu'au locataire.

La même responsabilité continue d'exister si le propriétaire a fait assurer lui-même son immeuble; dans ce cas la Compagnie d'assurance est substituée au propriétaire, pour l'exercice du droit de recours conféré par l'article 1733.

Les curés ou desservants ont donc tout intérêt à comprendre, dans leurs contrats d'assurance, non seulement leurs meubles personnels, mais encore les risques qu'ils auraient à courir du chef de la double responsabilité indiquée plus haut.

Collationes Brugenses

# Acta Congregationis Prosynodalis

## habitæ die 13 Maii 1902, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac Reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ D^nus^ venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

*Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores,*

Alloquentes vos in conventu nostro anni proxime elapsi, ordinem inter varias sacri ministerii nostri functiones servandum exponebamus, ordinem nempe dignitatis atque utilitatis seu momenti rerum efficiendarum, vel ipsa natura vel jussu aut consilio Prælatorum statutum.

Qua in re, dicebamus, manifestum est natura ipsa primum tenere locum officia nostra proprie et stricte sacerdotalia, scilicet offerre, orare, docere, sacra ministrare.

Et primum quidem illorum officiorum, longe præcipuum ac sanctissimum, offerendi sacrificium incruentum novæ legis, jam aliquot ante annos (1), explicandum præoccupavimus; secundum vero, priori affine, videlicet officium orandi, nunc vobiscum attentius considerandum et per vos totius cleri nostri dilectissimi assiduæ meditationi subjiciendum jure merito censuimus.

Equidem, ad hanc materiam versandam satis Nos invitaret vel sola ipsius supernaturalis orationis innata præstantia et efficacia, ejusdemque omni tempore omnesque homines undequaque constringens necessitas; satis superque Nos incitaret sacerdotes præ cæteris longe magis urgens orandi debitum atque indigentia, quippe qui vi sacerdotii constituti sunt in iis quæ sunt ad Deum; qui eo districtius sunt

(1) Anno 1899, V. *Acta Congr. prosyn.* illius anni, et apud *Coll. Brugen.*, tom. IV, pag. 369.

judicandi, quo altiorem in locum fuerint elati, et non modo propriæ sed et aliorum saluti prospicere debent, quorum neutrum absque divino auxilio, petentibus, et lege quidem ordinaria nonnisi petentibus concedendo, effici umquam potest : attamen, præter hæc omnia Nos moverunt ad hanc de oratione tractationem tum præsentium temporum iniquitas, quæ majorem in oratione instantiam expostulat, tum peculiaria quædam hac nostra tempestate adjuncta, quibus, ex adverso, sacerdotum sacro ministerio addictorum animi ab hoc tam necessario orandi officio rite ac fervide adimplendo avocari potius videntur.

Sane nemo diffitebitur haud minora hodiedum esse vel ipsis sacerdotibus quam olim pericula; populo vero christiano evidenter majus esse periculum fidei, cum tamen « fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis : sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire (1). » Nemo quoque non videt ingentia mala et ipsi reipublicæ atque Ecclesiæ impendere, et novos hosque infensissimos ac præpotentes hostes utramque summa vi impetere. Quomodo jam e tantis periculis eripiemur, quomodo tot ac tantos hostes profligare poterimus, nisi auxilio omnipotentis ac miserentis Dei, qui solus dominium habet voluntatum, cujus vero voluntati nemo resistit? Quî autem divinum auxilium obtinebimus, nisi humiliter, ferventer, perseveranter petendo?

Atqui, ex adverso contingit sacerdotes, quum magis instantes esse oporteret orationi, in præsentibus circumstantiis tot exteriorum operum cura distendi, tanta rerum alio spectantium sollicitudine occupari, ut et tempus et animus precandi forte diminuantur, illudque princeps orationis officium minus diligenter, minus fervide, minus accurate adimplendi periculum aliquod suboriri videatur.

Attamen, non modo communis sacerdoti cum quoque fideli orandi necessitas est, cum pro se, tum pro proximo suo; nec imovero tantummodo privatæ orationis necessitas sacerdoti est ac indigentia, eique præ cæteris major quovis tempore, utpote ad majora vocato atque adstricto, cui etiam peculiariter mandatum est de proximo suo; sed et publicæ precationis munus sacerdoti præprimis incumbit.

---

(1) Conc. Trident., Sess. VI, *de Justif.*, c. 8.

Etenim, oratio est actus aliquis cultus divini. Jamvero, Deum colere debet homo, tum cultu interno, quod omni orationi commune est, tum cultu externo, quod inter alia opera oratione vocali præstatur: homo siquidem, non animo solo sed et corpore constans, utroque divinæ majestati servire eamque colere tenetur. Neque solum singuli quique hominum hac internæ ac externæ religionis lege astringuntur, sed cum natura sociabiles sint homines seu ad societatem nati, vel ipsius naturæ lege convictus humanus ad publicum seu socialem cultum Deo deferendum obligatur. Inter actus autem cultus publici est etiam oratio publica, videlicet ab ipsa societate seu Ecclesia Deo offerenda, puta per ministros suos ad id deputatos, inter quos eminet sacerdos, qui jam vi proprii caracteris et muneris *constituitur in iis quæ sunt ad Deum,* ut loquitur Apostolus (1).

Igitur mens nostra est de illa precandi forma excellentissima breviter agere, qua ministri Ecclesiæ aliæque personæ Deo sacræ, præprimis vero sacerdos, diversis titulis, ex Ecclesiæ lege ac mandato, omnium nomine publicæ orationis officio, voce pariter ac mente, funguntur; quaque simul omni necessitati, medii ad salutem atque præcepti, cum pro se tum pro proximo suo, plene satisfacere valent, et auxilium opportunum omnipotentis Dei tam sibi singulisque hominibus quam ipsi Ecclesiæ obtinere.

Officii quidem divini, ut merito pluribusque titulis vocatur, omnimodam præstantiam paucis declarabimus, ex qua rite intellecta sponte effluat conclusio practica: quanto nempe honore quantaque reverentia sit habendum; quanta cura ac diligentia persolvendum; quanta animi devotione quantoque fervore sit orandum.

Itaque Officium canonicum est 1° origine sua et antiquitate summe venerandum; est 2° ipsa substantia sua, et materia, id est, rebus quibus constat, excellentissimum, imo plane divinum; est et 3° forma sua externa miro sanctoque artificio concinnatum: cum varietate in unitate, cum distributione aptissima ad circumstantias modumque orandi, necnon ad tempora varia tum anni tum diei cujusque, cum

(1) *Ad Hebr.*, V, 1.

successione orantium et temporum in laude tamen perenni; ita ut sub his etiam rationibus sit salutis documentis et mysticis significationibus refertum, sitque natum orationem seu verum genuinumque orandi spiritum suaviter æque ac efficaciter alere atque fovere.

I.

Oratio vere et stricte publica, scilicet ipsius communitatis qua talis, in sancta Ecclesia catholica semper viguit; et ipsis quidem in primordiis, tota communitas, fidelium et pastorum, per se ipsa hoc munere publicæ precationis fungebatur, cum fideles tanto numero et tali conditione cum suis præpositis convenirent ut vere Ecclesia congregata censeretur. Quod quidem vel sola historia captivitatis hierosolymitanæ S. Petri luculenter demonstrat, in libro Actuum Apostolorum narrata, ubi totum corpus mysticum pro capite orasse legitur. « Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo (1). »

Hunc autem morem communis et publicæ orationis primos christianos, ipsorum Apostolorum exemplo et hortationibus impulsos, servasse, ex diversis locis ejusdem libri Actuum Apostolorum (2), necnon epistolarum S. Pauli (3) omnino constat. Jamvero, easdem preces communes in conventibus publicis fidelium constitisse cantu psalmorum et hymnorum, lectione sacrorum librorum, nempe veteris fœderis, quibus mox legenda addita sunt scripta novi testamenti, evangelia, epistolæ Apostolorum, necnon horum discipulorum ac successorum (4), puta Polycarpi, qui, *ait Hieronymus*,

---

(1) *Act. Apost.*, XII, 5.

(2) II, 42, 46, 47; III, 1; X, 9; XVI, 25.

(3) *Ad Ephes.*, V, 18-19; *Ad Coloss.*, III, 16.

(4) Mirum primo intuitu videri posset in nostro breviario romano scripta horum Patrum duorum priorum sæculorum jam non recitari, sed solummodo posteriorum a tertio sæculo et deinceps. Ast, ne miremur, attendamus ad hæc: breviarium nostrum hodiernam formam induere cœpisse, auctoribus Romanis Pontificibus, solum a sæculo quinto mediante cum S. Leone Magno et S. Gelasio I. Porro, Pontifices primævas quidem preces publicas et distributionem horarum quoad substantiam retinuerunt, scil. psalmos et cantica atque lectionem S. Scripturæ cum

*in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis*, scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur, Ignatii martyris, Irenæi, Clementis, Hermæ, cujus liber *Pastor* inscriptus in pluribus ecclesiis post libros sacros legebatur, aliorumque postea Patrum; his, inquimus, constitisse preces communes Ecclesiæ notum est ex pluribus antiquis certisque documentis, actis nempe conciliorum et priscorum Patrum scriptis, quæ longius esset recitare, copiose autem relata invenire est apud varios theologos et canonum interpretes, quos inter Ven. Bellarminum (1) et Thomassinum (2) indicamus. Imo, vel ipse Apostolus Paulus duplici loco (3) memorat orationem « in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus ». Et S. Scripturas in conventu fidelium legi solitas fuisse ipse S. Petrus insinuat, cum de epistolis S. Pauli ait iis inesse « quædam difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem (4). » Idem vel ex eo deducitur quod ad ecclesias Apostoli direxerint suas epistolas.

---

ordinatione secundum *Apostolicas horas*, ut easdem vocat Tertullianus, *l. de jejun., c.* 10 *et* 11; alia vero scripta, qualia post libros sacros legi solebant, non quidem respuerunt et resecarunt omnino, sed, delectu facto, ad specialem usum adaptarunt, aptissime quidem, videlicet non jam quasi per se legenda adhibuerunt sed ut interpretationes lectæ Scripturæ, ut explicationes mysterii, festi, etc. Ex quo factum est ut potius sermones et homiliæ usui essent, et sponte excederent plura, utputa apologetica, epistolæ, quæ cæterum speciales sæpe circumstantias aut particulares ecclesias, in quibus primitus legebantur, respiciebant. Hujusmodi autem sunt pleraque scripta Patrum primi ac secundi sæculi; quorum tamen quædam a Patribus posterioribus citata in breviario nostro conservata sunt, ut est epistolæ S. Ignatii martyris ad Romanos locus, qui 1ª Februarii legitur, a S. Hieronymo recitatus.

Et ea forte ratio fuit priscis illis Romanis Pontificibus non inserendi breviario Patrum priorum sæculorum scripta, quasi per se et seorsim legenda, ne videlicet ea scripta confunderentur a quibusdam cum canonicis Scripturis. Reipsa S. Gelasius I ipse in Romana synodo cum apocryphis scripturis adnumeravit « Pastorem » Hermæ qui, ut diximus, in pluribus ecclesiis legebatur, non quod eum noxiæ doctrinæ esse judicaret, sed eo quod esset iste liber extra canonem librorum divinorum, cui eum quidam inserendum putarunt.

(1) *Controv., de bonis oper. in part.*, l. I, c. 13 et 14.

(2) *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina* etc., parte I, l. II, c. 71 et sqq. — Universa quasi monumenta et literaturam de breviario recenset A. de Roskovány, Episc. Nitriensis, in opere *Cœlibatus et breviarium*, tom. V.

(3) Jam cit. in nota præc. pag. (3). Et cf. Tertull., *l. de oratione*, c. 27.

(4) *II Petri*, III, 15 et 16.

Cæterum nullum dubium est solemne fuisse in conventibus seu precibus communibus primorum christianorum, tum Scripturas legere, quemadmodum et in synagogis per omne sabbatum legebantur (1), tum psalmos decantare, ad imitationem concentuum templi hierosolymitani, ita quidem ut et horæ orationis in veteri lege statutæ observarentur, eædem, saltem partim, quæ in officium divinum, ut adhuc nunc est, transierunt, idque rursus præeuntibus exemplo Apostolis: nam et hora tertia (2) in oratione congregati acceperunt Spiritum sanctum, et ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam (3), Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam (4). Unde videmus etiam nexum novam inter et antiquam legem, quod orationem publicam, imo et modum ac tempus orandi attinet, non deesse.

Ex his non obscure elucet summa divini Officii antiquitas, ejusque origo Apostolica, ita ut optima ratione Augustinus, postquam inter varia instituta ecclesiarum, quid retinendum sit regulam enuntiaverat, hæc de re nostra addiderit: « Maxime illud (faciendum) quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis et psalmis canendis, cum et ipsius Domini et Apostolorum habeamus documenta et exempla et præcepta (5). » Quæ verba recitans Thomassinus æquali jure subjungit: « Cum ergo psalmos et hymnos cum Apostolis Christus decantaverit et de spiritali psalmorum cantu crebra sit apud Paulum mentio et commendatio frequens; similius veri est hæc ecclesiasticæ psalmodiæ primordia fuisse, primum in ecclesia Palestinæ, ex Salomonis templo ejusque concentibus, et tum deinde in orientalibus ecclesiis universis (6). » Ex quibus ad occidentales transierunt. Neque hoc latuit eruditissimum Card. Newman, qui diu ante conversionem de breviario nostro scribebat in hæc verba: « Non est, quoad substantiam et distributionem horarum, nisi

(1) *Act. Apost.*, XIII, 15, 27; XV, 21; XVII, 2.
(2) *Act. Apost.*, II, 15.
(3) Ibid., X, 9.
(4) Ibid., III, 1. — Et cf. Tertull., *l. de orat.*, c. 25; et S. Cyprianum, *l. de orat. dominica*, XXXIV-XXXVI.
(5) *Epist.* 119 (al. *lib. ad Januarium*), c. 18.
(6) Op. et loc. cit., c. 71, n. III.

continuatio systematis cujusdam precum, originem ducentis a temporibus apostolicis (1). »

Hæc quidem de oratione publica, qua primitus Ecclesia per seipsam orabat, sponte quidem, exemplis et hortationibus Christi et Apostolorum impulsa. Porro, ampliata et per orbem diffusa, ut sufficienter oraret per seipsam, id est, per filios suos omnes, particularibus cœtibus congregatos, jam propter humanam infirmitatem vitæque necessitates fieri non poterat. « Necesse ergo fuit ut ministris ad hoc electis committeretur munus precandi pro Ecclesia, quatenus est corpus mysticum. Jamvero illi, qui specialiter apti sunt ad hoc munus recipiendum digneque exsequendum, sunt sacerdotes et qui ad sacerdotium accedunt, scilicet personæ ecclesiasticæ. Sacerdos enim *constituitur in iis quæ sunt ad Deum*... Unde Apostoli, crescente numero discipulorum, alios sibi substituerunt super mensas, ut *instantes* essent *orationi et ministerio verbi*. Act., VI, 1-4 (2). » Ubi merito notamus quod Suarez scribit: « Licet sacerdotium a Christo Domino in Ecclesia sit institutum, ac subinde ex ejusdem Christi ordinatione habeat sacerdos evangelicus ut possit in ejus persona offerre et orare, et impetrare nomine illius, ultra hoc etiam habet, ex institutione et commissione Ecclesiæ, ut suo nomine pro se et suis filiis ac membris oret... Ut autem talis minister auctoritatem ad sic orandum ab Ecclesia accipiat, non est necesse ut per suffragia singulorum illam recipiat, sed satis est quod auctoritate suprema et publica totius Ecclesiæ illam habeat (3). »

Ex quibus omnibus dilucide demonstratur Officium divinum esse orationem publicam, tum antiquitate et origine apostolica summe venerandam, tum publica auctoritate Ecclesiæ ministris suis, præprimis sacerdotibus, ad exemplum rursus Apostolorum, commissam, ut eamdem tamquam veri legati, nomine omnium, ac publici deprecatores, et quasi successores Apostolorum, Deo jugiter offerant.

Quanta igitur veneratione, vel ex hac sola consideratione, breviarium nostrum attrectabimus. Quanta reverentia, devo-

---

(1) *Traités pour les temps présents*, t. III, 373.

(2) Bouquillon, *De Virt. relig.*, l. II, p. I, c. II, a. 2, § 1, n. 229.

(3) *De Relig.*, tr. IV, lib. IV, c. 1, n. 11.

tione et fiducia orabimus, tamquam legati Ecclesiæ sanctæ, quæ semper exauditur, utpote sponsa Christo semper accepta, intime etiam conjuncti cum omnibus membris Ecclesiæ, præprimis cum ministris ejus in toto orbe indesinenter easdem preces orantibus, et cum ipsa curia cœlesti, quinimo et intime uniti ipsi Christo Ecclesiæ sponso et capiti omnium hominum et Angelorum, *quem advocatum habemus apud Patrem* (1), quique est *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (2). Quanta demum cura et alacritate hoc magnum recitandi Officii divini præceptum, pensumque nostrum quotidianum adimplebimus, « cum illud de horarum canonicarum lectione Ecclesiæ institutum non debeat haberi nec dici præceptum omnino humanum, *ut loquitur Clichtoveus noster Neoportuensis* (3), sed partim divinum et partim humanum. Divinum quidem: quia ex iis quæ sacræ exprimunt litteræ quoquo modo est deductum; quemadmodum et cætera id genus Ecclesiæ statuta, aut ex verbis aut factis in divina contentis Scriptura sumpserunt suæ constitutionis occasionem et exordium, quamdamque habent ad sanctorum eloquiorum paginam reductionem. Humanum vero, quia ab hominibus Ecclesiæ sanctæ moderatoribus præcipuis, non accepta a Deo exteriore jussione, est primo promulgatum et positum. Quoniam tamen non defuit interior eorum præceptor et magister, Spiritus sanctus, cujus inspiratione et magisterio constitutum est id decretum de legendis horis canonicis, ipsum magis ad divini quam humani præcepti naturam conditionemque accedit, habendumque est propemodum ut divinum præceptum. »

Quanta denique puritate animi et corporis offerre conabimur hanc orationem vocalem et publicam qua, mente et voce, interne et externe Deum tamquam sacerdotes et publici deprecatores colimus, cum, ut habetur in Decreto Gratiani, p. I, dist. 31, 2 p.: « Causa... hujus institutionis (de continentia scil. sacerdotum) munditia sacerdotalis fuit: ut libere cunctis diebus vitæ suæ orationi possint vacare. Si enim, ut Paulus ait (4), ab uxoribus est cessandum, ut expeditius

(1) 1 *Jo.*, II, 1.
(2) *Ad Hebr.*, VII, 25.
(3) In *Antilathero* suo, lib. II, c. 25.
(4) 1 *Cor.*, VII, 5.

orationi vacemus : ministris utique altaris, quibus quotidiana necessitas orandi incumbit, numquam conjugali officio vacare permittitur. » Et notatu dignum est, quod observat Bacuez (1), simul cum cœlibatu et breviarium abjecisse ac impugnasse Reformatores hæreticos. Sint ergo, non solum pura mens, sed pura sint os, lingua, labia laudantium Deum, sint puræ manus ad cœlum elevatæ, sit totum corpus castum et immaculatum, sint omnia munda, *quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (2).

II.

Secundo jam, inspiciamus divinum Officium in se. Si tamquam actus in propria substantia consideretur, excellentiam habet omni actui supernaturali communem, quæ quadamtenus divina est, cum actus supernaturalis sit quasi divino-humanus, nonnisi excitante et adjuvante gratia Spiritus sancti elicitus. Habet excellentiam actui divini cultus propriam, eamque excellentissimo gradu, cum sit actus cultus tum interni, tum externi, nec modo privati sed et publici. Habet excellentiam et efficaciam, quæ omni orationi competunt, quæ singulis fere sacrorum librorum paginis celebrantur, et tam copiose ac dilucide a Patribus exponuntur. Ex his unum audiamus, quoniam hic locus nec tempus est hanc generalem doctrinam ulterius exponendi, videlicet Joannem Chrysostomum : « Magnum, *ait,* telum est oratio, thesaurus indeficiens, divitiæ inexhaustæ, portus fluctibus vacuus, occasio tranquillitatis : innumerabilium bonorum radix, fons et mater est oratio, ipsoque regno potentior..... Quodque non divitiæ potuerunt, non ministrorum frequentia, non medicinalis experientia, non regius fastus, hoc sæpe potuit unius pauperis et inopis oratio (3). »

Adde, quod supra satis exposuimus, sacerdotem, cum orat divinum officium, ipsam sanctam, universalem Ecclesiam repræsentare, publicumque esse deprecatorem ; eumque esse intime conjunctum in orando cum omnibus membris Ecclesiæ, præprimis cum cæteris ejus ministris, qui ubique

(1) *Le Saint Office,* page 25, note 3.
(2) 1 *Cor.*, VII, 35.
(3) *Hom. V de incomprehensibili,* n. 6. Et cf. Tertul., *l. de orat.*, c. 29.

terrarum, die noctuque sine intermissione eamdem illam Ecclesiæ vocem promunt, eamdem orationem Deo semper exaudibilem offerunt, sicut et Angelorum et sanctorum cælorum sedes « semper resultat laudibus, cui canentes jungimur, almæ Sionis æmuli (1). »

Quam cælum, quam sublime hoc sacerdotalis orationis officium!

Quod autem in specie vim et efficaciam, fructusque divini Officii attinet, sufficiat uno verbo addere omnem ei inesse efficaciam eminenti modo, quam oranti inesse fusius exponunt plerumque theologi, ubertimamque hauriunt e fontibus revelationis, cum hujus rei plenæ sint Scripturæ, venerandique Patrum vadimecum, ipsa quoque illustris sit pietatis prorsus ac doctrinæ Ecclesiæ, et vel ipsi universorum fidelium sensus atque agendi ratio.

Si autem, qua precatione publica est oratio, ejus vim et fructus dumtaxat velis, ad Ecclesiæ necessitates immensas et innumeras avertendas, quibus oratio divini Officii subvenit. Eget Ecclesia moderatoribus sanctis, summo Pontifice, Episcopis, sacrisque ministris, sacerdotibus aliisque: eget ferventibus familiis religiosis, animabusque sanctis; eget unione membrorum cum capite et inter se, necnon pace cum potestatibus sæcularibus: eget diffusione inter omnes gentes: hisque omnibus eget constanter. Quot autem omne genus et quam potentes hostes vincendi, quot opera promovenda! Quis immensitatem harum rerum dimetiatur, in quibus oratio divini Officii omnipotentis Dei auxilium efficaciter impetrare valet?

Præterea, utrumlibet propriam publicæ orationis nullatenus impedire quin privatim debito orandi satisfaciat sacerdos, et suis suorumque privatis necessitatibus quoque subveniat, nemini dubium esse potest. Qui nomine omnium et pro omnibus orat, ipse nihilominus orat, et pro se efficaciter, imo et efficacius, teste S. Gregorio Magno (2), orat. Hac in re de divino Officio valent quæ de sacrosancto sacrificio offerendo docent omnes. Nihil prorsus obstat, quin sacerdos

---

1 Hymnus Dedicat. eccl., ad laudes.

2 Mor. l. XXIV c. 7, in Job XLII 21. « Plus enim pro se valere precantur quam ipse, qui haec et alia impendit. »

suas, ut ajunt, privatas etiam intentiones inter orandum Officium habeat Deoque offerat.

Quin imo, horæ canonicæ ex se peculiaria commoda et personalia sacerdoti oranti afferre natæ sunt haud pauca nec parum pretiosa. Ut nempe sacerdos semper memor sit conditionis suæ: admonet enim nos breviarium de arctiori vinculo quo cum Domino præ cæteris constricti sumus, ut omni mentis dissipatione fugata, omnique sensu mundano deposito, cogitatio nostra sit apud Altissimum, simusque semper parati ad colloquium divinum et ad standum mandatis Domini. Nihil magis quam hæc quotidiana observatio horarum spiritum orationis fovet et perseverantiam orandi significat atque efficit, ita ut merito sacramentum orationis vocari possit divinum Officium.

Nonnumquam vel ipsi quidam sacerdotes, quod mirum videri debet, conqueruntur de difficultate orationis mentalis seu sanctæ meditationis, aut ægre materiam meditandi se reperire fatentur: atqui singulis diebus in breviario suo materia ampla ipsis præsto est, tum in psalterio, in hymnis et canticis, tum in variis orationibus vel et antiphonis ac versibus, tum in prælecta divina scriptura, sermonibus Patrum, vitis sanctorum.

Neque hoc prætereundum est, cum officia offerendi et orandi sint valde affinia (1) et quasi partes ab antiquo unius liturgiæ seu publici cultus et orationis, recitationem horarum utilissime et convenientissime considerari posse et debere tum partim ut præparationem ad actum sacratissimum litandi, quare etiam ex Ecclesiæ præcepto officium matutinum cum laudibus ante sacrum recitari debet, tum partim ut continuationem sacrificii, ut jugiter Dei cultus per sacrificium labiorum perseveret apud singulos nostrum, ut fructus incruenti mysterii altaris uberiores percipiamus ac continuo quasi gustemus, atque in gratiarum actione semper maneamus. — Faxit Deus ut pium studium ac sancta meditatio rerum divinarum, devota recitatio horarum, fervens oblatio

---

(1) Urbanus VIII. Const. *Si quid est*. Missali romano præfixa, vocat Missæ sacrificium et Officium divinum : « hasce quasi alas, quas sacerdos instar Cherubim prisci mystici tabernaculi quotidie pandit ad verum mundi Propitiatorium, (quas, decet esse plane geminas atque uniformes. »

divini sacrificii, intime connexa, apud omnes sacerdotes in unum convergant: ibi salus Cleri et totius populi.

Si nunc Officium divinum ex parte materiæ, seu rerum quibus constat, quodque ipsi omnino proprium est, respiciamus, nonne stricto sensu divina est, primo quidem, oratio dominica, qua omnes horæ incipiuntur ac finiuntur, de qua præclare Tertullianus: « Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, evangeliorum, apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta! Quot simul expunguntur (i. e. implentur) officia! Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, et de spiritu ipsius jam tunc, cum ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit (1). »

Nonne compendium totius divinæ revelationis complectitur Symbolum, quotidie in initio utriusque Officii tum nocturni ad Matutinum, tum diurni ad Primam et alias pluries recitandum?

Nonne proprie divinum est Psalterium, divinæ lectiones cæterarum Scripturarum, ita ut psallentes quasi proprio ore divino psallamus; atque oremus non solum excitati et adjuti gratia sancti Spiritus, qui ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (2), sed et ejusdem Spiritus verbis.

Nonne reliqua omnia divinis eloquiis saltem plena sunt?

Porro lectio vitæ Sanctorum quot modis nos ad divinum cultum et sanctimoniam excitent, præclare exponit Clichtoveus (3): « Certe ex commemoratione sanctitatis vitæ et felicis obitus Beatorum, mens legentis internam plerumque sentit compunctionem, cum humiliter de se sentiens, percipit suam vitam multum esse ei quam legit dissimilem ac disparem. Solvitur interdum etiam in dulces lacrymas, in singul-

---

(1) *Lib. de orat.*, c. 9; in quo libro integra oratio dominica explicatur. Et vid. S. Cyp., *de orat. dom.;* et S. Thomæm Aquin., *in orat. dom. expositio.*

(2) *Ad Rom.*, VIII, 26.

(3) *Antiluth.*, l. II, c. 25.

tus, in fletus admodum suaves: indolens se tanto intervallo distare ab ea, quam lectitat, vitæ sanctimonia. Deinde rapitur mens generosa ardente desiderio, æstuatque sancto igne ferventis spiritus, ut ejus imitetur vestigia, cujus tam eximiam oculis propositam cernit vitæ excellentiam, excitaturque ea lectione a torpore desidiæ et inertiæ pius lector, et totus in Deum erigitur; cupiens impensius Sancti illius exemplo sincere Deo in posterum tempus servire, et consimilem illi sortiri vitæ exitum. Unde et apud se frequenter ardenti voto illud exoptat sibi demum datum iri atque a Deo crebrius postulat: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea, horum similia* (1). Sic sane, sic beatus Pater Augustinus, sanctorum Patrum qui eum tempore præcesserant audita vita laudabili placidaque morte, majorem in modum profecisse legitur in via Domini, eorumque exempla mentis suæ oculis assidue objecisse, tamquam speculum et regulam certam, secundum quam vitam suam componeret. Demum ex sacra illa vitæ Sanctorum lectione succenditur plerumque sincerus animus amore cœlestis patriæ, inflammaturque ardenti desiderio perveniendi ad illam felicissimæ perennitatis vitam, ad quam novit Sanctum illum, cujus vitam suspicit ac demiratur, per tribulationes et ærumnas, per sancta itidem piorum operum exercitia pervenisse. »

Quod hymnos breviarii attinet, jure merito de illis dicimus quod idem pius et doctus Clichtoveus, qui magno volumine (2) eos elucidavit, de lectione horarum canonicarum generatim in suo *Antiluthero* (3) eloquitur: « quæ suapte natura verus sit et sincerus Dei cultus, institutus ad imitationem supercælestis Ecclesiæ, in qua spiritus angelici et reliqui cives supernæ patriæ jugi modulatione Deum laudant et dulcissima personant cantica in civitate sancta Sion. » Utinam nobiscum bene sit sicut cum Beatissimo Patre Augustino. « Quantum flevi, *ait* (4), in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas

(1) *Num.*, XXIII.

(2) Inscribitur *Elucidatorium ecclesiasticum* ad officium Ecclesiæ pertinentia planius exponens, etc.

(3) Lib. II, c. 24.

(4) *Confess.*, l. IX, c. 6.

tua in cor meum, et ex ea æstuabat affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. »

## III.

Denique ad tertiam hujus concionis partem pervenimus, qua ostendenda essent mirum sanctumque artificium quo breviarium concinnatum est, aptissimeque distributum, atque mirabilis ars qua composita sunt cujusque diei et festivitatis officia.

Ast, cum longius jam spatium temporis insumpserint partes priores, et hæc tertia fusiore expositione indigeret, qua multa eaque singula et minuta essent attingenda (1), vel et adductis exemplis (2) declaranda, alia forte opportunitate hæc pertractanda nunc omittere cogimur.

Itaque finem dicendi facimus, Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores, adhortantes Nos simul vobiscum necnon universum Clerum nostrum amantissimum, ut deinceps magnum illud divini Officii præceptum, quam perfectissime possumus, quotidie adimpleamus. Quæ autem magis necessaria ad id munus magisque utilia Nobis videntur adjicimus, brevi quidem compendio verborum, diligentissime vero per singula meditandorum. Igitur *ante orationem præpara animam tuam* (3), remote quidem, studio pio divinarum litterarum, præprimis Psalterii (4), necnon sacræ theologiæ, ut cum intelligentia psallas et ores; proxime vero, eligendo *tempus locumque* apta, faciendo quoque *solitudinem mentis* per parvam recollectionem et ad Deum suspirium, ut dein *digne, attente* ac *devote, nec nimis præcipitanter* Officium recitare valeas, idque facias semper *in unione illius divinæ intentionis Christi*

---

(1) Interim indicamus dilecto Clero nostro pro opportunitate legendos, supra cit. auctores, v. g. Ven. Bellarminum; fusius Clichtoveum, in *Elucidatorio*, quædam breviter in *Antiluthero*, l. II, c. 24 et c. 25) et Thomam Walden., *de Sacramentalibus*, tit. III, per totum; item inter modernos Bacuez, op. cit.

(2) Officii festi SS. Corporis Christi præstantiam tum ratione præclari auctoris D. Thomæ Aquin., tum ratione ipsius operis breviter exponit Clichtoveus, *Antiluth.*, l. II, c. 18.

(3) *Eccli.*, XVIII, 23.

(4) Habemus præcellens opus Ill$^{mi}$ Beelen *in Psalmos*, necnon R. adm. D. Van Steenkiste; sicut et utriusque in plures S. Scripturæ libros.

*Jesu*, qua in terris laudes Deo ipse persolvit, cui cum Patre et Spiritu sancto sit honor et gloria in sæcula. Amen.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

1° Singuli Rev. adm. Domini Decani, ubi id usui est, instituent *commissionem decanalem* ad promovendum opus jam vigens de curandis operariis exteram regionem petentibus, laboris causa, vulgo *Franschmans*. Instanter autem monentur Parochi eorumque adjutores, ut cum commissione decanali continuo communicent et in omnibus collaborent.

2° Quod opus *Conscriptorum* attinet, vehementer adhortamur Parochos et Vicepastores, ut tempestive juvenibus ad militiam vocatis conservatoria seu *circulos* militum, ut aiunt, commendare velint, distributis schematibus eos circulos indicantibus simulque conscriptos eisdem commendantibus *(adresses et billets de recommandation)*, quæ sive apud R. adm. D. Decanum, sive apud Nos usque reperient, si apud se defecerint.

3° Novum opus omni laude dignum statim dilecto Clero nostro notum facimus, ut parati sint omnes, quæ ab ipsis indicanda ac præstanda petentur, libenter indicare atque præstare. Est autem « opus catholicum internationale protectionis puellarum » quæ nempe coguntur domum paternam deserere ut in civitate vel extera regione victum quærant. Qua de re R. adm. D. Decani, opportunitate data, cum Clero sibi commisso ulterius agent.

II.

1° Rituale Romanum, tit. VI, c. 1, n. 8, agens de sepultura pauperum, quædam facienda indicat *juxta loci consuetudinem*. Quam quidem pro diœcesi nostra ita interpretamur, ut liceat impensis fabricæ quatuor aut ad minus duos cereos ad feretrum adhiberi. Item, ut missa celebretur sumptibus

mensæ pauperum, vel piæ confraternitatis, aut ex eleemosynis fidelium vel propria Pastoris liberalitate.

2° Fueri qui, ante institutam primam communionem solemnem, ea tamen ætate qua peccati gravis capaces judicantur, decedunt, sive fuerint viatico vel sola extrema unctione muniti, sive non, sepeliri debent more adultorum. Attamen in ejusmodi exequiis, jura stolæ alia exigi non possunt, quam quæ pro sepultura parvulorum solvi consueverunt.

3° In exequiis sacerdotis, servandus est laudabilis usus ut ad latus sepulchri excavetur capsella, in qua ponatur calix cereus et patena cum cereolis accensis.

III.

1° In memoriam revocamus *Statut. diœc.*, tit. IX, art. II, § 6, circa collationem parochi et vicepastorum singulis hebdomadis, stata die et hora, de rebus parochiæ habendam.

2° Ne parochi impediant vicepastores a menstrua collatione habenda; vicepastores autem tempestivo admoneant suum parochum de die collationis habendæ.

3° In viridi observantia manent, quod conferentias parochorum attinet, quæ *Statut. diœc.*, eod. tit. IX, art. II, § 4, præscribuntur.

IV.

Cum maximi momenti sit ad decorem divini cultus, ut cantus ecclesiasticus digne ac decenter persolvatur, commissionem nominavimus quæ huic rei studium suum impendat; constat autem quinque membris, scilicet RR. adm. DD. Canonici De Brouwer, Dupan et Ghyssaert, districtuum Tyrensis, Menenensis et Avelghemiensis respective Decanis, necnon R. D. De Jaegher, Professore philosophiæ in minori Seminario, et R. D. Vermeesch, Directore Scholæ normalis.

Instanter rogamus omnes dilectos sacerdotes ut omni quo possunt modo institutæ commissioni auxilio sint. Præprimis vero memores sint sese, cum dignitate ac decore in functionibus sacris, tum accurata rubricarum et cantus observatione, exemplo præire reliquis ecclesiæ ministris teneri.

V.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt tria:

1m Brugis, Dominica, 24 Augusti, hora VII vespertina.

2m Poperingis, Dominica, 31 Augusti, hora VII vespertina.

3m Rollarii, Dominica, 14 Septembris, hora VIII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *sans limites* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant.

Brugis, die 20 Maii 1902.

† G. J., Episc. Brugen.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Augusti-Septembris.

—

I

Quid intelligitur per *regnum Dei* seu *regnum cœlorum* cujus Christus tam sæpe mentionem facit in sermonibus suis et in parabolis?

II

Solvatur sequens difficultas: Si ens infinitum continet omnem perfectionem, nulla dari potest perfectio præter illud, consequenter nec ullum ens præter illud. Atqui ens infinitum continet omnem perfectionem. Ergo præter ens infinitum nulla datur perfectio. Ergo quidquid existit est ipsum ens infinitum.

III

Quomodo et quare peccat agens cum conscientia practice dubia?

IV

Indica generatim quomodo conscientia efformari possit practice certa.

V

Explica conditiones requisitas ut obliget correptio fraterna.

VI

In quibusnam missis infra aliquam Octavam dicenda sunt Præfatio et *Communicantes* huic octavæ propria, et quonam tono Præfatio est cantanda in eisdem missis cum cantu celebratis?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. Explica Is. VI, 1-4: *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta est fumo.*

R. Capite VI describitur visio qua Isaias ad munus propheticum vocatus et labiorum purificatione instructus fuit, et quæ proinde, si ordinem chronologicum sequamur, initio libri ponenda esset. Paucis sed magnificis verbis depingit ea quæ videre et audire ipsi concessum est, omnia descriptionis elementa eo tendunt ut summam et tremendam Dei majestatem indicent et aptissime præparatur prophetæ exclamatio: *Væ mihi, quia pereo* (VI, 5, juxta hebr.).

*In anno quo mortuus est rex Ozias,* i. e., anno circiter 740 a. Chr., Isaias in exstasim raptus, *vidit Dominum,* specie corporali indutum et regia majestate *sedentem super solium excelsum et elevatum.* Quæritur de loco in quo hæc scena repræsentatur, utrum sit ipsum cœlum sicut in visionibus Apocalypsi, an vero templum terrenum, seu potius hujus templi pars præcipua, sanctum sanctorum, in quo Deus habitare censebatur. Posterior sententia quæ fuit S. Hieronymi, ex vv. 4 ubi agitur de

superliminaribus cardinum, et 6 ubi de altari et de forcipe, suadetur. A descriptione ipsius Dei reverenter propheta abstinet, tantum refert *fimbrias ejus* (ita in hebr., Vulg. habet: *ea quæ sub ipso erant*) *replere templum*, tam longa ac demissa erat vestis ejus regia, ut oræ illius defluerent et longe lateque templi pavimentum operirent.

Hujus Supremi Regis aulici sunt Seraphim qui *stant desuper ad illum*, np. Dominum (ita in hebr., Corluy bene vertit *nu boven hem*. Vulg. *super illud* templum?), utpote stantes, excelsiores apparent Deo sedente. Nomine Seraphim (plurale hebraicum vocis *saraf*) veniunt entia quædam suprahumana Deo proxima, ipsi tamen inferiora, quæ ad ordinem angelicum seu cœlestium spirituum militiam pertinent. Patres nonnulli et Scholastici nomen accomodarunt ad supremum angelorum ordinem designandum. Unumquodque eorum sex alas habebat: *duabus velabant faciem ejus* (S. Hier., ut patet ex ejus commentario, consulto scripsit *ejus*, ad Deum referendo, sed ille sensus impossibilis est, inconvenienter enim angeli velarent faciem Dei, inutiliter vero pedes ejus qui longissimo vestimento induebatur; melius proinde legeretur *suam*), ut indicent se præ reverentia non audere aspicere dominum suum, *et duabus velabant pedes ejus* (melius *suos*), in simili quadam visione Ezechielis dicuntur velare corpora sua (I, 23).

Quod corporis compositione profitentur... jam carmine produnt (Knabenbauer). Alternis vicibus Dei sanctitatem proclamant, quorum canticum, quod a trina repetitione vocis *sanctus* trisagion (τρισ αγιον) appellari consuevit, Ecclesia in sua liturgia admisit. Ex ter repetita voce nonnulli Patres trinitatem divinarum personarum innui dixerunt, quæ tamen interpretatio potius ad sensum accomodatitium videtur spectare. Circa sequentia audiatur Corn. a Lap.: *Plena est omnis terra gloria ejus;* primo, quia omnis terra per sui creationem et gubernationem assiduam et copiosam

suppeditat materiam divinæ potentiæ, bonitatis et majestatis collaudandæ; secundo, magis prophetice per gloriam accipe Christi vitam ac miracula et prædicationem per Apostolos eorumque successores per quos mysterium SS. Trinitatis et incarnationis toto mundo celebratur.

Hujus carminis effectus v. 4 exhibetur: sicut mons Sinai in quem venit Dominus, nubis caligine amictus, contremuit et fumavit (Ex XIX, 18 ss.) ita hic, in symbolum inaccessibilis Dei majestatis, *commota sunt superliminaria cardinum* (seu juxta hebr., *postes liminum*) *a voce clamantis et domus repleta est fumo*. Clamans non ipse Deus intelligendus est, ut quidam voluerunt, sed resumitur evidenter verbum *clamabant* (v. 3) et proin agitur de voce chori Seraphici clamantis.

A. D. B.

II

Q. *Expone notionem* Infiniti.

R. *Infinitum* dicitur aliquid ex eo quod non est finitum (1), h. e. quod caret fine seu limite.

Sed quum aliquid duplici ratione possit carere limite, ideo infinitum dicitur dupliciter. Etenim a/ aliquid potest carere limite *quem natum est habere*, aliis verbis: aliquid potest privari aliquo actu determinante id quod est in potentia. Tunc infinitum dicitur *privative* et importat aliquid potentiale, indeterminatum et imperfectum, seu potentiam non terminatam proprio actu quo finitur et perficitur. b/ Deinde aliquid potest carere limite *simpliciter*, quatenus nempe in sua perfectione non coarctatur. Tunc infinitum dicitur *negative* et importat aliquid maxime actuale et perfectum (2). Illud

(1) S. Thom. I, Q. VII, a. 1.

(2) Cf. De Maria, *Philosophia Peripatetico-Scholastica*, V. III, Theologia naturalis, Tract. I, Q. III, a. 1. Romæ, 1893, p. 60.

infinitum a nobis concipitur ut aliquid *inexhauribile:* etenim in se continet omnimodam plenitudinem perfectionis secundum quam dicitur infinitum, ita ut si quælibet determinata mensura hujus perfectionis comparatur ad infinitum, hoc sit semper perfectius.

In sequentibus considerabimus infinitum *negative* dictum.

Limes autem *proprie* dicitur terminus quantitatis corporeæ (1), qua nempe corpus extenditur in partes extra partes. Inde infinitum, proprie et quoad primam nominis impositionem, designat corpus quod careret limite seu termino in quantitate (2).

Sed illa vocabula, nempe quantitas, limes, augmentum, magnitudo, æqualitas, et alia hujusmodi, quæ proprie dicuntur de mole corporea quatenus extensa, *analogice* dicuntur etiam de rebus immaterialibus. Ita loquimur de quantitate malitiæ peccati, qua peccatum est magis vel minus offensivum Dei, de magnitudine scientiæ, de augmento virtutis, de æqualitate Personarum divinarum, etc. Ideo statuit S. Thomas: « Augmentum sicut et alia ad quantitatem pertinentia a quantitatibus corporalibus ad res spirituales et intellectuales transferuntur propter connaturalitatem intellectus nostri ad res corporales quæ sub imaginatione cadunt » (3).

Proinde si quantitas consideratur universalissime

---

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ* n. 329 et n. 333 sqq.; Ill$^{s}$ ac Rev$^{s}$ Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, Collat. Brug. T. VI, p. 570.

(2) Inde inquiritur apud philosophos utrum dari possit infinitum actu secundum magnitudinem molis corporeæ.

(3) I-II$^{æ}$, Q. LII, a. 1. — Ulterius explicatur quomodo fiat hæc analogia. Quum *quantum* definiatur: divisibile in insita quæ singula nata sint esse unum quid et hoc quid, ratio quantitatis invenitur proprie in illis quæ secundum se dividuntur. Sed invenitur etiam quodammodo (inde analogia) in illis quorum divisio attenditur secundum ea quæ extrinsecus sunt, sicut virtus dicitur divisibilis et quantitatis rationem habens ex ratione et divisione actuum et objectorum. Cf. S. Thom. in I, D. XIX, Q. I, a. 1, ad 1.

(sc. sive proprie, sive analogice dicatur) duplex erit distinguenda quantitas : una *corporalis*, qua scilicet corpus fit extensum in partes extra partes, altera *spiritualis*, quæ attenditur secundum *perfectionem* naturæ vel formæ. Sed quum perfectio sit duplex, una essendi, altera operandi, inde etiam quantitas spiritualis considerari potest vel quantum ad ipsam essentiam rei, vel quantum ad perfectionem operandi.

Quum igitur infinitum nihil aliud dicat quam carentiam limitis et consequatur rationem quantitatis, ideo infinitum considerari potest 1/ in genere *quantitatis* proprie dictæ seu *corporalis*, inde concipitur infinitas *molis*, sc. extensionis continui, 2/ extra genus quantitatis proprie dictæ seu corporalis, sed in ordine quantitatis *perfectionis:* quantitas autem perfectionis attendi potest dupliciter : uno modo, secundum ipsam rei essentiam, et inde concipitur infinitas *quidditativa;* altero modo, secundum perfectionem operandi et inde concipitur infinitas *virtutis* (1).

Quum ex divisione quantitatis continuæ resultet quantitas *discreta* quæ importat ut habeantur plura entia realia ejusdem quantitativæ rationis, inde etiam consideratur infinitas in quantitate discreta. Sicut quantitas continua ita etiam quantitas discreta a rebus materialibus per analogiam transfertur ad res immateriales: inde consideratur infinitas *multitudinis* quæ esset in multitudine entium actu infinita (2).

In summa, prædicta contrahens, dico: *infinitum* est *ens carens limite*. Porro quadruplex considerari potest infinitum:

1/ ens carens limite secundum *quantitatem corpoream continuam*, inde infinitas *molis corporeæ*, 2/ ens carens

---

(1) Cf. S. Thom. *S. cont. Gent.* L. I, c. 43; Ferrariensis, Comment. in h. l. Cajetanus in I, Q. VII, a. 1; Schiffini, *Institutiones Philosophicæ*, 1893, V. I, n. 740.

(2) Inde inquiritur apud philosophos utrum dari possit multitudo entium actu infinita.

limite in ipsius *essentiæ* perfectione, inde infinitas *quidditativa* seu *essentiæ,* 3/ ens carens limite in *virtute operandi,* inde infinitas *virtutis*, 4/ complexus entium cujus *multitudo* esset sine limite, inde infinitas *multitudinis* (1).

*Nota.* Quando agitur de Dei infinitate, excluditur evidenter infinitas molis corporeæ quum Deus sit incorporeus, et imprimis attenditur infinitas *quidditativa* quamvis consequenter in Deo sit etiam infinitas virtutis: in Ipso enim est infinita scientia, potentia, etc. Inde de Infinitate Dei agens scribit Jungmann: « Hic vero agitur de infinitate ejus secundum essentiam. Excluditur a perfectione essentiæ divinæ absolute omnis limes, seu quæcumque imperfectio; et qualiscumque realitatis defectus de Deo negatur, unde dicere possumus eum esse *infinitum per absolutam perfectionem* » (2).

Infinitas quidditativa concipitur tanta « ut se sola æquivaleat omnibus perfectionibus possibilibus, ex quibus qualibet assignata, semper restet alia et alia sine fine cui æquivaleat » Schiffini, op. c. l. c.

J. V. D. M.

## III

Q. *Præmissa notione* Epikiæ, *declara quænam leges epikiam admittant, addendo rationem responsi.*

R. Epikia, græcè επιεικεια, idem sonat ac æquitas, et definiri potest: benigna interpretatio *mentis* legislatoris qua certo vel saltem probabiliter judicatur legislatorem noluisse sub lege sua universali casum aliquem particularem comprehendere, ob circumstantias speciales in illo occurrentes. Differt autem epikia a proprie dicta

---

(1) Quidam auctores distinguunt tantum infinitatem *perfectionis, magnitudinis* seu *molis* et *multitudinis:* sub infinitate perfectionis designant carentiam limitis in essentia et carentiam limitis in virtute.

(2) *De Deo Uno et Trino,* n. 101.

interpretatione legis in hoc quod per hanc declaramus *verba legis* dum sunt obscura seu sensum ambiguum reddunt; per epikiam verò interpretamur *mentem seu voluntatem legislatoris* ubi constat de universali verborum sensu, sed dubitatur utrum legislator determinatum casum particularem ob certa illius adjuncta potuerit aut saltem voluerit comprehendere sub generali locutione qua lex ejus est expressa (1).

Docent autem plerique AA. duplici ex ratione fieri posse ut casus quidam a generali lege excipiendus sit ob præsumptam legislatoris intentionem, videlicet : 1/ quando id quod lex præcipit non posset servari sine peccato seu quin violetur lex superior quæ hic et nunc observanda occurrit; — 2/ quando propter speciales circumstantias observantia litteralis legis esset nimis gravis et dura ut a legislatore æquitatis studioso imponi aut urgeri possit. — Sed et tertia addenda videtur ratio cum Suarezio, *De leg.* L. VI, c. VII, n. 11 ubi docet « ulterius habere locum epikiam in casu, in quo non deesset potestas in legislatore ad obligandum, sed ex circumstantiis judicatur non fuisse hanc mentem ejus : quia non semper Prælatus vult obligare cum toto rigore, et in omni eventu in quo posset obligare... Quæ intentio legislatoris colligi potest ex aliis circumstantiis temporis, loci et personarum, et ex ordinario modo præcipiendi cum illa moderatione subintellecta, licet non exprimatur... Ergo ad epikiam non est necesse interpretari casum non comprehendi sub lege quia legislator *non potuit* (uti sub 1 et 2) sua lege illum comprehendere, sed etiam sufficiet si interpretemur *noluisse* illum comprehendere, licet potuerit, nam et hoc sufficit ad excusationem ab obligatione legis, et sæpe contingit aliam esse legislatoris voluntatem ab ea quam nuda verba præ se ferunt » (2).

---

(1) Cfr. Leurenius *Jus can. univ.* T. I, q. 156. — S. Thomas 1ª 2ᵃᵉ, q. 96, a. 6; et 2ª 2ᵃᵉ, q. 120, a. 1.

(2) Cfr. Herinex, *Summa theol. schol. et mor.* P. II, n. 197. — Quomodo

Jam quæritur *quænam leges epikiam admittant.* Porrò

I. Lex *naturalis* epikiam non patitur. Sequitur ex natura illius legis quatenus ea tantum vetat quæ essentialiter sunt mala atque illa solùm præcipit quæ ità ad vitæ rectitudinem sunt necessaria ut eorum omissio sit turpis de se (1). Nunquam igitur fieri potest ut quis a præcepto legis naturalis servando excusetur, et possit v. g. mentiri, falsum juramentum emittere, fornicari etc. Nec unquam præsumere licet Deum, legis naturalis auctorem, quemvis ab hujusmodi præcepto implendo, propter accidentalem difficultatem occurrentem, eximere, siquidem non libere sed *necessario* Deus illud imponit (2). — Equidem evenire potest ut per circumstantiam quamdam aliquis actus, qui sine illa esset turpis, rectus et honestus evadat: sed ideò non fit emendatio legis naturalis, qualis inducitur per epikiam, sed simplicitur tunc non obtinet legis illius objectum seu non verificatur casus circà quem lex naturalis disponit: ità forsan emendatur formula qua solemus præceptum naturale exprimere, quæ frequenter est inadæquata: minime verò emendatur ipsum præceptum. Rem illustremus exemplo: dicimus lege naturali prohibitum *surripere rem alienam:* ast extrema necessitas qua quis premitur licitam reddit surreptionem cibi ad vitam salvandam: sic autem non corrigitur lex naturalis, quæ tantum prohibet ne quis rem alienam auferat *invito rationabiliter Domino;* atqui in casu non est rationabiliter invitus dominus; ergò hic casus lege naturali non comprehenditur; ideoque non emendatur ipsa lex sed corrigitur formula nimis generalis qua illam exprimere consuevimus (3).

---

agere debeat aut possit qui *probabiliter* tantum æstimat casum in quo versatur esse per epikiam a lege generali excipiendum vid. apud Suarez l. c., cap. VIII. n. 6 et 9; et apud Ill^m ac Rev^m Waffelaert. *De dubio solvendo in re morali*, n. 332 sq.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, suprà p. 183 sqq.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, suprà p. 184 coll. 188.

(3) In hanc sententiam consentiunt AA. plerique cum Suarez, l. c.

II. Quare ad legem *positivam* restringenda est usus epikiæ; et certe admittenda est pro lege *humana* (si excipiatur lex ipso facto irritans, de qua infrà). Etenim « humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt; (quare cum legislator humanus non valeat omnes illas variationes prævidere) non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes » S. Thomas, 2. 2ᵃᵉ, q. 120, a. 1; coll. 1, 2ᵃᵉ, q. 96, a. 6.

Sed quæri potest utrum etiam lex positiva *divina* sit epikiæ obnoxia. Negant plures, quia Deus, secus ac legislator humanus, omnes casus prævidere potest; unde concludunt legem divinam minime indigere correctione quæ est epikiæ propria.

Attamen cum Deus legem positivam promulgat, utitur et ipse formula quadam generali; et quamvis omnes casus notos habeat, qui exceptione digni haberi possent, hos tamen omnes exprimere nec debuit nec voluit, « ut vitaret prolixitatem et confusionem in lege, sciens dari virtutem epikiæ, per quam possunt homines universalitatem legis corrigere, et secundum circumstantias occurrentes illius voluntatem interpretari » (1).

Sic per epikiam judicavit David sibi licere propter necessitatem manducare panes propositionis (I Reg. XXI, 6), quod per legem (Exod. XXIX, 33) erat laicis

---

lib. II, cap. XVI; nec re differt opinio plurium cum Salmantic. *de leg.* cap. IV, n. 42 sq., et S. Alph., lib. I, Tr. II, n. 201, docentium etiam in præceptis naturalibus locum habere epikiam, *ubi actio possit ex circumstantiis a malitia denudari*. Ut ex data explicatione liquet, talis epikia prorsus *impropria* est dicenda.

(1) Salmantic., l. c. n. 42. — Profectò qui cum Billuart (*de leg.*, diss. II, art. IV) definiunt epikiam quasi esset tantùm « explicatio intentionis legislatoris, non quam actu habuit quando legem tulit, sed quam habuisset si ad hunc casum particularem attendisset », non possunt admittere epikiam in lege divina: sed, ut ex traditis liquet, ista notio epikiæ nimis stricta est habenda.

prohibitum; atque illud aperte approbat Christus (Matth. XII, 3 sq.). Simili interpretatione usi sunt Machabæi ad bellandum in die Sabbati (I Machab. II, 41); et rursus Christus Dominus (l. c.) dicit non violari legem sabbati, si opus misericordiæ, aut pietatis vel religionis in illo exerceatur, etiamsi laboriosum sit. Pariter, quoad legem divinam *novam*, ob moralem impotentiam quæ pluribus ex circumstantiis oriri potest, excusantur pœnitentes ab integritate confessionis, jure divino præscripta. Igitur affirmandum videtur etiam respectu legis positivæ divinæ, tales posse occurrere circumstantias ut propter illas prudenter præsumi valeat legislatorem Deum noluisse ad hujusmodi casum suum præceptum extendere, seu ipsam legem positivam divinam esse epikiæ obnoxiam (1).

Manet dicendum de lege *irritante*, utrum et ipsa qua talis seu præcise qua irritans admittat epikiam (2).

Restringitur quæstio ad legem irritantem *ipso facto* (3) et absolute: porrò communiter docetur et omninò tenendum videtur in simili lege non admitti exceptionem per solam epikiam. « Efficax ratio est, ait Suarez, l. c., lib. V, cap. XXIII, n. 3, quia lex irritans voluntatem ad actum aliquem, inhabilitat personam vel simpliciter, vel ad contrahendum nisi juxta formam legis...; sed inhabilitas per legem inducta non potest restitui per modum epikiæ, quia epikia ad summum potest conducere ad excusationem obligationis; ad dandam

---

(1) Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. IX, cap. IX, n. 6.

(2) Nemo dubitat quominùs lex irritans, quæ simul est prohibens, possit in casu particulari cessare quoad prohibitionem actùs quin cesset quoad irritationem, modò ponere actum hujusmodi invalidum non sit de se illicitum.

(3) Leges enim quæ non ipso jure actum irritum pronuntiant, sed jubent illum a judice annullari, indolem habent legis præceptivæ relate ad judicem: proindeque haud secus ac pro aliis legibus præceptivis contingere potest, ut ratione peculiarium circumstantium, judex legitime æstimare possit, casum aliquem singularem lege generali non comprehendi, et consequenter ab irritatione facienda abstinendum esse.

autem potestatem quam homo non habet aut restituendam ablatam, non sufficit, quia ad hoc requiritur positivus actus qui tunc non fit nec a superiore, nec ab aliquo qui vim habeat restituendi potestatem ablatam vel auferendi inhabilitatem inductam. Nec cogitari potest quod per se cesset inhabilitas, vel quod sub ea conditione inducta sit ut in casu necessitatis auferatur, vel quasi suspendatur: id enim est veluti contra naturam inhabilitatis absolute et sine restrictione inductæ: est enim contra morem talium legum, quoties talem inhabilitatem simpliciter inducunt, ut patet de inhabilitate ad contrahendum cum consanguinea in gradu prohibito, quæ in nullo casu cessare potest sine dispensatione ».

Nec est æquiparatio inter prohibitionem et irritationem « quia prohibitio natura sua admittit excusationem vel ignorantiæ vel moralis impotentiæ, et ideo in casu morali frequenter cessat; nam (si quis recte consideret) fere in omni interpretatione legis per epikiam moralis quædam impotentia intervenit. Irritatio verò non fundatur in obligatione, nec requirit voluntatem nec potestatem subditi, sed potius inducit impotentiam quamdam vel inhabilitatem in illo, ipso etiam invito, quæ per solam excusationem auferri non potest. Deinde in legibus simpliciter præcipientibus vel prohibentibus non est tam necessaria ad bonum commune uniformitas in observatione legis, quin moraliter possit sæpe expedire non observare legem; in legibus autem ponentibus formam substantialem vel inducentibus inhabilitatem magis necessaria est uniformitas, quia ordinarie sunt graviores et in earum transgressione est majus periculum, et ideò magis expedit bono communi quod inviolabiliter serventur quàm quòd in uno vel alio casu aliquod incommodum vitetur » ibid. n. 6. — Aliis verbis in legibus irritantibus deest ratio æquitatis ob quam præsumi quandoque possit legislatorem nolle suam legem urgere; siquidem hujusmodi singularibus

exceptionibus obstet bonum commune, cui juxta æquitatis legem bonum privatum cedere debet. Nam « ad vitandas fraudes, aut fraudis periculum Reipublicæ interest, ne acta ejusmodi valeant, nec attendatur ad peculiare incommodum, quod interdum ex accidenti intervenire potest » Gerdil, *De leg.* disp. XII, cap. 9. (1)

Quare non assentimur AA. quibusdam contendentibus leges ecclesiasticas matrimonium irritantes in casibus extremæ necessitatis, putà in casu quem vocant *perplexum*, cessare, etiam quoad actus nullitatem (2). — Meliori jure videtur apponi exceptio impossibilitatis *generalis* in aliqua regione observandi formam substantialem lege præscriptam : cùm tunc ipsum bonum commune requirere videatur, ne legislator ad talem casum suam legem protendat. Huc revocant casum quo, subsistente in aliqua regione impossibilitate generali adeundi parochum aut Ordinarium vel alterutrius delegatum (sicut obtinuit tempore subversionis Gallicanæ) valeret matrimonium contractum coram duobus testibus tantum, prouti ex pluribus S. Sedis declarationibus eruitur (3).

H. V. D. B.

## IV

Q. *Explica motivum formale charitatis theologicæ.*

R. Cùm charitas theologica sit virtus supernaturalis qua justus Deum amat amore benevolentiæ mutuæ seu

---

(1) De non admittenda epikia in lege irritante fusè agunt *Mel. théol.*, T. II, p. 456 sqq., et T. I, p. 18 sqq.

(2) Horum sententia crisi subjicitur ap. Feije *De imp. et disp. matr.*, n. 640 sqq. — Cfr. *Mél. théol.* ll. cc., et signanter T. I. p. 10 et T. II, p. 455 ubi meritò notatur in simili casu, admissa solius prohibitionis, non vero nullitatis, cessatione, salvari legis æquitatem.

(3) Ast dubitare licet utrùm hic obtineat interpretatio legis per epikiam : potius enim dicendum videtur legislatorem seu Conc. Trid. ab initio legem clandestinitatis ad loca in quibus ad parochum recurri non posset non extendisse ; quod affirmat Feije l. c., n. 646 sub 2°.

amicitiæ (1), motivum ejus formale meritò assignatur: cum S. Thoma « bonum divinum in quantum est beatitudinis objectum » (2), seu *bonitas Dei absoluta prout est objectum supernaturalis beatitudinis.*

**Explicatio.** *Prænota.* Motivum formale charitatis theologicæ (seu objectum formale *quo*) est formalitas quæ actui charitatis dat propriam atque ultimam speciem seu illum in propria specie charitatis constituit, ab omni alio actu distinguit, adeoque voluntatem ad actum charitatis ultimo movet (3). — Jamvero, motivum charitatis dicitur esse

1/ *bonitas Dei absoluta*, i. e. bonitas seu perfectio Dei summa increata ut est in seipsa et propter se amabilis. Bonitas Dei absoluta sumitur per oppositionem ad bonitatem Dei *relativam seu respectivam;* unde bonitas Dei absoluta est bonitas divina in se considerata, prout est perfectio Dei ipsius, ità ut illum amemus sistendo in ejus bonitate, ut amicum cui bonum volumus. *Est igitur ipsum esse divinum absolute et in omni perfectionum genere infinite perfectum, ac consequenter in se et propter se summe amabile.* Contrà bonitas Dei respectiva est eadem bonitas seu perfectio divina considerata in ordine ad amantem, prout nempe est bona amanti, ità ut amans Deum sibi velit, et non simpliciter et absolute in eo sistat. Bonitas Dei absoluta est motivum amoris benevolentiæ erga Deum et amicitiæ; bonitas Dei relativa hominem impellit ad amorem concupiscentiæ seu spei (4). — Hinc rejicitur sententia eorum qui, cum Vincentio Bolgeni contenderunt, motivum charitatis theologicæ, qua ante actualem sacramentorum sus-

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.* suprà, p. 316 s.

(2) 2ª 2ªᵉ, q. 23, a. 1, in corp.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, suprà p. 122, n. 2; — Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annotat. in Tract. de virt. theol.*, Brugis 1900, p. 8, 12 s.

(4) Attamen, ut suprà diximus (p. 318 n. 3) et iterum monemus, ab amore benevolentiæ et amicitiæ non excluditur omnis respectus ad Deum prout est bonum amantis.

ceptionem justificatur homo, esse Deum prout est bonum amantis tantum, non autem prout est bonum in se (1). Attamen, cavendum, ne confundatur bonitas Dei prout præcise cedit in commodum amantis cum bonitate Dei prout est perfectio ipsius Dei, ratione cujus est supernaturalis beatitudinis objectum. Dicitur enim bonitas Dei absoluta esse motivum formale charitatis

2/ specificative *prout est objectum supernaturalis beatitudinis* (2): bonitas enim divina modo supernaturali cognita, sub ea nempe ratione sub qua in supernaturali beatitudine se communicat, ultimò movet ad charitatem theologicam eamque in sua propria specie constituit. Connotat ergo motivum formale charitatis bonitatem seu perfectionem divinam amanti communicari per fidem et gratiam in via, per visionem beatificam in patria. « Ratio autem in summa est: quod secus charitas *non esset amor amicitiæ;* nam bonitas Dei in se, præscindendo a communicatione illius bonitatis Dei propriæ, est objectum formale et motivum simplicis benevolentiæ. Ità clarissime S. Thomas: « Dicendum quod actus et » habitus specificantur per objectum (scil. formale) (3); » proprium autem objectum amoris est bonum..... et » ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis » ratio amoris: bonum autem divinum, in quantum est » beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni, » et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, » est specialis amor. Unde et charitas est specialis » virtus. » (4)

Neque quia charitas supponit communicationem di-

---

(1) Cfr. Bouquillon, *Tract. de virt. theol.*, Brugis 1878, p. 265. — Mazella, *De virt. infusis*, Romæ 1884. p. 710 s. — C. Pesch, *Tract. Dogmatici*, Tract. VIII (Friburgi B. 1898) p. 230 ss.

(2) Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *o. c.*, p. 122, 127 s. — Billot, *De Virt. Infusis*, Romæ 1901, p. 379 ss.

(3) Ex ipsa argumenti natura patet S. Doctorem loqui de objecto *formali* adeoque de *motivo* actus.

(4) Ill^s^ ac Reverend^s^ Waffelaert, *o. c.*, p. 128.

vini boni, ideo motivum amandi reponitur in bono proveniente amanti a Deo, sed in ipso Deo sistit; adeoque charitas non deficit a perfectione amoris benevoli. Longe enim aliud est amantem velle cum Deo infinite perfecto esse, quia amor amicitiæ tendit ad unionem amantis et amati, aliud eum velle possidere Deum ad hoc ut sit beatus, seu ut ex ipso Deo sibi proveniat bonum (1). In hoc altero casu amans respicit bonum suum ut terminum talis actus estque amor concupiscentiæ; in priore vero respicit bonitatem divinam ut terminum ad quem omnia, etiam bonum proprium, refert: ideo dicimus, quod diligenter notandum, *specificative et formaliter prout est beatitudinis objectum*, non vero: *prout est beatificator noster*. In hoc posteriore dicto intelligeretur bonitas Dei respectiva. In priore verò, intelligitur bonitas Dei in se, formaliter et præcise prout omne bonum creatum et creabile ità supergreditur ut, sub ea bonitatis ratione, nulla sit possibilis participatio naturalis in creatura. In hac autem bonitatis speciali ratione est radix et fons omnis boni supernaturaliter communicati, et stupendi nominatim boni quod est verus amor amicitiæ Dei ad creaturam, atque sub eadem ratione Deus est beatitudinis finalis objectum.

Ut jam sufficienter innuimus, bonitas Dei absoluta quæ est charitatis motivum, non intelligitur ea quæ solo naturali rationis lumine apprehenditur atque in creatione ac gubernatione universi sese manifestat. Absque dubio enim objectum formale charitatis supernaturalis, adeoque ejus formale motivum, manifestari et apprehendi debet *supernaturali lumine fidei;* insuper ut genuinus amor amicitiæ sit possibilis, requiritur ut homo communicet in *propria* Dei perfectione scil. supernaturali. Unde naturalis communicatio bonitatis Dei (2) (qua nempe Deus est principium ac finis ordinis

(1) Cfr. Suarez *De Gratia*, l. 2, c. 13, n. 23.

(2) De hoc modo loquendi videsis Ill$^{m}$ ac Reverend$^{m}$ Waffelaert, *o. c.*, p. 128 s.

naturalis) *seorsim spectata*, sive naturaliter cognita, sive fide supernaturali apprehensa, nequit esse objectum vel motivum charitatis theologicæ. At vero, nihil obstare videtur quominus hæc naturalis communicatio bonitatis Dei, lumine supernaturali fidei apprehensa, *simul* cum boni divini communicatione supernaturali constituat objectum formale adeoque motivum charitatis. Ordo enim supernaturalis nedum excludat ordinem naturæ, hunc potius supponit atque perficit.

A. C.

V

Q. *Expone quomodo idem sit formale motivum in charitate erga proximum et nosmetipsos ac in charitate erga Deum.*

R. Motivum formale charitatis theologicæ, ut in q. præced. exponitur, est *bonitas Dei absoluta in se, specificative prout est objectum supernaturalis beatitudinis.* Jam vero motivum hoc esse unum idemque in charitate erga proximum et nosmetipsos ac in charitate erga Deum, sequenti modo exponendum ducimus:

In charitate theologica *Deum* diligimus *propter se*, i. e. propter bonitatem seu summam et increatam perfectionem qua Deus in se et propter se est infinite amabilis, quaque in supernaturali beatitudine se communicat. Idem autem bonum divinum absolute et in se consideratum, prout in societate supernaturali est communicatum et communicabile, est ratio motiva cur, præter Deum ipsum principaliter dilectum, secundario diligat amans *seipsum* et *proximum*. Hos nimirum diligit *propter Deum: ipsa nempe ratio motiva amoris non est tam perfectio divina quæ in amante et proximo per supernaturalem divinæ naturæ participationem recipitur* (1),

(1) Quæ ratio juxta plures ad charitatem theologicam merito dicitur sufficiens, ut probatur apud Ill^us ac Reverend^us Waffelaert, *Annot. in*

*quam ipsa divina perfectio in se considerata, cujus amans et proximus pro vario gradu suo participes sunt vel saltem fieri possunt*, seu *ad quam relationem habent.*

Neque enim refert quod infinita Dei bonitas seu perfectio sit amanti ac proximo extrinseca. Dupliciter enim aliquem diligere possumus. Uno modo ratione ipsius, quando eum ratione propriæ suæ bonitatis diligimus; alio modo ratione alterius, quando nempe diligimus eum quia relationem habet ad eum quem secundum se amamus. Ipse autem amans et proximus ad bonum divinum ut est beatitudinis supernaturalis objectum, intimam relationem habent, quia nempe ad gloriam ejus sunt destinati, quia Dei filii et amici, quia imaginem ejus ac similitudinem gerunt. Triplici autem modo indicato et amantem (1) et proximum diligi posse cum respectu ad Deum, egregie evolvit Æg. De Coninck (2): « Primo igitur proximus amari potest, quatenus est res quædam et bonum extrinsecum ipsius Dei, ad ejus gloriam spectans, sicut amatur medium propter finem et mancipium amici propter amicum. Secundo, quatenus divina bonitas a proximo *participatur*, eumque afficit et in eo elucet, atque ita eum amabilem reddit. Et hac ratione fere eodem modo amamus proximum præsertim justum, propter Deum, quo amamus filios aut fratres amici propter amicum, quia justus est vere

---

*Tract. de Virt. theol.* Brugis, 1900, n. 411. Tunc utique proximus amatur directe et immediate propter bonitatem divinam ei inhærentem per participationem supernaturalem, adeo ut ipsa bonitas increata indirecte tantum et mediate ad amorem moveat. Attamen 1° charitas theologica est *principium* talis actus: amare enim justum formaliter ut justum, est amare ipsum ut consortem divinæ naturæ, qui actus ad charitatem theologicam spectat: est enim amicitia fundata in consortio divinæ naturæ; 2° *motivum* ultimum et radicale est ipsa bonitas increata in se: non enim possumus diligere justitiam creatam, nisi quia diligimus Increatam, et quando hanc diligimus non requiritur novum motivum diversum ad diligendam illam.

(1) Nam quæ de proximo ex Æg. De Coninck statim afferemus et de ipso amante affirmanda sunt.

(2) Disp. XXIV, dub. I, n. 2.

filius Dei. Peccatores autem etiam hoc modo amamus, quia, etsi actu non sint filii Dei, tamen sunt tales potentia, et quantum est ex antecedenti Dei voluntate et destinatione, qui ideo eos creavit et redemit, ut filii Dei sint, et in hunc finem ex parte sua sufficientem iis gratiam confert, qua tales esse possint, si velint. Tertio possumus moveri ad aliquem amandum quia a Deo amatur, sive amore speciali, quo justos amat, sive generali, quo omnes homines vult salvos fieri, idque tanto affectu ut in hunc finem sanguinem suum fuderit. Amicitia enim, sicut efficit amicos unanimes sive unius voluntatis...., ita efficit, ut quidquid unus amat, alter etiam amet, quod videmus etiam inter homines fieri: nam eos quos videmus amari ab eo, quem valde amamus, ideo etiam amamus, etsi alias aversaremur ».

Hinc jam aliqualiter apparet, concludit Billot (1) quomodo amicitia illa quæ est hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad eos qui sunt Dei sub formali ratione mox declarata, sese in primis extendit *ad ipsum hominem qui charitatem habet;* ipse enim inter cætera quæ ex charitate diligit quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex charitate diligit. Sese extendit præterea *ad omnes proximos* qui capaces sunt beatæ illius cum Deo societatis, super cujus communione charitas fundatur. Et eadem quoque ratione sese extendit ad sanctos angelos quorum concives, cohæredes et sodales erimus in resurrectione justorum; minime vero ad dæmones cæterosque damnatos qui a bono quod respicit charitas, definitive sunt exclusi (2).

A. C.

---

(1) *De Virt. infus.*, Romæ 1901, p. 386.

(2) Vide in *Collat. Brug.*, T. I, p. 365, quæstionem cum præsenti materia connexam.

## VI

Q. *In missis quotidianis defunctorum quot, quænam et quo ordine dici debent vel possunt orationes?*

R. Huic quæstioni respondet nova rubrica sub nº 4, titulo V, inter rubricas generales Missalis decreto 11 decembris 1897 reformatas addita et ad normam decreti 30 junii 1896, nº 3920 concinnata (1): « In missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendæ orationes, quarum *prima* est pro defuncto vel defunctis *certo designatis*, pro quibus sacrificium offertur, ex iis quæ infra in missali habentur, *secunda* ad libitum, *ultima* pro omnibus defunctis. Si vero pro defunctis in genere missa celebretur, orationes sunt dicendæ, quæ pro missis quotidianis in hoc missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptæ. Quod si in iisdem quotidianis missis plures orationes celebranti placuerit recitare, ut de feriis et simplicibus dicetur infra in rubrica de orationibus (2), *id fieri potest tantum in missis lectis*, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis *postremo loco* assignato ».

Ex hac ergo rubrica docemur: I. Quoad numerum orationum: In missis quotidianis (quæ scilicet celebrantur extra dies privilegiatos de quibus supra diximus p. 193 et sqq.), si sunt *cantatæ vel solemnes*, *tres dici debent* orationes et *nec plures quam tres* dici possunt; si vero sunt *lectæ*, *tres dici debent*, sed si placuerit celebranti, aliæ præter tres præscriptas addi possunt, sub hac conditione, ut servetur numerus impar cum illis præscriptis, scilicet ut omnes simul sumptæ sint quinque vel septem; et ut semper postremo loco, scilicet

---

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1896, p. 477 et seqq.

(2) Tit. IX, nº 12: « In festis simplicibus et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres (orationes), ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum. »

quinto vel septimo dicatur oratio pro omnibus defunctis *Fidelium,* quæ in casu trium orationum dicenda esset tertia. Non ultra septem recitari possunt, quia rubrica remittit ad dispositionem Tit. IX, n. 12 datam, de orationibus in missis simplicium et feriarum, qua statuitur in his tres orationes dici, aut quinque, et « posse *etiam* dici septem ad libitum ».

II. Quoad ipsas orationes dicendas: 1° in missa cantata vel solemni, in qua nonnisi tres dici possunt et etiam in missa lecta, quando non ultra tres recitantur, a/ si sacrificium offertur pro defuncto vel defunctis *certo designatis*, prima oratio erit conveniens *qualitati* vel *dignitati* defuncti vel defunctorum, *ex diversis* orationibus quæ in missali post quartam missam *de Requiem* describuntur, scilicet pro defuncto, defuncta, pluribus defunctis, pro defuncto Romano Pontifice, Episcopo, Cardinali, Sacerdote etc. (1); secunda oratio erit ad libitum celebrantis ex iisdem orationibus diversis desumpta, v. gr. pro patre vel matre, pro defuncto, defuncta, pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus etc.; tertio autem seu ultimo loco semper reservatur oratio *Fidelium* pro omnibus fidelibus defunctis, quæ in missa quotidiana tertio loco ponitur; b/ « Si vero pro *defunctis in genere* missa celebretur », scilicet pro omnibus animabus purgatorii, vel pro defunctis non certo designatis quorum numerus, qualitas et nomina ignota sunt, vel ad intentionem dantis, quæ intentio nescitur, an pro vivis sit an pro defunctis et exoneratur, ritu permittente, per missam de Requiem (2),

---

(1) Cfr. supra dicta p. 193 et seqq.

(2) Cfr. Ill. Vanderstappen *de rubricis missalis*, q. 322, 6° et 7° et q. 325, 5°; *Ephemerides liturgicæ* 1898, p. 215: « quando intentio illius qui eleemosynam offert, nescitur, defunctus vel defuncti non sunt certo designati... ergo sacerdos nesciens intentionem stipem dantis, hanc adimplere nequit decreti (*30 junii 1896*) dispositionem « (*de prima oratione dicenda pro defuncto vel defunctis certe designatis*); Manet igitur, ut recursus habeatur ad numerum III et IV (*ejusdem decreti*) et id fiat quod in his

« orationes sunt dicendæ, quæ pro missis quotidianis in missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptæ, » scilicet prima « pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus: *Deus qui inter Apostolicos* etc. »; secunda « pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus, *Deus veniæ largitor* » et tertia « pro omnibus fidelibus defunctis, *Fidelium* ». Notetur ergo, in casu quo celebretur pro defunctis in genere, secundam orationem non posse mutari seu sumi ad libitum celebrantis, sed semper dicendam esse pro fratribus, benefactoribus etc., secundo loco in missa quotidiana inscriptam.

2° In missa autem quotidiana lecta, si plures orationes celebranti placuerit recitare, seu duas vel quatuor ad libitum suum addere, quod juxta dicta ad I in missa lecta licitum est, illas post primam et secundam quæ eædem erunt ac in casu quo non dicuntur nisi tres, ponet tertio et quarto vel etiam quinto et sexto loco, easque desumet ex orationibus diversis quæ pro defunctis in missali prostant; postremo autem loco, quinto scilicet vel septimo semper recitabit orationem pro omnibus fidelibus defunctis *Fidelium*.

III. Quoad ordinem servandum in orationibus: si tres tantum recitantur, ordo jam sufficienter indicatus fuit in præcedentibus (II, 1°), tum casu quo pro defunctis certo designatis, tum casu quo pro defunctis in genere celebretur; quando autem in missa lecta plures quam tres dicuntur orationes, prima et secunda item sufficienter determinatæ sunt, quoad alias quæ tertio, quarto vel etiam quinto et sexto loco adduntur pro libitu celebrantis, juxta communiorem doctrinam auctorum convenit ut servetur ordo Missalis, ita ut quæcumque ante aliam in Missali ponitur, ante aliam etiam

---

præscribitur, nempe: *si vero pro defunctis in genere missa celebretur, orationes esse dicendas quæ pro missis defunctorum in missali prostant, eodem ordine, uti sunt inscriptæ.* »

in missa recitetur (1), semper « orationi pro omnibus defunctis postremo loco (quinto vel septimo) assignato. »

*Nota*. In rubrica cavetur ut, quando celebrans *ad libitum* addere velit quasdam orationes, servetur numerus impar. Si autem aliquando ab Ordinario præscribitur oratio imperata pro defuncto vel defunctis, hæc in missis privilegiatis *de Requiem*, in quibus una tantum admittitur oratio, dici non potest; in missis autem quotidianis in quibus tres dicuntur orationes celebrans collectam imperatam, juxta doctrinam auctorum, ponere debet tertio seu penultimo loco, et orationem *Fidelium* quarto et ultimo loco. In tali ergo casu servari non debet impar numerus pro orationibus præscriptus. Si vero celebrans addere vult ad libitum orationes, tunc etiam tertio loco recitabit imperatam et post hanc *unam* vel *tres* orationes ad libitum, reservato ultimo loco collectæ *Fidelium* et ita servato numero impari quinque vel septem (2).

H. V. D. W.

(1) De Herdt. tom. I. nº 65; Ill. Vanderstappen. l. c.. q. 325; Schöber *de Cærem. missæ*, cap. XIV, nota 7; Erker, *Enchiridion liturgicum*, nº 255. Zualdi tamen. *Cæremoniale missæ privatæ*, parte II, tit. XIII, qui citat Certani Tit. XIII, n. 1, aliam tradit regulam: « Orationum ordo sic generatim servetur, ut generalibus singulares et generalioribus minus generales anteponantur. »

(2) Ill. Vanderstappen l. c., q. 325, nota; De Herdt tom. I, nº 72, 7º.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII EPISTOLA ENCYCLICA

## DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

# LEO PP. XIII

## VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Miræ caritatis in hominum salutem exempla, quæ a Jesu Christo prælucent, Nos quidem pro sanctitate officii inspicere et persequi adhuc studuimus, ad extremumque vitæ spiritum, ipso opitulante, studebimus. Nam tempora nacti nimis acriter veritati et justitiæ infensa, quantum erat in Nobis, docendo, admonendo, agendo, prout nuperrima ad vos epistola Apostolica confirmavit, nequaquam intermisimus ea late præstare, quæ sive ad multiplicem errorum contagionem depellendam, sive ad nervos intendendos christianæ vitæ aptius conducere viderentur. In his autem duo sunt recentioris memoriæ, omnino inter se conjuncta, unde Nosmetipsi opportunæ consolationis fructum, tot prementibus ægritudinis causis, recolendo percipimus. Alterum, quum optimum factu censuimus augusto Cordi Christi Redemptoris universitatem humani generis peculiari ritu devoveri; alterum, quum omnes christianum nomen profitentes gravissime hortati sumus, ut Ei ipsi adhærerent, qui vel singulis vel jure sociatis *via, veritas, vita* divinitus est. — Nunc vero eâdem ipsa, advigilante in Ecclesiæ tempora, Apostolica caritate movemur ac prope impellimur ut aliud quiddam ad ea proposita jam confecta, tamquam perfectionem suam

addamus, ut videlicet christiano populo majorem in modum commendemus sanctissimam EUCHARISTIAM, quippe donum divinissimum ex intimo plane Corde prolatum ejusdem Redemptoris, *desiderio desiderantis* singularem hujusmodi cum hominibus conjunctionem, maximeque factum ad saluberrimos fructus redemptionis ejus dilargiendos. Quamquam in hoc etiam rerum genere nonnulla vel antehac Nos auctoritate et studio curavimus. Jucundumque memoratu est inter cetera legitimâ Nos comprobatione ac privilegiis auxisse Instituta et Sodalitia non pauca, divinæ Hostiæ perpetua vice adorandæ addicta; operam item dedisse ut conventus eucharistici digna cum celebritate parique utilitate haberentur; iisdem præterea similisque causæ operibus patronum cælestem attribuisse Paschalem Baylon, qui mysterii eucharistici cultor extitit insigniter pius. — Itaque, Venerabiles Fratres, de hoc ipso mysterio in quo tuendo illustrandoque constanter tum Ecclesiæ sollertia, non sine præclaris Martyrum palmis, elaboravit, tum præstantissimorum hominum doctrina, eloquentia, variæque artes splendide contenderunt, libet capita quædam alloquendo complecti; idque ut apertior atque expressior patescat ejusdem virtus, qua maxime parte se dat præsentissimam hisce necessitatibus temporum allevandis. Sane, quandoquidem Christus Dominus sub excessum mortalis cursus istud reliquit caritatis immensæ in homines monumentum, idemque præsidium maximum *pro mundi vita* (1), nihil Nobis de vita proxime cessuris optare felicius possumus quam ut liceat excitare in omnium animis atque alere memoris gratiæ debitæque religionis affectum erga Sacramentum mirabile, in quo salutis et pacis, sollicitis omnium studiis quæsitæ, spem atque efficientiam maxime niti arbitramur.

Quod sæculo, usquequaque perturbato et laboranti tam misere, talibus Nos remediis adjumentisque ducimus præcipue consulendum, non deerunt sane qui demirentur, et fortasse qui dicta Nostra procaci cum fastidio accipiant. Id nempe est potissimum a superbia: quo vitio animis insidente, elanguescat in iis christiana fides, quæ obsequium

---

(1) Joann. VI, 52.

vult mentis religiosissimum, necesse est, atque adeo caligo de divinis rebus tetrius incumbat; ut in multos illud cadat: *Quæcumque ignorant, blasphemant* (1). Jam vero tantum abest ut Nos propterea ab inito avocemur consilio, ut certum sit contentiore potius studio et recte animatis lumen afferre et sancta vituperantibus veniam a Deo, fraterna piorum imploratione, exorare.

Sanctissimæ Eucharistiæ virtutem integra fide nosse qualis sit, idem enimvero est ac nosse quale sit opus quod humani generis causâ Deus, homo factus, potenti misericordia perfecit. Nam ut est fidei rectæ Christum profiteri et colere summum effectorem salutis nostræ, qui sapientia, legibus, institutis, exemplis, fusoque sanguine omnia instauravit; æque est eumdem profiteri colere sic in Eucharistia reapse præsentem, ut verissime inter homines ad ævi perpetuitatem ipse permaneat, iisque partæ redemptionis beneficia magister et pastor bonus, peracceptusque deprecator ad Patrem, perenni copia de semetipso impertiat. — Beneficia porro ex Eucharistia manantia qui studiose religioseque consideret, illud sane præstare atque eminere intelliget quo cetera quæcumque sunt continentur; ex ipsa nempe vitam in homines, quæ vere vita est, influere: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (2). — Non uno modo, quod alias docuimus, Christus est *vita;* qui adventus sui inter homines causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitæ plus quam humanæ ubertatem: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (3). Statim namque ut in terris *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* (4), nemo quidem ignorat vim quamdam continuo erupisse ordinis rerum prorsus novi procreatricem, eamque in venas omnes societatis civilis et domesticæ permanasse. Novas inde homini cum homine necessitudines; nova publice et privatim jura, nova officia; institutis, disciplinis, artibus novos cursus: quod autem præcipuum, hominum animos et studia ad veritatem religionis sanctitatemque morum traducta; atque adeo vitam

(1) Judæ 10.
(2) Joann. VI, 52.
(3) Joann. X, 10.
(4) Tit. III, 4.

homini communicatam, cælestem plane ac divinam. Huc nimirum ea spectant, quæ crebro in sacris litteris commemorantur, *lignum vitæ*, *verbum vitæ*, *liber vitæ*, *corona vitæ*, nominatimque *panis vitæ*.

At vero, quoniam hæc ipsa de qua dicimus vita expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur atque viget, ita alteram sustentari cibo suo et augeri oportet. Apte hic facit revocare quo quidem Christus tempore ac modo moverit animos hominum et adduxerit ut panem vivum, quem daturus erat, convenienter probeque exciperent. Ubi enim manavit fama de prodigio quod ille, multiplicatis panibus in satietatem multitudinis, patraverat ad litus Tiberiadis, confestim plures ad ipsum confluxerunt, si forte par sibi obtingeret beneficium. Tum Jesus, opportunitate arrepta, similiter ac quum feminæ Samaritanæ, ab haurienda puteali aqua, sitim ipse injecerat *aquæ salientis in vitam æternam* (1), cupidæ multitudinis sic erigit mentes, ut panem alium cupidius appetant *qui permanet in vitam æternam* (2). Neque vero hujusmodi panis, instat Jesus admonere, est manna illud cæleste, quod patribus vestris per deserta peregrinantibus præsto fuit; neque ille quidem quem ipsi nuper a me mirabundi accepistis; verum egomet sum panis iste: *Ego sum panis vitæ* (3). Idemque eo amplius suadet omnibus, et invitando et præcipiendo: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* (4). Gravitatem porro præcepti ita ipse convincit: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (5). — Absit igitur pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiæ usum ad eos fere amandandum esse qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitæ religiosioris proposito. Ea quippe res, qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cujuscumque demum muneris præstantiæve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet)

(1) Joann. IV, 14.
(2) Ib. VI, 27.
(3) Joann. VI, 48.
(4) Ib. 52.
(5) Ib. 54.

divinæ gratiæ in se fovere vitam, cujus ultimum est adeptio vitæ cum Deo beatæ.

Atque utinam de sempiterna vita recte reputarent et providerent ii potissimum quorum vel ingenium vel industria vel auctoritas tantopere possunt ad res temporum atque hominum dirigendas. At vero videmus deploramusque ut plerique cum fastu existiment se novam veluti vitam eamque prosperam sæculo indidisse, propterea quod ipsum ad omne genus utilia et mirabilia inflammato cursu contendere suo impulsu urgeant. Sed enim, quocumque aspexeris, humana societas, si a Deo aliena, potius quam quæsità fruatur tranquillitate rerum, perinde angitur et trepidat ut qui febri æstuque jactatur; prosperitati dum anxie studet eique unice fidit, fugientem sequitur, inhæret labenti. Homines enim et civitates ut necessario ex Deo sunt, ita in alio nullo vivere, moveri, efficere boni quidquam, nisi in Deo per Jesum Christum queunt; per quem late profluxerunt et profluunt optima quæque et lectissima. — Sed horum omnium fons et caput bonorum est potissimum augusta Eucharistia: quæ quum eam alat sustentetque vitam cujus ex desiderio tam vehementer laboramus, tum dignitatem humanam quæ tanti nunc fieri videtur, immensum auget. Nam quid majus aut optabilius, quam effici, quoad ejus fieri possit, divinæ participem consortemque naturæ? At enim hoc nobis Christus præstat in Eucharistia maxime, qua evectum ad divina, gratiæ munere, hominem arctius etiam sibi adjungit et copulat. Id enim interest inter corporis cibum et animi, quod ille in nos convertitur, hic nos in se convertit; qua de re Christum ipsum Augustinus loquentem inducit: *Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me* (1).

Ex hoc autem præcellentissimo Sacramento, in quo potissime apparet quemadmodum homines in divinam inseruntur naturam, iidem habent in omni supernarum virtutum genere incrementa maxima. Et primum in fide. Omni quidem tempore fides oppugnatores habuit; nam etsi hominum mentes præstantissimarum rerum cognitione extollit, quia tamen quæ supra naturam esse aperuit, qualia sint celat, eo videtur mentes ipsas deprimere. Sed olim tum hoc tum illud fidei

(1) Conf. l. VII, c. X.

caput oppugnabatur; deinceps multo latius exarsit bellum, eoque jam perventum est ut nihil omnino supra naturam esse affirmetur. Jamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum, proprie *mysterium fidei* appellatum: hoc nimirum uno, quæcumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* (1). Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit Incarnationem, cujus beneficio restitueretur humani generis salus, secundum illud Apostoli: *Proposuit... instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt, in ipso* (2); Eucharistia, Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quædam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis hominibus copulatur; et supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur; id quod præsignificavit Malachias: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (3). Quod miraculum, unum omnium in suo genere maximum, miracula comitantur innumerabilia; hic enim omnes naturæ leges intermissæ: tota substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertitur; panis et vini species, nulla re subjecta, divina virtute sustentantur; corpus Christi tam multa simul loca nanciscitur, quam multis simul in locis Sacramentum perficitur. Humanæ autem rationis quo magis erga tantum Mysterium intendatur obsequium, quasi adjumento suppetunt prodigia, in ejusdem gloriam, veteri memoria et nostra patrata; quorum publica exstant non uno loco eaque insignia monumenta. Hoc igitur Sacramento videmus fidem ali, mentem enutriri, rationalistarum commenta dilui, ordinem rerum quæ supra naturam sunt maxime illustrari.

Sed ut divinarum rerum fides languescat, non modo superbia, quod supra attigimus, sed etiam depravatio facit animi. Nam si usu venit ut quo melius quisque est moratus, eo sit ad intelligendum sollertior, corporis autem voluptati-

---

(1) Ps. CX, 4-5.
(2) Eph. I, 9-10.
(3) I, 11.

bus mentes obtundi ipsa ethnica dispexit prudentia, divina sapientia præmonuit (1); tanto magis in divinis rebus voluptates corporis obscurant fidei lumen, atque etiam, per justam Dei animadversionem, exstinguunt. Quarum quidem voluptatum insatiabilis hodie cupiditas flagrat, omnesque late tamquam contagio quædam morbi vel a primis ætatulis inficit. Verum teterrimi hujus mali præclarum in divina Eucharistia præsto est remedium. Nam, omnium primum, augendo caritatem, libidinem coërcet; ait enim Augustinus: *Nutrimentum ejus (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas* (2). Præterea castissima Jesu caro carnis nostræ insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: *Christus enim existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem* (3). Quin etiam fructus Eucharistiæ singularis et jucundissimus est quem significavit propheticum illud: *Quid bonum ejus* (Christi) *est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* (4) videlicet sacræ virginitatis forte et constans propositum, quod, vel diffluente deliciis sæculo, latius in dies uberiusque in catholica Ecclesia florescit: quanto quidem ubique cum religionis ipsiusque humani convictus emolumento et ornamento est probe cognitum. — Accedit quod hujusmodi Sacramento spes bonorum immortalium, fiduciâ auxiliorum divinorum, mirifice roboratur. Beatitatis enim studium, quod omnium animis insitum atque innatum est, terrestrium bonorum fallaciâ, injusta flagitiosorum hominum vi, ceteris denique corporis animique molestiis magis magisque acuitur. Jam vero augustum Eucharistiæ Sacramentum, beatitatis et gloriæ causa idem et pignus est, idque non animo tantum sed etiam corpori. Quum enim animos cælestium bonorum copiâ locupletat, tum iis perfundit suavissimis gaudiis, quæ quamlibet hominum æstimationem et spem longe superent; in adversis rebus sustentat, in virtutis certamine confirmat, in vitam custodit sempiternam, ad eamque tamquam instructo viatico perducit. Corpori autem caduco et fluxo Hostia illa

---

(1) Sap. I, 4.
(2) De diversis quæstionibus LXXXIII, quæst. XXXVI.
(3) Lib. IV, c. 2 in Joann. VI, 57.
(4) Zach. IX, 17.

divina futuram ingenerat resurrectionem; siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit, Christo obsecuta affirmanti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die* (1). — Cum re cohæret magnique interest id considerare, ex Eucharistia, quippe quæ a Christo instituta sit tamquam *passionis suæ memoriale perenne* (2), christiano homini castigandi salutariter sui denunciari necessitatem. Jesus enim primis illis sacerdotibus suis: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem* (3), idest hoc facite ad commemorandos dolores, ægritudines, angores meos, meam in cruce mortem. Quapropter hujusmodi sacramentum idem et sacrificium assidua est in omne tempus pœnitentiæ, ac maximi cujusque laboris adhortatio, itemque voluptatum, quas homines impudentissimi tantopere laudant et efferunt, gravis et severa improbatio: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (4).

Præter hæc, si in præsentium malorum causas diligenter inquiras, ea reperies inde fluxisse, quod hominum inter ipsos caritas, caritate adversus Deum frigescente, deferbuerit. Dei se esse filios atque in Jesu Christo fratres obliti sunt; nihil, nisi sua quisque, curant; aliena non modo negligunt, sed sæpe oppugnant in eaque invadunt. Inde crebræ inter civium ordines turbæ et contentiones: arrogantia, asperitas, fraudes in potentioribus; in tenuioribus miseriæ, invidiæ, secessiones. Quibus quidem malis frustra a providentia legum, a pœnarum metu, a consiliis humanæ prudentiæ quæritur sanatio. Illud est curandum enitendumque, quod plus semel Ipsi fusiusque commonuimus, ut civium ordines mutua inter se concilientur officiorum conjunctione, quæ a Deo profecta, opera edat germanum Jesu Christi spiritum et caritatem referentia. Hanc terris Christus intulit, hac omnia inflammari voluit, utpote quæ una posset non modo animæ sed

(1) Joann. VI 55.
(2) S. Thomas Aquin. *opusc.* LVII: *Offic. de festo Corp. Christi.*
(3) Luc. XXII, 19.
(4) I Cor. XI, 26.

etiam corpori beatitatis aliquid vel in præsens afferre: amorem enim immoderatum sui in homine compescit et divitiarum cohibet cupiditatem, quæ *radix omnium malorum est* (1). Quamquam vero rectum est omnes justitiæ partes inter ordines civium convenienter tutari; præcipuo tamen caritatis præsidio et temperamento id demum assequi licebit ut in hominum societate salutaris ea quam Paulus suadebat, *fiat æqualitas* (2), facta conservetur. Hoc igitur Christus voluit, quum augustum hoc Sacramentum institueret, excitanda caritate in Deum, mutuam inter homines fovere caritatem. Hæc enim ex illa, ut perspicuum est, suapte natura exsistit, et sua veluti sponte effunditur: neque vero fieri potest ut ulla ex parte desideretur, quin immo incendatur et vigeat oportet, si Christi erga ipsos caritatem perpendant in hoc Sacramento; in quo, ut potentiam suam et sapientiam magnifice patefecit, sic *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit* (3). Tam insigni ab exemplo Christi, omnia sua nobis largientis, sane quantum ipsi inter nos amare atque adjuvare debemus, fraterna necessitudine quotidie arctius devincti! Adde quod vel signa ipsa, quibus hujusmodi constat Saeramentum, peropportuna conjunctionis incitamenta sunt. Qua de re sanctus Cyprianus: *Denique unanimitatem christianam firma sibi atque inseparabili caritate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum atqae in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum* (4). Similiter Angelicus Doctor ex Augustini sententia (5) hæc habet: *Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud, scilicet panis ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum in unum ex multis acinis confluit; et ideo Augustinus alibi dicit: O Sacramentum*

(1) I Tim. VI, 10.
(2) II Cor. VIII, 14.
(3) Conc. Trid. sess. XIII, *De Euchar.* c. II.
(4) Ep. 69, ad Magnum n. 5 (al. 6).
(5) Tract. XXVI, in Joann. n. 13, 17.

*pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis* (1). Quæ omnia confirmantur Concilii Tridentini sententiâ, Christum Eucharistiam Ecclesiæ reliquisse « tamquam symbolum ejus » unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se con- » junctos et copulatos esse voluit.... symbolum unius illius » corporis, cujus ipse caput exsistit, cuique nos, tamquam » membra, arctissimâ fidei, spei et caritatis connexione » adstrictos esse voluit » (2). Idque edixerat Paulus : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (3). Illud enimvero pulcherrimum ac perjucundum est christianæ fraternitatis æqualitatisque socialis specimen, promiscue ad sacra altaria circumfundi patritium et popularem, divitem et pauperem, doctum et indoctum, ejusdem æque participes convivii cælestis. — Quod si merito in Ecclesiæ fastis hoc primordiis ejus vertitur propriæ laudi quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (4); sane eos tam eximium bonum debuisse consuetudini mensæ divinæ, obscurum non est; de ipsis enim commemoratum legimus: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et in communicatione fractionis panis* (5). — Mutuæ præterea inter vivos caritatis gratia, cui a Sacramento eucharistico tantum accedit roboris et incrementi, Sacrificii præsertim virtute ad omnes permanat qui in sanctorum communione numerantur. Nihil est enim aliud sanctorum communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel cælesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terris peregrinantes, in unam coalescentes civitatem, cujus caput Christus, cujus forma caritas. Hoc autem fide est ratum, etsi soli Deo Sacrificium augustum offerri liceat, tamen etiam honori Sanctorum in cælis cum Deo regnantium, *qui illos coronavit,* celebrari posse ad eorum patrocinium nobis conciliandum atque etiam, ut ab Apostolis traditum, ad labes fratrum abolendas, qui jam in Domino mortui, nondum plane sint expiati. — Sincera

(1) *Summa theol.* III p. q. LXXIX, a. 1.
(2) Sess. XIII, *De Euchar.* c. II.
(3) I Cor. X, 17.
(4) Act. IV, 32.
(5) Act. II, 42.

igitur caritas quæ, in salutem utilitatesque omnium, omnia facere et pati assuevit, prosilit nempe ardetque actuosa ex sanctissima Eucharistia, ubi Christus adest ipse vivus, ubi suo erga nos amori vel maxime indulget divinæque impulsus caritatis impetu suum perpetuo sacrificium instaurat. Ita facile apparet undenam hominum apostolicorum ardui labores, unde tam multæ variæque apud catholicos institutæ benemerendi de humana familia rationes sua ducant auspicia, vires, constantiam, felicesque exitus.

Hæc pauca quidem in re perampla minime dubitamus quin abunde frugifera christiano gregi accidant, si operâ vestra, Venerabiles Fratres, sint opportune exposita et commendata. At vero tam magnum et virtute omni affluens Sacramentum nemo satis unquam, proinde ac dignum est, nec eloquendo laudaverit, nec venerando coluerit. Ipsum sive pie mediteris, sive rite adores, sive eo magis, pure sancteque percipias, tamquam centrum existimandum est in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit; ceteri quicumque habentur pietatis modi demum in id ipsum conducunt et desinunt. Atque ea Christi benigna invitatio benigniorque promissio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (1), in hoc præcipue mysterio evenit et quotidie impletur. — Ipsum denique est velut anima Ecclesiæ, ad quod ipsa sacerdotalis gratiæ amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur. Indidemque haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia: quæ propterea summam curarum in eo collocat ut fidelium animos ad intimam cum Christo conjunctionem per Sacramentum Corporis et Sanguinis ejus instruat et adducat: ob eamque rem cæremoniis sanctissimis ipsum ornando facit venerabilius. — Perpetuam hoc etiam in genere providentiam Ecclesiæ matris ea præclarius commendat hortatio, quæ in sacro Tridentino Concilio edita est, mirificam quamdam caritatem pietatemque redolens, plane digna quam populus christianus a Nobis accipiat ex integro revocatam: « Paterno » affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat et obse- » crat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et

(1) Matth. XI, 28.

» singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis » signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo » jam tandem aliquando conveniant et concordent, memo- » resque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi » Domini nostri qui dilectam animam suam in nostræ salutis » pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, » hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus eâ fidei » constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et » cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstan- » tialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ » vita et perpetua sanitas mentis ; cujus vigore confortati, » ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem pa- » triam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem » modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine » manducaturi » (1). — Porro testis historia est, christianæ vitæ cultum vulgo floruisse melius, quibus temporibus esset Eucharistiæ perceptio frequentior. Contra non minus est exploratum consuevisse, ut quum cælestem panem negligerent homines et veluti fastidirent, sensim elanguesceret christianæ professionis vigor. Qui quidem ne prorsus aliquando deficeret, opportune cavit in Concilio Lateranensi Innocentius III, quum gravissime præcepit, ut minimum per sollemnia Paschatis nemo christianus a communione Dominici Corporis abstineret. Liquet vero præceptum hujusmodi ægre datum, ac postremi remedii loco : semper enim id fuit Ecclesiæ in votis, ut cuique sacro adessent fideles de divina hac mensa participes. « Optaret sacrosancta Synodus » ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali » affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione » communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii » fructus uberior proveniret » (2).

Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium : ab Ecclesia propterea *pro totius mundi salute* assidue offerri solitum. Cujus sacrificii, communibus piorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione cultum addecet ; hac ætate vel maxime, oportet. Itaque

(1) Sess. XIII, *de Euchar.* c. VIII.
(2) Conc. Trid. sess. XXII, c. VI.

multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus. — Principia lumine ipso naturæ perspicua illa sunt: supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina largitate profectum: vicissimque a nobis Deo testandam et summam, ut Domino reverentiam, et maximam, ut beneficentissimo, gratiam. Hæc tamen officia quotusquisque hodie invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus hæc, si unquam alia, præ se fert ætas: in qua rursus invalescit adversus Christum ea vox nefaria: *Nolumus hunc regnare super nos* (1), nefariumque propositum, *Eradamus eum* (2); nec sane quidquam tam vehementi impetu complures urgent, quam ut ex civili atque adeo ex humana omni consortione pulsum segregent Deum. Quo consceleratæ dementiæ quamquam usquequaque non proceditur, miserabile tamen est quam multos teneat divinæ Majestatis beneficiorumque ejus, partæ præsertim a Christo salutis, oblivio. Jamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil jucundius potest. Nam divina est, quæ immolatur hostia; per ipsam igitur tantum augustæ Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas ejus immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati ejus non modo agamus gratiam, sed plane referamus. — Duplicemque alium ex tanto sacrificio insignem fructum licet et necesse est colligere. Mæret animus reputando, quæ flagitiorum colluvies, neglecto, ut diximus, contemptoque Dei numine, usquequaque inundaverit. Omnino humanum genus magnam partem videtur cælestem iram devocare: quamquam ipsa illa quæ insidet, malarum rerum seges, continet justæ animadversionis maturitatem. Excitanda igitur in hoc etiam pia fidelium contentio, ut et vindicem scelerum placare Deum, et auxiliorum ejus opportunitatem calamitoso sæculo conciliare studeant. Hæc autem videant

(1) Luc. XIX, 14.
(2) Jer. XI, 19.

maxime hujus ope Sacrificii esse quærenda. Nam divinæ tum justitiæ rationibus satis cumulateque facere, tum clementiæ large impetrare munera possunt homines sola obitæ a Christo mortis virtute. Sed hanc ipsam virtutem sive ad expiandum, sive ad exorandum voluit Christus integram permanere in Eucharistia, quæ mortis ipsius non inanis quædam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica, renovatio est.

Ceterum, non mediocri Nos lætitia afficimur, libet enim profiteri, quod proximis hisce annis fidelium animi ad amorem atque obsequium erga Eucharistiæ Sacramentum renovari cœpisse videantur; quod quidem in spem Nos erigit temporum rerumque meliorum. Multa enim id genus et varia, ut initio diximus, sollers induxit pietas, sodalitates præsertim vel eucharisticorum rituum splendori amplificando, vel Sacramento augusto dies noctesque assidue venerando, vel illatis eidem contumeliis injuriisque sarciendis. In his tamen acquiescere, Venerabiles Fratres, neque Nobis licet neque vobis; etenim multo plura vel provehenda restant vel suscipienda, ut munus hoc omnium divinissimum apud eos ipsos, qui christianæ religionis colunt officia, ampliore in luce atque honore versetur, tantumque mysterium quam dignissima veneratione colatur. Quapropter suscepta opera acrius in dies urgenda; prisca instituta, sicubi exoleverint, revocanda, ut sodalitia eucharistica, supplicationes Sacramento augusto ad adorandum proposito, sollemnes ejus circumductæ pompæ, piæ ad divina tabernacula salutationes, alia ejusdem generis et sancta et saluberrima; omnia præterea aggredienda, quæ prudentia et pietas ad rem suadeat. Sed in eo præcipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiæ usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiæ, quæ supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni ætate virorum; ut enim corpus, ita animus cibo sæpe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem præbet sacrosancta Eucharistia. Itaque præjudicatæ adversantium opiniones, inanes multorum timores, speciosæ abstinendi causæ penitus tollendæ; ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum

mortalium curis, tum ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento præstantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria. Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis ejus obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti Sacramenti Sacrificiique fontes invitent ac pertrahant.

Ita fiat, quod vehementer cupimus, ut præcellentes Eucharistiæ fructus quotidie uberiores proveniant, fide, spe, caritate, omni denique christiana virtute, feliciter accrescente; idque in sanationem atque emolumentum rei quoque publicæ: fiat, ut providentissimæ Dei caritatis magis magisque eluceant consilia, qui tale mysterium *pro mundi vita* constituit perpetuum.

Quarum Nos rerum erecti spe, Venerabiles Fratres, auspicem munerum divinorum caritatisque Nostræ testem, Apostolicam benedictionem et singulis vobis et vestro cujusque clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXVIII Maii, in præludio sollemnitatis Corporis Christi, anno MDCCCCII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

LEO PP. XIII.

# E Sacra Congregatione Rituum

## LABACEN.

R. D. Josephus Erker canonicus cathedralis Ecclesiæ Labacensis, de consensu R^mi sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. Privilegium circa Missas de Requie concessum sacellis sepulcreti ex Decreto n. 3903, diei 8 Junii 1896 (1), et ecclesiæ vel oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti ex Decreto n. 3944, diei 12 Jan. 1897 ad 1^um (2), favetne etiam sacellis, ecclesiis et oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen hodie quacunque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo non amplius sepeliri soleant?

II. Præfatum privilegium favetne etiam ecclesiæ parochiali, quæ circumjacens habet cœmeterium, quum in casu ecclesia parochialis revera evaserit ecclesia sepulcreti?

III. In anniversariis stricte sumptis laicorum, quæ funeta sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio *Deus indulgentiarum Domine?*

IV. Anniversaria late sumpta, quæ ex Decreto generali n. 3753 diei 2 Dec. 1891 (3) pro fidelium pietate infra octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, suntne adeo præcise adstricta ad dictam octavam, ut aliis temporibus e. g. infra octavam Dedicationis ecclesiæ vel Titularis ejusdem vel in uno ex Quatuor Temporibus non permittantur?

V. In ecclesiis ad chorum non obligatis plures Missas habentibus, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum debetne esse una saltem Missa cum cantu de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, an omnes possunt esse lectæ?

---

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1896, p. 474.
(2) Vide *Collat. Brugen.* 1899, p. 118 seqq.
(3) Cfr. supra p. 92 et p. 198.

VI. Quænam Missa de Requie sumenda est in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicujus defuncti dies depositionis ?

VII. Ex Decreto n. 3944 diei 12 Jan. 1897 ad 3 (1), et 3 Apr. 1900 ad 3 et 4 in una *Vicen.* (2) Missæ privatæ die vel pro die obitus seu depositionis in ecclesiis et oratoriis publicis fieri permittuntur, si in iisdem etiam fiat funus cum Missa exequiali cum cantu, servatis servandis. Quæritur: An funus cum Missa exequiali in cantu fieri debeat etiam in oratoriis *semipublicis*, ut fieri inibi possint præfatæ Missæ lectæ de Requie?

VIII. Juxta præfatum Decretum diei 3 Apr. ad 3 et 4 in una *Vicen.* in oratoriis privatis Missæ, quæ ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie *præsente cadavere in domo*. Quæritur: Utrum hæc præsentia intelligenda sit de præsentia non solum physica sed etiam morali in *domo*, quatenus ex gravi causa ex. gr. ob contagiosum morbum cadaver vetatur haberi in *domo?*

IX. Ex Decreto generali n. 3755 diei 2 Dec. 1891 (3) Missam exequialem solemnem impediunt Festa duplicia I. classis solemniora, sive universalis Ecclesiæ sive Ecclesiarum particularium, *ex præcepto Rubricarum recolenda*. Quæritur: Utrum hæc ultima verba intelligenda sint tantum de Festis fori recolendis cum feriatione ex parte fidelium vel etiam de Festis chori sine feriatione, qualia sunt e. g. anniversarium Dedicationis propriæ ecclesiæ, Festum patroni regionis, diœcesis aut loci, quæ non ubique recoluntur a populo?

X. Quæritur: Utrum Missa de Requie cum cantu, quæ ex præfato Decreto generali n. 3755 ad III, (4) « celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium die, quæ prima occurrat non impedita a Festo 1 et 2 classis vel Festo de præcepto » cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et

---

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1897, p. 281.
(2) Vide *Collat. Brugen.* 1900, p. 389.
(3) Vide *Collat. Brugen.* 1901, p. 529 et 668.
(4) Vide supra p. 90.

Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes, quum licet hæ dies neque Festa sint de præcepto neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludunt tamen eadem Duplicia 1. classis?

XI. Quæritur: 1. An in Missis de Requie, quæ, abstrahendo a Missa exequiali solemni aliisque occasione hujus lectis, in *Semiduplicibus et Simplicibus* occurrentibus ab obitu usque ad depositionem alicujus fiunt cum vel sine cantu, adhibendum sit idem formulare ac in die obitus seu depositionis? 2. an idem dicendum sit etiam respectu Missarum, quæ celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam, si occurrat Semiduplex vel Simplex?

XII. In Decreto n. 3822 diei 3 Apr. 1894 disponitur, « ut dum corpus Episcopi diœcesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriæ ædis aula majori publice et solemniter jacet expositum, Missæ in suffragium animæ ejus per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis etc. ». Quæritur: An hæc dispositio necessario intelligi debeat de *Missis de Requie* pro defuncto Episcopo diœcesano inibi celebrandis, idque nullo habito respectu ritus aut solemnitatis diei, qua celebrantur, sive sit Duplex majus aut minus, sive classicum vel Festum solemne?

XIII. Expositio Sanctissimi Sacramenti publica seu solemnis, quæ fit de licentia Ordinarii potestne fieri etiam cum pyxide collocanda in throno tabernaculi?

XIV. Expositio Sanctissimi Sacramenti privata, et minus solemnis, quæ fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo patefacto, si sit permanens et ex causa publica, impeditne Missas de Requie?

XV. Sacerdos obligatus sive ex fundatione sive ex stipendio accepto ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfacitne suæ obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam officio diei conformem in Semiduplicibus aliisque diebus Missas quotidianas de Requie permittentibus, vel tenetur dictis diebus celebrare Missam de Requie, etiamsi fundator vel dans eleemosynam, Missam de Requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in altari privilegiato?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, omnibusque accurate perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. Missam in cantu de Commem. Omn. fid. defunct. in casu, non esse præscriptam.

Ad VI. Missa erit ut in die obitus.

Ad VII. Negative in casu.

Ad VIII. Affirmative, juxta Decretum 3903 diei 8 Junii 1896.

Ad IX. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, quoad festa localia solemniora.

Ad X. Negative in omnibus, juxta Decr. Gen. n. 3922 diei 30 Junii 1896, § III, n. 2.

Ad XI. Ad 1um et 2um, adhibeatur Missa ut in die obitus, seu depositionis.

Ad XII. Missæ lectæ, in casu, permittuntur ad normam Decreti n. 3903, diei 8 Junii 1896.

Ad XIII. Negative juxta Decreta.

Ad XIV. Affirmative, in casu, juxta Decretum n. 2390 *Varsavien.* 7 Maii 1746 ad 4.

Ad XV. Detur Decretum n. 4031 *Plurium Diœcesium* 13 Junii 1899, ad IV. (1)

Atque ita rescripsit, die 28 Aprilis 1902.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Arch. Laodicen., *Secret.*

**Adnotationes.** Ad I. Juxta hoc responsum privilegium citatis decretis concessum, ut missæ lectæ, quæ celebrari permittuntur in sacellis, ecclesia vel oratorio publico ac principali sepulcreti, possint esse de Requie, diebus tamen non impeditis a festo duplici primæ vel secundæ classis, a Dominicis aliisque festis de præcepto servandis, necnon a feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis (2), non valet pro sacellis, ecclesiis et

(1) *Collat. Brugen.* 1900, p. 687.

(2) Cfr. *Coll. Brugen.* 1901, p. 530.

oratoriis publicis sepulcreti derelicti, in quo scilicet non amplius defuncti sepeliri solent.

Ad II. Confirmatur doctrina quam proposuimus *Collat. Brugen.* 1899, p. 119, scilicet idem privilegium, de quo supra, non valere pro ecclesiis parochialibus quæ circumjacens habent cœmeterium, quum uti diximus, illæ ecclesiæ dici nequeant ecclesiæ sepulcreti sed potius cœmeterium sit dependentia ecclesiæ.

Ad III. Olim nomine anniversarii stricte dicti intelligebatur: missa *de Requie* cantata, relicta ex dispositione testatoris quotannis in die ipsius obitus celebranda (1). Hodie autem post recentiora decreta et speciatim post decretum generale 2 decembris 1891, (nº 3753), jus mutatum est et non amplius omnes illæ conditiones, quæ olim necessariæ erant, requiruntur ut anniversarium stricte sumptum dici possit; sufficit enim ut sit missa cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus vel depositionis aut *alia determinata die*, sive non fundata sed celebrata ad petitionem viventium, recurrente tamen die obitus vel depositionis (2); hoc autem anniversarium, si in diem impeditam incidat, potest vel in proximam diem liberam transferri vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari. Jamvero, cum aliquando anniversarium juxta dicta celebretur extra diem obitus vel depositionis, quæritur utrum dici possit pro laicis oratio *Deus indulgentiarum* ex tertia missa; quæ oratio minus congruere videtur propter verba quæ in casu non verificantur: « quorum (vel cujus) *anniversarium depositionis diem* commemoramus ». Sacra autem Congregatio decernit orationem prout jacet esse dicendam, etiam extra diem obitus vel depositionis, dummodo agatur de anniversario stricte sumpto juxta exposita.

---

(1) Vide De Herdt, I, nº 59; Ill. Van der Stappen, in prima editione *Tract. de rubricis Missalis*, q. 44.

(2) Vide supra p. 91 et p. 195.

Ad IV. Decretum citatum 2 decembris 1891 de speciali gratia permittit ut in *duplicibus minoribus*, quibusdam diebus exceptis (1), celebrari possint illa anniversaria « quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium defunctorum locum habent ». Præsens decretum declarat privilegium concessum limitari ad prædictum octiduum, et non posse extendi v. gr. ad Octavam Dedicationis vel Titularis Ecclesiæ.

Ad V. Declaratur vi rubricarum non debere *cantari* missam in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, in ecclesiis quæ speciali titulo, v. gr. ratione Officii Choralis, non tenentur.

Ad VI. Decreto generali 9 julii 1895, (nº 3864) ad V statuitur: « Si in eamdem diem (Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum) incidat alicujus obitus vel depositio, missa exequialis pro defuncto cantetur, altera tamen non omissa pro omnibus defunctis juxta rubricas; reliquæ vero dicantur ut in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. » (2) Hic autem decernitur non necessario illa die in omnibus ecclesiis esse celebrandam primam (ex quatuor) missis pro defunctis in genere, sed in iis, in quibus unica tantum habetur missa, hanc occasione funeris posse esse secundam ut in die obitus seu depositionis.

Ad. VII. Uti exposuimus *Collat. Brugen.* 1901, p. 532, ex decretis citatis docemur in oratoriis *privatis* missas, quæ ibi permittuntur celebrari, posse esse *de Requie* diebus *duplicibus* (quibusdam exceptis), si cadaver defuncti pro quo celebratur præsens est in domo, et non requiri ut fiat funus cum missa exequiali, quæ ultima conditio exigitur pro ecclesiis et oratoriis publicis. « Privata autem stricto sensu dicuntur oratoria, quæ in privatis ædibus in commodum alicujus personæ,

---

(1) Vide supra p. 92 et p. 198, coll. *Collation. Brugen.* 1898, p. 593 et 1899, p. 314.

(2) Vide supra p. 193.

vel familiæ ex indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. » (1) Hic vero in dubio agitur de *oratoriis semipublicis* et quæritur an in iis funus cum missa exequiali in cantu fieri debeat, ut celebrari inibi possint in duplicibus præfatæ missæ *de Requie*. « Oratoria autem semipublica ea sunt quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate ordinarii erecta sunt, commodo tamen, non Fidelium omnium nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus *communitatis* vel *personarum cœtus* inserviunt... Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres, atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquos Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Capellæ in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantùm ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat » (2). Quæstioni positæ respondetur *negative in casu*, seu non requiri funus cum missa exequiali in oratoriis semipublicis, ut in iis celebrari possint missæ *de Requie* lectæ. Unde dicendum quoad effectum de quo agitur in casu, æquiparari oratorium semipublicum oratorio privato. Cum autem juxta decretum 12 januarii 1897, ut missæ privatæ *de Requie*, de quibus agitur, in ecclesiis et in oratoriis sive publicis sive privatis celebrari possint, semper requiratur ut cadaver sit physice vel moraliter præsens et per decretum 3 Aprilis 1900 declaretur pro oratoriis privatis non requiri funus cum missa exequiali, sed præsentiam

---

(1) *Decr.* 23 Jan. 1899, nº 4007, vide *Collat. Brug.* 1899, p. 181.
(2) *Idem Decr.*

cadaveris *in domo* sufficere, concludi potest etiam pro oratoriis semipublicis in quibus juxta responsum non requiritur funus, sufficere et postulari ut corpus defuncti sit præsens in domo, Seminario, Collegio, pio instituto etc. ad quod pertinent.

Ad VIII. Ex responso sequitur in oratoriis privatis et etiam semipublicis missæ *de Requie* lectæ, servatis aliis conditionibus, non tantum permitti, quando corpus physice est præsens in domo, sed etiam quando non est nisi moraliter præsens, juxta dispositionem decreti 8 Junii 1896 citati quod decernit « missas privatas de Requie fieri posse die vel pro die obitus seu depositionis, præsente, insepulto vel etiam *sepulto non ultra biduum cadavere* (1); dummodo » ex civili vetito aut morbo contagioso aut alia gravi causa præsens esse nequeat (*decr. 2 dec. 1891*, nº 3855 ad 2). Si corpus ergo ex tali gravi causa servari non posset in domo, censeretur tamen moraliter præsens per biduum, ita ut saltem una ex duabus post sepulturam diebus missa *de Requie* permitteretur (2).

Ad IX. Definitur inter festa primæ classis solemniora quæ impediunt missam exequialem etiam corpore præsente, connumerari debere illa festa quæ ex præscripto rubricarum in particularibus ecclesiis solemniter sub eodem ritu celebranda sunt, quamvis de jure non habeant adnexam feriationem seu non sunt de præcepto in populo celebranda, talia sunt festa Titularis et Dedicationis propriæ Ecclesiæ; tale etiam festum Patroni præcipui loci, quod de jure est de præcepto, in aliquibus locis tamen sine feriatione celebratur. Quoad hoc ultimum tamen festum notandum est, cum in nostra regione transferatur ejus solemnitas in Dominica, in hac Dominica et non in die quo occurrit festum, prohiberi missam exequialem, juxta decreta 6 martii (nº 3890)

---

(1) Vide dicta *Collat. Brug.* 1901, p. 531 et p. 666.
(2) Cfr. ibidem p. 532.

et 4 decembris 1896 (n° 3933) (1) et decr. generale 2 dec. 1891, (n. 3755) ad I (2).

Ad X. In decr. generali n° 3755 diei 2 decembris 1891 ad III citatum in dubio, legitur: « Eadem missa (solemnis vel cum cantu *de Requie*) celebrari poterit prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat, non impedita « festo duplici primæ et secundæ classis vel a festo de præcepto » (3). Dubio hic proposito, an tantumodo festa de præcepto et duplicia primæ et secundæ classis impediant hanc missam *de Requie*, ita ut permittatur illis diebus privilegiatis quæ nec de præcepto nec classici sunt sed festa duplicia 1ma classis excludunt, ut sunt feria IV cinerum, dies hebdomadæ majoris et Octavarum Paschatis et Pentecostes etc., respondetur « negative in omnibus ». Ex quo sequitur in casu eamdem regulam tenendam esse, quam tradit rubrica Missalis reformata tit. V, n° 2 de missis privatis pro defunctis quæ ut in die obitus seu depositionis etiam in duplicibus celebrari possunt præsente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, « exceptis duplicibus primæ classis, *diebus duplicia primæ classis excludentibus* et festis de præcepto » (4). Eadem hæc limitatio jam facta erat decr. 12 jan. 1897, ad cujus normam rubrica concinnata est; Juxta ergo interpretationem præsenti decreto 28 Aprilis 1902 datam, temperandum est quod scripsimus supra p. 90-91 de missa post acceptum nuntium obitus et forte etiam quod habemus anno 1901, p. 669 de missa exequiali celebrata post biduum a sepultura.

In responso novi hujus decreti: « negative in omnibus » additur: « juxta decretum generale n° 3922, diei

---

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1897, p. 235 et seqq.
(2) Vide *Collat. Brugen.* 1901, p. 530 et p. 668.
(3) Vide supra p. 90, 2°.
(4) Vide *Collat. Brugen.* 1901, p. 531.

30 junii 1896, § III, n. 2 ». Jam vero loco citato legitur: « Missæ votivæ, sive privatæ (etiamsi dicantur pro aliqua causa gravi), sive solemnes (nisi pro re gravi), sicut et *missæ privatæ pro defunctis*, omnino prohibentur in vigiliis et per octavas *Nativitatis* et *Epiphaniæ Domini*, feria IV Cinerum, a Dominica Palmarum usque post Octavam Paschæ, in vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et *Corporis Christi* necnon in Dominicis per annum et *in festis Duplicibus*, *etiam non de præcepto* quacumque consuetudine non obstante ». Ex quo sequeretur missam quæ celebratur « pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium », etiam diebus duplicibus minoribus non de præcepto et diebus infra Octavas Corporis Christi et Epiphaniæ hujusque vigilia, quæ tamen non excludunt duplicia primæ classis, prohibitam esse et eam non permitti nisi iis diebus quibus celebrantur missæ privatæ seu quotidianæ *de Requie*. Hoc autem omnino oppositum est decreto *generali* 2 decembris 1891, quod privilegium concedere intendit missam, de qua agitur, celebrandi, saltem in duplicibus minoribus et majoribus, cum dicat eam celebrari posse « die quæ prima occurrat non impedita a festo duplici primæ vel secundæ classis vel a festo de præcepto » ; quod impedimentum juxta præsens decretum intelligendum est etiam de diebus duplicia primæ classis excludentibus. Admitti autem non potest hic per responsum particulare interpretativum, sine clausula revocatoria, Sacram Congregationem revocare quod decreto generali concessit (1).

(1) Cfr. etiam decretum *Aquen.* 3 martii 1761, (sub nº 2461 in nova collect. insertum) ad 6: « Cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus in loco dissito, potest in *die duplici* cantari missa de Requiem. Verum, si contingat sabbato post meridiem accipi nuntium, poteritne tunc feria secunda sequenti cantari missa *de Requiem*, etsi officium sit *duplex* non festivum »? Respondet S. Congr. Rit.: « Si sabbato post meridiem accipiatur nuntium de obitu alicujus in loco dissito, poterit feria secunda sequenti cantari missa de Requiem, etsi officium sit duplex non festivum. »

Unde nobis videtur per inadvertentiam provocari ad regulam decreto 30 junii 1896 pro missis *privatis* votivis et *de Requie* traditam et potius citari debuisse decretum 12 jan. 1897.

Ad XI. Hoc responso confirmatur doctrina quam tradimus supra p. 194, scilicet missas quæ alicubi pro defuncto toto temporis spatio mortem inter et sepulturam, permittente ritu, celebrantur *de Requiem,* dici posse cum unica oratione ut in die obitus seu depositionis, et consequenter formulare secundæ Missæ pro laico defuncto, vel primæ missæ cum congruente oratione pro Episcopo, Sacerdote etc. sumi posse; et hoc etiam obtinere pro missis privatis quæ præter exequialem cantatam celebrantur etiam in duplice corpore propter gravem causam absente sed non ultra biduum sepulto. Juxta autem præsens decretum 2°, idem dicendum est respectu missarum quæ celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam (sine missa exequiali), si ritus diei permittat missas privatas *de Requie.*

Ad XII. In decreto 3 april. 1894 citato, prouti innuitur in dubio proposito, non omnino liquet, utrum privilegium concessum celebrandi per totum mane missas in suffragium animæ defuncti Episcopi, cujus corpus in aula Episcopali, servatis servandis, publice et solemniter jacet expositum, sit intelligendum de missis *de Requie* permissis etiam iis diebus quibus missæ quotidianæ vetantur; et ideo in enumerandis casibus quibus licet celebrare missam lectam *de Requie* in festo duplice vel Dominica (1) nullam mentionem hujus privilegii fecimus; hic autem declaratur missas lectas permitti in casu ad normam decreti 8 junii 1896, quo statuitur missas lectas in die vel pro die obitus, celebrari posse iis diebus quibus missa solemnis *de Requie* exequialis decantari potest, exceptis tamen duplicibus primæ classis et festis de præcepto. Decretum autem 12 ja-

(1) *Collat. Brugen.* 1901, p. 529 et seqq.

nuari 1897 interpretando decretum 1896 excipit, uti jam sæpius vidimus, etiam dies duplicia primæ classis excludentes.

Ad XIII. Conferri possunt Ill. Van der Stappen, *de Administratione Sacram.*, q. 173, (2da edit.); De Herdt, Tom. II, nº 21; Decr. 30 nov. 1895 (nº 3875) (1).

Ad XIV. Decretum 7 maii 1846 declarat: « Missæ de Requie *extra* altare, ubi est expositum SS. Sacramentum (in Pyxide), poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa ».

Ad XV. Decretum 13 junii 1899 ad quod provocatur in responso, agit de casu quo sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandum pro uno vel pluribus defunctis aut votivam in honorem alicujus mysterii vel sancti, celebrat missam officio conformem *diebus quibus missa de Requie aut votiva non permittitur;* respondetur sacerdotem satisfacere suæ obligationi, sed « consultius esse, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per missam vel de Requie, vel votivam ». Hic autem supponitur casus quo a Sacerdote obligato sive ex fundatione, sive ex stipendio accepto ad celebrandam missam pro uno vel pluribus defunctis, missa diei conformis applicatur *in semiduplicibus aliisque diebus missas quotitidianas* de Requie *permittentibus;* idem autem datur responsum, saltem pro casu, quo fundator, vel dans eleemosynam, missam *de Requie expresse* non postulaverit, nec missa celebranda sit in altari privilegiato (2).

H. V. D. W.

---

(1) *Collat. Brugen.* 1896, p. 93.

(2) Cfr. Ill. Vanderstappen, *de Rubricis Missalis*, q. 381; et *Collat. Brugen.* 1899, p. 189.

# E Secretaria Brevium

1. Per breve apostolicum diei 13 Martii, die 17 Martii ejusdem anni S. Congregationi Indulgentiarum exhibitum, conceditur a Romano Pontifice indulgentia 300 dierum, semel in die acquirenda, pro pia recitatione invocationis: *Mon Dieu, mon unique bien, Vous êtes tout pour moi, que je sois tout pour Vous.* Conceditur insuper indulgentia plenaria, semel in mense lucrifacienda, iis qui quotidie mense integro dictam invocationem recitaverint, et uno ejusdem mensis die ad cujusque arbitrium sibi eligendo, confessi ac S. Communione refecti visitaverint aliquam ecclesiam vel oratorium publicum, ibique ad consuetas Summi Pontificis intentiones oraverint. Utraque indulgentia etiam defunctis applicari potest.

2. Per breve apostolicum diei 22 Martii 1902, ad S. Congr. Indulg. die 26 ejusdem mensis delatum, conceditur indulgentia 50 dierum recitantibus versiculum cum responsorio: *Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.* Hæc autem indulgentia in favorem animarum purgantium dumtaxat acquiri potest.

3. A S. Congr. Rituum approbatum fuit pium exercitium quod *corona Sancti Spiritus* nuncupatur, in quo, recitatis actu contritionis et hymno *Veni Creator Spiritus,* proponuntur meditatio et exercitatio quædam circa quinque mysteria Spiritus Sancti a/ obumbrantis Mariam Virginem quæ de Ipso concepit Jesum, b/ requiescentis super Jesum in baptismate, c/ ducentis Jesum in desertum, d/ descendentis super Apostolos et sanctificantis Ecclesiam, e/ commorantis in anima justorum. Singulo mysterio adnectitur recitatio unius *Pater* et *Ave* et septem *Gloria Patri.* In fine adjungitur symbolum apostolorum in professionem fidei et semel *Pater, Ave* et *Gloria* ad intentionem Summi Pontificis.

Per breve diei 24 Martii 1902, S. Congreg. Indulg. die 8 Aprilis exhibitum, conceditur hanc *Coronam* recitantibus indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum quovis anni die. Præterea qui dictam Coronam habitualiter recitant acquirere valent indulgentiam plenariam in die festo Pentecostes vel uno die intra ejusdem festi octiduum, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti visitent aliquam ecclesiam vel oratorium publicum et ibidem orent ad consuetas Pontificis intentiones. Quæ indulgentiæ etiam animabus purgantibus applicari possunt.

Tria hæc brevia, necnon textus approbatus *Coronæ Spiritus Sancti* inveniuntur apud *Analecta Ecclesiastica*, 1902, p. 148, sqq.

C. C.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Juillet.

Les conseils de fabrique doivent être convoqués pour le dimanche, 6 Juillet prochain (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809), principalement aux fins d'examiner et d'arrêter le budget pour l'exercice 1903 (art. 47 du même décret combiné avec l'art. 1er de la loi du 4 Mars 1870).

Rappelons que le budget de la fabrique doit être, avant le 15 Août, transmis en quadruple expédition et avec pièces à l'appui, au conseil communal, qui doit en délibérer avant de voter le budget de la commune, et donner son *avis* (art. 1, 2 et 14 de la loi du 4 Mars 1870).

Quant aux règles à observer pour la confection et l'examen du budget, voir *Collat. Brug.*, T. I, p. 309 et 368; T. II, p. 349; — De Brabandere-Van Coillie, *Jur. Can. et Can.-Civ. Comp.*, T. II, n. 1089 svv.

# Pensions de Vieillesse

## Allocation annuelle de 65 francs

**Vieillards hospitalisés** (Art. 6 de l'A. R. du 20 Octobre 1900) (1).

L'appréciation de la condition du besoin dans lequel doivent se trouver les bénéficiaires de l'allocation annuelle de 65 francs, est, comme nous l'avons dit et répété, une question de fait que les Comités de patronage respectifs ont à résoudre dans chaque cas particulier d'après les éléments qui leur sont fournis. Le gouvernement, confiant dans l'organisation loyale de la procédure d'instruction et dans l'équité des Comités de patronage, veut que la décision de ces Comités, si elle est favorable, soit en dernier ressort en ce qui concerne la question du besoin, même pour les intéressés pensionnaires dans un hospice ou recueillis dans un établissement charitable.

Toutefois, des instructions ministérielles ont, à différentes reprises, rappelé aux Comités que « les vieillards recueillis dans une institution charitable qui pourvoit complètement à leur subsistance, c'est-à-dire leur procure le logement, la nourriture, les habillements etc., et éventuellement les soins médicaux, ne peuvent pas être considérés comme se trouvant dans le besoin au sens de la loi » (2); que « les vieillards hospitalisés ne peuvent prétendre à l'allocation de 65 francs, lorsqu'ils reçoivent les secours indispensables pour pouvoir vivre selon la condition habituelle des ouvriers de la région, qu'il n'y a pas lieu de les admettre au bénéfice de la loi parce que l'argent de poche leur ferait défaut » (3).

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, T. VI, p. 74 ss., T. VII, p. 207 ss.

(2) Voir la *Dépêche ministérielle* du 28 novembre 1900 — *l'Instruction générale* de 1902.

(3) Voir la *Circulaire ministérielle* du 5 février 1902.

Certains Comités n'ont-ils pas répondu à l'attente du Gouvernement, la jurisprudence n'a-t-elle pas été uniforme sur les divers points du pays? Toujours est-il que M. le Ministre de l'Industrie et du Travail, dans sa circulaire du 20 mai 1902 aux Comités de patronage rappelle avec insistance les instructions antérieures.

Cette circulaire, la voici:

Monsieur le Président,

Comme suite à un référé adressé à mon département, j'ai l'honneur de vous faire savoir qu'il y a lieu pour les comités de patronage de refuser l'allocation annelle de 65 francs aux vieillards qui sont recueilis dans un établissement charitable et y reçoivent tout ce qui leur est nécessaire pour pouvoir vivre selon la condition habituelle des ouvriers de la région. Les comités qui auraient, à cet égard, interprété erronément la loi du 10 mai 1900 et l'arrêté royal du 20 octobre 1900, auront à modifier leur jurisprudence pour l'avenir en se conformant aux instructions contenues dans ma circulaire du 5 février dernier. Ils doivent, en effet, procéder à une nouvelle information à l'égard des personnes admises en 1901 au bénéfice de la loi, non seulement lorsqu'un changement dans la situation d'un bénéficiaire leur a été signalé, mais toutes les fois qu'ils ont lieu de croire que la décision antérieure repose sur une erreur de droit ou de fait. L'allocation de 65 francs, dont le caractère annal ne peut guère être contesté, sera donc retirée, pour 1902, aux bénéficiaires de 1901 qui, d'après le résultat de la nouvelle instruction, seraient reconnus ne pas remplir les conditions requises.

Si, contrairement aux dispositions légales et réglementaires, la dite allocation était accordée ou maintenue à des catégories de personnes qui manifestement ne se trouvent pas dans le besoin, le Gouvernement prendrait des mesures en vue d'obvier à une extension injustifiée de la loi.

Agréez, Monsieur le Président, l'assurance de ma considération distinguée.

*Le Ministre,*
B^on^ Surmont de Volsberghe.

# Consultatio.

Ad quid in conscientia *tenetur* qui cum puella libere consentiente et absque matrimonii promissione copulam fornicariam habuit e qua proles nata est?

**Respondetur.** 1) Fornicator nulla *restitutionis* obligatione erga *puellam* tenetur, neque ratione integritatis corporalis pessumdatæ et famæ deperditæ, neque ratione damni temporalis quod ex hac amissione oriri potest pro puella; ipsi enim consentienti nulla fit injuria (1).

2) Nec ulla *restitutionis* obligatione tenetur erga *parentes* (aut tutorem) puellæ, sive in bonis fortunæ, sive in honore et fama. Etenim non restituere debet *damnum temporale*, quod ex fornicario actu illis obvenire possit, quia v. g. parentes dotem filiæ corruptæ augere debeant. Nam ipsa filia, quæ principalis agens est in hoc ordine, injuriam strictam non facit parentibus nec ipsis restituere debet: siquidem ipsa est domina sui corporis. Unde nec restituere tenetur defloratur, qui ipsa tantum consentiente, hujus deflorationis particeps fuit (2).

Communius negatur fornicatorem ad reparationem teneri ratione *dedecoris* et *infamiæ* exinde parentibus obvenientis: dedecus et infamia redundat quidem in parentes et conjunctos, sed iterum filia consentiens est domina suæ famæ, et nonnisi mediante ejus infamia exsurgit dedecus parentum et conjunctorum (3).

3) Ratione prolis natæ, *ambo parentes æquali obligatione et in solidum tenentur ad prolem alendam et educan-*

---

(1) Ita fert communis theologorum sententia Cfr. Salmanticenses *De Restit.* C. II n. 2. Billuart, *De Jure et Just.* Dissert. X. Append. II. Marres *De Justitia*, Ruræmondæ T. I p. 394. Illm ac Reverendm Waffelaert *De Justitia*, Brugis 1886, T. II p. 324 etc. etc.

(2) Cfr. Illm ac Reverendm Waffelaert et Marres *l. c.*

(3) Cfr. Illm ac Revendm Waffelaert, *l. c.*

*dam.* Est hæc *gravis obligatio pietatis,* et non est obligatio justitiæ ad invicem, si alteruter huic pietatis obligationi desit, nisi contractus præcesserit de conferenda sua parte.

4 Pariter ambo parentes ex *gravi obligatione pietatis* debent prolem qua suam quamprimùm legali modo *agnoscere*, eamque (licet incestuosam, modo tolli possit impedimentum) *legitimis natalibus* per subsequens matrimonium restituere, ne maneat infamis et hæreditate privetur. Nec possunt parentes sibi invicem hanc obligationem condonare, cùm non erga invicem sed alium tertium obligati sint, scil. erga prolem natam (1). A qua tamen obligatione, ut notat Ill^s ac Reverend^s Waffelaert, (l. c.) rationes excusantes nonnunquam occurrent, ut si alter nolit, aut graviora timeantur incommoda (ut grave scandalum, grave et diuturnum dissidium etc.).

A. C.

# Libri dijudicantur.

**De gemino probabilismo licito.** — Dissertatio critico-practica exarata conciliationis gratia auctore D. Majolo **De Caigny** O. S. B., Congreg. Brasiliensis. — Brugis, soc. sancti Augustini, 1901. In-8° — 124 pp., pret. 2 fr. 50.

**De genuino morali systemate S. Alphonsi.** — Diss. irenico-critica auctore D. Majolo **De Caigny** O. S. B. — Brugis, soc. S. Aug., 1901. In-8° — 316 pp., pret. 5 fr.

Ejusdem Auctoris, tunc sodalis congr. SS. Redemptoris, prodiit anno 1894 *Apologetica de Æquiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophica dissertatio* (Tornaci, apud Casterman), quæ liti circa morale systema S. Alphonsi plus minusve sopitæ novum dedit incre-

(1) Cfr. Marres, *o. c.*, p. 400.

mentum (1). De eadem materia nunc, Ordinem ingressus S. Benedicti, in lucem edidit conciliationis præsertim gratia duo opuscula, quorum brevem heic analysim subjicimus.

Prius, quod inscribitur **De gemino probabilismo licito,** tripartitum existit : in *prima parte* (p. 15-34) exponuntur *tentamina*, tum ab ipso Auctore (anno 1894) tum ab Arendt ad litis cessationem *frustra* proposita. Quæ heic referuntur Auctorum testimonia feliciter exhibent historiam controversiæ post annum 1894 utrimque agitatæ; simul apparet parvam affulgere spem fore ut eisdem adhibitis mediis umquam lis sit cessatura. Unde cl. Auctorem magis delectat, quamvis, « viribus nullatenus fractis sed prorsus integris », aliam eamque *conciliationis* viam ingredi. Porro *legitimæ conciliationis præambula* continet *pars secunda* (p. 35-71): ejus nempe *summam utilitatem* tum ad *veritatem* adipiscendam, tum ad *charitatem* fovendam, tum ad *salutem animarum* promovendam; ejus deinde *veram possibilitatem*, cujus probatio perhibetur extrinseca et intrinseca ; denique *conditiones* requisitas ut conciliatio ad felicem exitum duci queat. — Post illa prævia jam in *parte tertia* evolvitur *practicæ conciliationis demonstratio* (p. 72-116). Cuique notum est sequentia S. Alphonsi verba viam aperuisse controversiæ : « Dico quod si opinio quæ stat pro lege videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur... Dixi *certe* probabilior : quia dum opinio pro lege est certe et sine ulla hæsitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi *notabiliter* probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia (intellige de dubio stricte sumpto....), sed est moraliter aut quasi moraliter certa ; saltem nequit dici amplius *stricte* dubia.... » (Theol.

(1) Istius dissertationis crisim ex professo instituit P. Arendt, S. J.: *Apologeticæ de æquiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophicæ dissertationis a R. P. J. De Caigny C. SS. R. exaratæ crisis...*, Friburgi Brisg., Herder, 1897, cfr. etiam Le Bachelet S. J., *La question Ligorienne*, Paris, Lethielleux, 1899.

mor., L. I, n. 56.) « Jamvero, ait Auctor (p. 75), talis est istorum verborum interpretatio quam *communiter* Æquiprobabilistæ tradiderunt, ut cum interpretatione *sapientiorum* Probabilistarum *practice* consonet. » Etenim Probabilistæ, non excepto, ut videtur, Ballerini, etsi oppositum contenderint Vindiciæ Alph., per verba S. Alphonsi : *certe aut notabiliter probabilior* non intellexerunt certitudinem moralem *strictam*, sed vel explicite opinionem *probabilissimam* vel in genere certitudinem moralem *late dictam*; ex sua parte Æquiprobabilistæ complures opinionem Alphonsianam certe aut notabiliter probabiliorem opinioni *probabilissimæ practice seu moraliter æquipollere* certatim asseruerunt. Hisce breviter exhibetur modus conciliationis, quem jam demonstrat Auctor. Recolatur controversiam hactenus viguisse inter Probabilistas et Æquiprobabilistas in his duobus punctis : 1° an opinio minus tuta (favens libertati) possit esse vere probabilis et in praxi licita, in concursu tutioris *etiam probabilioris;* 2° an liceat sequi opinionem probabilem minus tutam, non solum in dubio de existentia legis, sed *etiam in dubio de cessatione legis certæ.* Jam age *quoad* 1m*:* bene ostendit cl. Auctor *verbis* quidem, *re* autem vix discrepare Probabilistas et Æquiprobabilistas. Hi enim non negant opinionem minus tutam remanere probabilem et licitam, quando opposita non est nisi *parum* probabilior, et sic sequuntur S. Alphonsum Theol. Mor., L. I, n. 55 ; illi vero, exceptis paucis, in hoc relinquendis, admittunt opinionem minus tutam non remanere vere probabilem, quando opposita est sine ulla hæsitatione et notabiliter probabilior, et sic et ipsi sequuntur S. Alphonsum l. c., n. 56. Practice igitur conveniunt, et dissensus plerumque verbalis non diu remaneret, nisi plures verbis luderent et æquivocationibus rem implicarent. Major videtur difficultas *quoad* 2m : Probabilistæ enim contendunt possidere libertatem in dubio *positivo*, non tantum circa legis existentiam, sed *etiam circa legis cessationem;*

contra docent Æquiprobabilistæ legem possidere in dubio positivo *facti*, non juris, de legis cessatione. Quanam via componi possunt? duplex dumtaxat juxta Auctorem via conciliationis proponi potest: « quarum prima foret perfecta: nempe si cuncti Probabilistæ, S. Alphonsum imitando, propriam in hac quæstione sententiam mutarent » (p. 101). — Si mentem aperire liceat, ultro concedimus, istud conciliationis medium esse perfectum, sed datur et aliud, æque perfectum, si np. cuncti Æquiprobabilistæ propriam mutarent sententiam, qui sic etiam imitari possent S. Alphonsum, cum et ipse S. Doctor noverit renuntiare opinioni prius habitæ. Nec sufficit in medium proferre encomia quibus notatim RR. PP. celebrarunt auctoritatem S. Alphonsi, cum hæc non cadant formaliter in partem non substantialem (juxta Cl. Auctorem) systematis Alphonsiani (1). Ceterum de hoc systemate, quodnam sit genuinum et utrum sit tenendum, in altera dissertatione fusior sermo erit; interim manet dubium positivum de efficacia hujus medii conciliationis. Unde examinemus alterum, minus perfectum, quod « consisteret in eo quod, propriis servatis doctrinis, tum Æquiprobabilistæ, tum Probabilistæ clare *conciliativas* enuclearent explicationes utrimque prudenter in hac materia faciendas » (p. 101). Hic iterum, quamvis speculative dissentiant plurimum, spectatis scilicet solutionis dubii principiis, practice non habetur ita magna distantia. Quod assertum probat Cl. Auctor sequenti fere modo: Et primo quidem Æquiprobabilistæ non urgent principium possessionis in favorem legis in dubio *juris*, quando scilicet constat de *facto* sed dubitatur de sufficientia ejus ad finiendam obligationem, sed tantum in dubio *facti*, quando scilicet dubitatur de *existentia* facti quo obligatio cessat; deinde *probabilitas*

---

(1) Lege Cl. Bouquillon *de auctoritate S. Alphonsi* egregie disserentem in sua *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, p. 42 sqq.

*facti* rarius aderit: nam si dubium est de ipso facto impletionis, sæpe vel levis erit ratio dubitandi et tunc juxta omnes manet obligatio, vel tanta erit probabilitas facti ut moraliter certo constet de eo, ut si existentia facti sit unice probabilis vel certo et notabiliter probabilior, et tunc juxta omnes possidet libertas; denique si habeatur revera dubium positivum facti, sæpe adhuc juxta Æquiprobabilistas vindicari potest libertas: nam duce S. Alphonso introducunt principia quædam subsidiaria, quibus obligatio, per se certa juxta ipsos, fiat *per accidens* dubia: Exemplo sint principia: « Ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio », « in legum conflictu prævalet lex potior », « leges positivæ non obligant cum gravi incommodo » et similia. Unde apparet utrumque systema per vias diversas ad easdem vel fere easdem de facto solutiones pervenire, adeoque *practice* non ita differre; apparet etiam praxim probabilismi, sin minus veriorem, esse longe faciliorem, quod et ipse fatetur cl. Auctor. Hujus sane non parvum est meritum, quod methodice, dilucide exposuerit ex professo, quod alii jam indicaverant, quomodo np. practice conveniat geminus probabilismus, primo intuitu adeo dissimilis; atvero persentit ipse conciliationem numquam fore stabilem ac firmam, nisi certis ipsius S. Alphonsi principiis innitatur.

Inde ratio alterius dissertationis: « **de genuino morali systemate S. Alphonsi.** » Hæc constat duplici parte: prima est *historica*, in qua inquiritur germana doctrina S. Alphonsi. Quæ paucis sic exhiberi potest: S. Doctor, relicto Probabiliorismo, quem a magistris acceperat, certissime tenuit Probabilismum, non Probabilismum *damnatum*, qui usum opinionis *tenuiter* probabilis licitum esse voluit (prop. 3ª ex proscriptis ab Innocentio XI), neque *laxum*, qui usum opinionis *certo et notabiliter* minus probabilis licitum esse docuit, quod systema practice reducitur ad systema damnatum, sed *probabilismum quemdam moderatum:* licet nempe sequi opinio-

nem faventem libertati, quando est *æque* probabilis vel *fere æque* probabilis, id est etiam quando opinio favens legi est *paulo* probabilior, dummodo non sit *certo et notabiliter* probabilior. Hanc doctrinam S. Alphonsus in scriptis anno 1762 anterioribus jam *virtualiter* proposuit: in illis scilicet S. Doctor usurpavit formulam minus distinctam, cum doceat constanter licitum esse sequi opinionem probabilem *etiam in concursu probabilioris*, qua formula æquivoca usi sunt plures Probabilistæ recentiores, qui libenter provocabant ad priora scripta S. Alphonsi: sed numquam S. Doctor docuit fas esse sequi opinionem certe et notabiliter minus probabilem, imo semper supponit, expresse interdum id addens, opinionem minus tutam esse vere probabilem, et obiter etiam, at expresse, excludit casum quo excessus sit notabilis. In scriptis posterioribus suum systema clarius exposuit, firmius stabilivit et rectius jura Auctorem applicavit. Hæc autem applicatio indoluit mutationem, non quidem substantialem, sed tamen quoad partem integralem. Et sane est mutatio vera et, attenta controversia inter Probabilistas et Æquiprobabilistas vigente, maximi momenti: respicit minimum applicationem principii possessionis. Diu enim S. Alphonsus cum plerisque Probabilistis asseruit possessionem libertatis in dubio positivo *circa legis cessationem*: sed post annum 1764 cœpit applicare principium possessionis ad modum Æquiprobabilistarum, sensu supra p. 412 exposito. Nec tantum quoad casum specialem de voto mutavit sententiam, sed quoad *generalem* applicationem principii possessionis.

Circa hæc, quæ fusius evolvit et demonstrat doctus Benedictinus, quid sentiamus, breviter sed aperte proferre licet. Quod *nomen* attinet, systema S. Alphonsi non immerito *Probabilismus moderatus* nuncupari potest, quæ denominatio, utpote nemini odiosa, facilius a litigantibus recipi poterit. Quod *doctrinam* ipsam attinet, videtur Cl. Auctor generatim proposuisse genuinum

systema S. Doctoris. In specie nobis videtur negari non posse quod S. Alphonsus in scriptis posterioribus mutaverit sententiam quoad *generalem* principii possessionis applicationem et non tantum quoad casum specialem de *voto*, ita ut quoad hanc partem systematis aperte faveat Æquiprobabilismo. Alia autem quæstio est, utrum necessario sequendus sit in hoc puncto S. Alphonsus: Sane si abstrahatur ab hac parte systematis Alphonsiani, nihil in hoc invenimus quod impedire possit pacem inter Probabilistas et Æquiprobabilistas; imo si spectetur ipsa hæc pars, manet locus conciliationi imperfectæ, quemadmodum indicatum fuit in recensione prioris dissertationis; sed non erit pax completa, nisi vel Probabilistæ vel Æquiprobabilistæ propriæ renuntient sententiæ. Ad nos quod attinet, salva reverentia maxima, quam jugiter retinemus et retinebimus, erga tantum Doctorem, applicationem Alphonsianam posteriorem principii possessionis non satis fundatam habemus, unde sequemur S. Alphonsum juniorem, in hoc sequuti mentem etiam S. Doctoris, quam sic manifestat in præfatione Theologiæ Moralis: « In delectu autem sententiarum ingens cura mihi fuit *semper rationem auctoritati præponere.* »

Succedit deinde pars *juridica*, in qua dilucidantur et demonstrantur *principia*, *substantia* et *methodus* S. Alphonsi. Brevitatis causa, pauca advertere sufficiat. Quæstio juridica non videtur recte posita a cl. Auctore, adeoque nec perfecte tractata. Hoc erat, ni fallamur, examinandum: abstrahendo a systemate morali quod de facto tenuit S. Alphonsus, quænam doctrina, utpote vera vel saltem verior, est retinenda; deinde inquirendum utrum hæc conveniat cum genuina doctrina S. Doctoris. Auctor vero alium ordinem sequitur, prius exponens principia ipsius S. Alphonsi, quæ dein demonstrare conatur. Sed hæc methodus nocet tum claritati expositionis, tum objectivitati, ut ita dicam, demonstrationis. Quod noceat claritati, patet vel ex

primo articulo de natura dubii: certocertius S. Alphonsus, fatente ipso P. De Caigny, interdum satis obscure de dubio locutus est, imo interdum minus accurate. Unde potius notio clara et præcisa dubii, tantopere necessaria ut rite applicetur systema morale, erat præmittenda, puta ex doctrina quam omnes accipiunt S. Thomæ, deinde vero conferenda cum iis quæ tradit S. Alphonsus. Carpimus proinde ordinem, *modum* tractandi: legenti cuivis patebit expositionem esse quidem solidam sed sæpius intricatam. Diximus etiam demonstrationem *apparere* minus objectivam: non negamus quod *sit* objectiva, sed *videtur* minus objectiva, quia Auctor *videtur* tamquam scopum habere in omnibus et singulis vindicare doctrinam quam adscribit S. Alphonso. Hæc quoad methodum sufficiant; non vacat ad trutinam revocare omnes notiones expositas in hac altera parte: plura scitu perutilia inveniet studiosus lector circa naturam dubii (p. 124 sqq.), opinionis probabilis (p. 141 sqq.), certitudinis moralis (p. 186 sqq.). Unum advertere juvat nobis minime placere doctrinam quam Auctor adscribit S. Alphonso nec improbat: *practice* loquendo opinionem *probabilissimam* non distingui moraliter a certitudine *stricta*. — In *epilogo* indicatur quid Æquiprobabilistas, quid Probabilistas agere deceat, ut denique tandem pax et conciliatio fiant. Ad hanc obtinendam sin minus perfecte, saltem imperfecte, non parum conducet duplex dissertatio modo examinata; quodsi plures, exemplum sequuti P. De Caigny (1), partium studiis et inutilibus æquivocationibus vale dicerent, certocertius minori saltem æstu controversia duraret.

H. M.

---

(1) Non tamen approbamus *modum* quo respondet crisi factæ a P. Arendt: « ipse me coegit », ait Auctor, sed timendum ne etiam P. Arendt se habeat coactum ad *paululum* (?) urgendum P. De Caigny, uti jam apparet ex nova crisi quam inchoavit Arendt apud *Analecta Eccl.*, 1902, p. 217 sqq.

Collationes Brugenses

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VII, pag. 217.)*

## § V.

*De diversis functionibus operationis Dei ad extra, respectu creaturarum intellectualium in specie, in utroque ordine naturæ et gratiæ.*

274. Substantiæ naturæ intellectualis, sive pure talis ut Angelus, sive simul sensitivæ et vegetativæ ut anima humana, forma corporis, petunt, qua intellectualis naturæ, immediate a Deo produci per creationem, suntque creatæ per se (1); adeoque et a Deo immediate conservari petunt atque conservantur, ut pluries diximus.

Tota nostra inquisitio nunc est de prima motione Dei divinoque concursu in operatione intellectuali creaturæ, seu in intelligendo ac volendo ejusdem, primo quidem in ordine naturæ, deinde vero in ordine gratiæ.

Et quod naturæ ordinem attinet, notandum præprimis est discrimen hoc inter operationem intellectualem angeli et hominis, quod illius intellectus et voluntas sit semper in actu, noster autem intellectus nostraque voluntas aliquando in actu, aliquando in potentia.

Ita S. Thomas (2): « Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitæ in actu ex sua natura, quæ inest ei semper, licet aliæ quandoque insint ei in potentia: sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant. Substantiæ autem separatæ sunt sub-

(1) De angelo vid. S. Thom., 1, q. 61; de homine, 1, q. 90, et *c. Gent.*, l. II, c. 86-89.

(2) *C. Gent.*, l. II, c. 97, 2.

stantiæ viventes.... nec habent aliam operationem vitæ nisi intelligere. Oportet igitur quod ex sua natura sint intelligentes actu semper. »

Ubi, cum Ferrariensi in h. l., « adverte, quod cum dicitur: substantiam separatam nullam operationem habere nisi intelligere, per intelligere accipitur omnis operatio intellectivæ partis, non autem solus actus intellectus, ut contra voluntatis actum distinguitur. Vocat autem omnem actum partis intellectivæ intelligere, tum quia ab ipso sumit denominationem pars intellectiva, tum quia ad ipsam alia operatio, quæ est voluntatis, consequitur: et sic ponendo ipsum intelligere, ponitur etiam velle. »

Ibidem addit S. Thomas, 4: « hoc, quod nos quandoque intelligimus, quandoque non, provenit ex alteratione quæ est circa partem sensibilem. » Cum igitur angelica substantia non sit unita corpori, operatio ejus propria est in ea « continua et non intercisa. » Quod ita intellige ut sit quidem actuum intellectus et voluntatis successio in angelis, « non tamen motus proprie loquendo: cum non succedat actus potentiæ, sed actus actui (1). »

Et angelus quidem cognoscit et seipsum et Deum per propriam suam substantiam spiritualem, quæ est actu intelligibilis, alia vero tum spiritualia, tum materialia cognoscit per species intelligibiles innatas seu sibi connaturaliter a Deo impressas (2). Cum autem ex dictis intellectus angelicus sit semper in actu, inde tamen non sequitur quod omnia quæ ipsi sunt actu intelligibilia semper considerat et actu intelligit, sed, cum sit etiam volens angelus et per hoc dominus sui actus, sequitur quod in potestate ipsius sit uti specie intelligibili, et hac vel illa, ad intelligendum actu,

(1) S. Thom., *c. Gent.*, eod. lib. II, c. 101 seu ult.

(2) De cognitione angelorum, scil. de virtute cognoscitiva, medio cognoscendi, ejusque objecto atque modo, vid. S. Thom., 1. qq. LIV-LVIII, coll. *c. Gent.*, l. II, cc. 96-101.

*absque nova motione, et ita ut non exeat de potentia in actum, sed transeat ab actu ad actum* (1).

Ex quibus, in hanc rem nostram, statim deducere licet, motionem primam Dei, relate ad intellectum angelicum constituendum in actu, nihil aliud esse quam, ex parte quidem objecti intellectionis, creationem essentiæ angelicæ et infusionem specierum intelligibilium; ex parte vero subjecti intellectionis, constitutionem intellectus angelici connaturalem, vi cujus est semper in actu, ab initio cum ipsa creatione angelicæ essentiæ. Sicut enim Deus non potuit creare angelicam essentiam, absque potentia intellectiva, ita hanc non potuit constituere nisi ab initio in actu, quod est ei connaturale, et cum speciebus intelligibilibus, ei innatis.

Pariter, intelligitur concursus divinus, quantum rursus ad intellectum angelicum in actu constitutum, aliud non esse quam divina conservatio, qua immediate a Deo conservatur intellectus, qui est semper in actu, cum ipsa angelica substantia conservata.

275. Atvero, in angelico intellectu, licet non succedat actus potentiæ, adeoque non sit proprie mutatio, qua formæ recedenti succedat alia forma, neque hoc sensu motio requiratur, est tamen successio actus intelligendi actui, cum libera voluntate angelus intellectum determinat ad speciem intelligibilem, et hanc vel illam, considerandam; unde divina motio divinusque concursus relate ad voluntatem angelicam præprimis consideranda sunt.

Itaque, voluntas angelica quoque semper est in actu, ut dictum est, nempe in actu saltem amoris, qui est primus actus appetitus, seu dilectionis naturalis, quo seipsum benevolenter amat continuo, sicut seipsum continuo intelligit, sibique amore simul concupiscentiæ diligit bonum in communi. Eaque rursus intelligitur esse motio divina voluntatis angelicæ cum ipsa crea-

(1) Cf. *C. Gent.*, l. II, c. 101.

tione angeli connaturaliter concomitans, quemadmodum de intellectu angelico vidimus. Posita autem in voluntate dilectione hac naturali semper actuali, qua angelus vult sibi bonum, nulla requiritur motio ulterior ut velit considerare has vel illas species boni easque proponere sibi appetendas, ita ut actui naturali succedant actus deliberati seu electivi quibus vult se velle hoc vel illud bonum, sed sufficit a Deo conservetur voluntas in actu, quæ proin conservatio hoc titulo vocatur concursus divinus.

276. Jam transeamus ad operationem intellectualem hominis. Intellectus noster nostraque voluntas non sunt semper in actu, sed quandoque in potentia, quod quidem provenit, ut supra notavimus cum S. Thoma (1), « ex alteratione quæ est circa partem sensibilem »: cum enim intellectui non conveniat moveri per se, sicut corpori, sed actu intelligere, et tamen moveatur intellectus noster, siquidem non est semper in actu, id non contingit nisi quia movetur per accidens, quatenus anima intellectiva est unita corpori, quod infra latius explicabitur. Unde statim hoc liquet, præter creationem et conservationem nostræ naturæ intellectualis, qualis in creatione constituta fuit a Deo, requiri aliquam motionem, qua potentiæ intellectuales reducantur in actum, de qua nunc inquirimus.

Ut res clarescat, incipiamus a comparatione cum viventibus inferioribus, de quibus diximus ea magis agi quam agant, etiam ubi seipsa movent, adeoque ea tandem regi in omni motu viribus et legibus materiæ, quamquam diverso modo et proportione servata eorum perfectionis. Et audiamus hac de re Doctorem angelicum: « Considerandum est, *ait* (2), quod cum vivere dicantur aliqua secundum quod operantur ex seipsis et non quasi ab aliis mota, quanto perfectius competit hoc

(1) *C. Gent.*, l. II, c. 97, 4.
(2) 1, q. XVIII, art. 3, in corp.

alicui, tanto perfectius in eo invenitur vita. In moventibus autem et motis tria per ordinem inveniuntur. Nam primo finis movet agentem. Agens vero principale est quod per suam formam agit; et hoc interdum agit per aliquod instrumentum quod non agit ex virtute suæ formæ, sed ex virtute principalis agentis; cui instrumento competit sola executio actionis. Inveniuntur igitur quædam, quæ movent seipsa non habito respectu ad formam vel finem quæ insunt eis a natura, sed solum quantum ad executionem motus; sed forma per quam agunt, et finis propter quem agunt, determinantur eis a natura: et hujusmodi sunt plantæ, quæ secundum formam inditam eis a natura movent seipsas solum habito respectu ad executionem motus secundum augmentum et decrementum. Quædam vero ulterius movent seipsa non solum habito respectu ad executionem motus, sed etiam quantum ad formam, quæ est principium motus, quam per se acquirunt: et hujusmodi sunt animalia, quorum motus principium est forma non a natura indita, sed per sensum accepta. Unde quanto perfectiorem sensum habent, tanto perfectius movent seipsa: nam ea quæ non habent nisi sensum tactus, movent solum seipsa motu dilatationis et constrictionis, ut ostrea, parum excedentia motum plantæ; quæ vero habent virtutem sensitivam perfectam, non solum ad cognoscendum conjuncta et tangentia, sed etiam ad cognoscendum distantia, movent seipsa in remotum motu processivo. Sed quamvis hujusmodi animalia, formam quæ est principium motus, per sensum accipiant; non tamen per seipsa præstituunt sibi finem suæ operationis, vel sui motus; sed est eis inditus a natura, cujus instinctu ad aliquid agendum moventur per formam sensu apprehensam. Unde supra talia animalia sunt illa quæ movent seipsa, etiam habito respectu ad finem quem sibi præstituunt: quod quidem non fit nisi per rationem et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus quod est ad finem, et unum ordinare in alterum.

Unde perfectior modus vivendi est eorum quæ habent intellectum: hæc enim perfectius movent seipsa. Et hujus est signum, quod in uno et eodem homine virtus intellectiva movet potentias sensitivas, et potentiæ sensitivæ per suum imperium movent organa quæ exequuntur motum: sicut etiam in artibus videmus quod ars ad quam pertinet usus navis, (scilicet ars gubernatoria) præcipit ei quæ inducit formam navis; et hæc præcipit illi quæ habet executionem tantum in disponendo materiam. Sed quamvis intellectus noster ad aliqua se agat, tamen aliqua sunt ei præstituta a natura; sicut sunt prima principia, circa quæ non potest aliter se habere; et ultimus finis, quem non potest non velle. Unde, licet quantum ad aliquid moveat se, tamen oportet quod quantum ad aliqua ab alio moveatur. Illud igitur, cujus sua natura est ipsum ejus *intelligere*, et cui id quod naturaliter habet non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ. Tale autem est Deus: unde in Deo maxime est vita. »

277. Heic autem oritur quædam difficultas, cujus solutio nata est lumen præsenti rei magnum offundere. In citato textu indicat discrimen S. Thomas inter plantam et animal brutum, ex quo videtur consequi non esse differentiam inter operationem sensus et intellectus, quantum ad formam per quam creatura mere sensibilis et creatura intellectualis agunt, adeoque nos supra immerito dixisse etiam animalia agi potius quam agere, et S. Doctorem ipsum sibi contradicere, cum alio in loco (1) expresse dicat: « inveniuntur autem in substantiis creatis quædam, quæ non agunt seipsa ad operandum, sed aguntur vi naturæ, sicut inanimata, plantæ et animalia bruta: non enim est in eis agere et non agere. »

Quomodo non sit contradictio exponit breviter Cajetanus (2): « Licet ad habendam formam sensibilem in

(1) *C. Gent.*, l. II, c. 47, 2; ubi lege totum.
(2) In 1, q. XVIII, a. 3. Et vid. pariter Ferrariensem, in l. cit. *c. Gent.*

genere entium, seu medio modo inter potentiam et actum, sensus exterior concurrat pure passive; ad habendam tamen eam in genere cognoscibilium, seu in actu simpliciter seu puro, sensus etiam exterior concurrit non solum passive sed etiam active. » Anima enim vere causa efficiens est illius alterationis, quæ est sentire, quod est pati vitaliter a sensibili. « Igitur animal habet formam sensibilem et ab alio et facit eam in se. Et propterea optime in litera (hujus q. 18 primæ partis) dicitur, quod movet se quoad formam et acquirit eam per seipsam, etc. » Nec tamen minus vere dicitur (*c. Gent.*, l. II, c. 47, 2) quod movere non est animalibus ex seipsis, sed partim ex exterioribus sensatis, et partim a natura; siquidem sensus exterior, in quantum recipit sensibile, ut sensibile, ab exteriori recipit, et in quantum vitaliter id recipit, a natura determinatur.

Unde discrimen omnimodum remanet inter operationem sensibilem bruti et intellectualem hominis: licet enim species sensibilis et phantasma in homine sicut in brutis oriatur, et species intelligibilis ex phantasmate efficiatur ab intellectu agente, ad speciem tamen intelligibilem producendam seu reddendum phantasma actu intelligibile, non concurrit phantasma nisi materialiter et in modum causæ exemplaris, non vero efficienter nec formaliter, nec adeo concurrit objectum externum sensibile, nisi rursum pure materialiter et remote, sed solus intellectus agens reddit phantasma intelligibile actu efficienter, in quantum producit objecti intelligibilitatem proximam; et illud esse, per quod objectum et phantasma redduntur proxime potentia causare speciem intelligibilem in intellectu possibili, est ipse intellectus agens, ideoque hoc sensu reddit objecta et phantasmata materialia intelligibilia in genere causæ formalis (1).

Unde, utrumque actum intellectualis naturæ considerando, intelligere et velle, optime dicit Ferrarien-

(1) Cf. Sylv. Maurus, *Q. physico-metaphysicæ*, q. IV (tom. III QQ. philos.)

sis (1): « Ipsa forma, secundum quam immediate et proxime movetur naturæ intellectualis appetitus, non causatur ab alio agente quam ab ipso intelligente: format enim agens per intellectum in seipso per actum intelligendi formam rei convenientis et disconvenientis, quæ dicitur conceptus intellectus; quod non facit imaginatio bruti, in qua forma convenientis aut disconvenientis ab alio causatur. Judicium quoque, quo aliquid judicatur conveniens aut disconveniens, in natura intellectuali est liberum et non est magis ad unam partem determinatum quam ad alteram, sed agens intellectuale a seipso determinatur; in brutis autem est a datore naturæ determinatum, et quia appetitus sequitur formam rei appetibilis, adjuncto judicio quo judicatur conveniens aut disconveniens, quum bruta et formam et judicium determinatum ab alio habeant, natura autem intellectualis a seipsa habeat utrumque, ideo convenienter dicitur quod formæ moventes in brutis ab alio causantur, in intellectuali autem natura ab ipso intellectu. »

278. Ut totum breviter resumamus, dicamus bruta moveri ab objecto sensibili, vitaliter tamen, quo sensu et se movent; potentias vero intellectuales hominis non moveri ab objecto sensibili, qua tali; sed, posita prævie requisita operatione sensibili, et phantasmate, ab objecto sensibili impresso, a se transformato ad statum intelligibilem, movere se a seipsis.

Unde in brutis sufficit prima motio Dei divinusque concursus, quales supra definivimus; ad operationem vero intellectualem hominis, specialis motio requiritur, alia tamen quam in angelis, qui non moventur proprie sed in ipsa creatione constituuntur a Deo in actu semper.

Itaque, loquamur primo de operatione intellectus nostri, quæ ordine et natura prima est, et aliqua saltem necessario præcedit operationem appetitus, siquidem

(1) In eumd. l. cit. *c. Gent.*

non est actus appetitus rationalis seu voluntatis nisi objecti præcogniti; quamvis dein, ex parte subjecti, ad exercitium actus, voluntas moveat intellectum ad alios actus consequentes, sicut et cæteras animæ potentias (1).

Jam, præ oculis habeamus doctrinam supra expositam, nn. 17 et sqq., de natura et processu cognitionis nostræ intellectualis, et ponamus corpus sufficienter evolutum sensusque integros, ita ut, ex objecti sensibilis impressione orta sensatione et posito phantasmate, intellectus sit in potentia proxima ad primum actum suum, cum, quod subjectum agens attinet, eadem sit anima intellectiva ac sensitiva, quamvis distinctarum potentiarum; ex parte vero objecti, adsit species sensibilis, tamquam materia circa quam agat.

Prima operatio, qua movetur seu movet se intellectus, transeundo de potentia ad actum, est intellectus agentis seu vis abstractivæ, quæ duplici abstractione successiva (2) phantasma reddit actu intelligibile, et imprimit speciem intelligibilem rei sensibilis intellectui possibili, qui ab illa specie, utpote a proprio objecto determinatur, et cum intellectus, qua agens, jam ponatur in actu, intellectus possibilis eo ipso est in actu: nam, ut advertit Ferrariensis cum S. Thoma (3), non mutatur seu movetur proprie in receptione speciei intelligibilis, sed magis quiescens perficitur et intelligit, scilicet non movetur nisi receptione formæ, non abjectione formæ præexistentis.

279. Tota igitur quæstio de prima motione divina, relate ad intellectus operationem, est circa primam operationem, nempe intellectus agentis: in hac enim vere et proprie movetur intellectus, vitaliter quidem seu movendo se, cum de potentia exeat in actum, neque illa motio mere ab intrinseco, a seipso, esse potest, cum

(1) Lege S. Thom., 1, 2, q. IX, a. 1.
(2) V. supra, n. 18 et 19.
(3) *C. Gent.*, l. II, c. 50, 7.

hæc sit prima operatio intellectualis, nec alia potentia inferior movere possit ad exercitium actus potentias intellectivas, neque aliquod objectum sensibile, qua tale, actum intellectus determinare ad actus specificationem. Principium autem extrinsecum ad movendas facultates intellectivas seu eas de potentia in actum reducendas, siquidem movere nihil aliud est quam reducere de potentia ad actum (1) », aliud non est nisi ipsa prima causa. Quomodo jam concipienda illa prima motio divina? Ut sæpius jam dictum, causam secundam movet Deus, sive immediatione suppositi, quando agitur de causa in serie causarum secundarum prima sibique proxima, ut heic contingit in intellectu cujusque hominis, sive immediatione virtutis, qua et cum actu quovis causæ secundæ concurrit; movetque ita ac concurrit ut sit ipse causa *esse* a causa secunda producti, hæc vero sit causa esse *hujus* vel *talis*. Unde pariter, ubi agitur de actu immanente, ut hic, motio divina divinusque concursus est causa esse actus, seu movet ad exercitum actus, non vero actus, ut est hic vel talis, adeoque non ad specificationem actus. Aliis verbis, motio divina facit ut potentia reducatur in actum seu applicetur ad actum, præsentibus jam omnibus ad actum prærequisitis, tum ex parte materiæ et objecti actus, tum ex parte potentiæ proxime expeditæ; quod autem actus sit actus intellectus humani et sit talis speciei, circa tale objectum, hoc se habet ex parte causæ secundæ, quæ est intellectus humanus, et ex parte talis objecti actus.

Attamen, occurrit hic specialis difficultas; licet enim optime intelligatur quomodo, ex parte subjecti seu intellectus agentis, hunc motio divina vitaliter moveat seu applicet ad actum; ex parte tamen objecti, videtur aliquid deesse, cum species solum sensibilis in anima adsit, eaque sit potius materia quam objectum opera-

(1) Cajet. in 1, 2, q. IX, initio.

tionis intellectualis. Ad hoc dicendum est, intellectum divinum esse causam omnis intelligibilitatis, quia in eo sunt actu intelligibiles rationes omnium rerum, Verbum scilicet est illuminans seu constituens actu intelligibilia omnia. Nullus tamen intellectus creatus seu participatus potest per naturam suam rationes rerum in ipso Verbo conspicere, quod solius Dei natura proprium est, quoniam Deo idem est esse, et intelligibilis esse, et intelligere. Itaque intellectus in creaturis est lumen quoddam participatum a divino intellectu, diversa perfectione pro diversa perfectione naturæ illarum creaturarum. Ita intellectus angelicus objective illuminatur directe a Deo, non quidem formaliter, ut in visione beatifica, sed efficienter per infusas species intelligibiles, quæ sint forma intelligendi. In homine vero, sicut anima est forma corporis, ita intellectus pro objecto formali habet, non purum intelligibile directe, cum nulla sit cum puro intelligibili directa communicatio intellectus, sed intelligibile e sensibili phantasmate, adeoque objective non illuminatur directe a Deo per species infusas, ut angelus, sed eget instrui aliqua potentia, quæ prævie efficienter sibi illuminet objectum sibi per sensum conjunctum, idque sub vitali motione et concursu divinis; eget nempe intellectu agente ut quodam lumine participato, non quo intelligat, sed quo intelligibile reddat objectum sensibile: aliis verbis, quod, contra ac in angelis contingit, intellectus humanus sit aliquando in actu, aliquando in potentia, seu quod homo egeat intellectu agente (qui a Deo primum moveri indiget), provenit ex alteratione quæ est circa partem sensibilem, ut supra ex S. Thoma diximus, per alterationem autem seu motum non intelligit, sed impeditur in intelligendo intellectus, tunc vero tantum quiescens perficitur et intelligit, cum post mutationem sensibilem et consequentem motum intellectus agentis, recipit formam seu speciem intelligibilem (1).

(1) Cf. *C. Gent.*, l. II, c. 50, 7.

Uno verbo, dum Deus, ex parte subjecti, in actum reducit intellectum agentem et cum eo concurrit, simul eodem actu, ex parte objecti, efficienter illuminat, cum ipsa functio intellectus agentis sit illuminare seu reddere intelligibile objectum sensibile ejusve phantasma, sub motione et concursu Dei tamquam primæ causæ illuminantis.

280. Igitur prima motio Dei, relate ad intellectum humanum, in eo est quod, ex parte subjecti intelligentis, intellectum agentem seu vim abstractivam primo in actum reducit seu applicat ad suam operationem, simulque, ex parte objecti intellectionis, eadem motione et porro concursu divino, objectum intelligibile primo reddit; ex qua motione atque concursu cum intellectu agente, vitaliter moto et operante, fit ut species intelligibilis ab intellectu agente imprimatur intellectui possibili, qui eo ipso determinatur ad intelligendum.

Est autem, ex dictis supra n. 23, primus conceptus intellectus conceptus entis. Ubi adverte perfectam congruentiam ibidem dictorum cum hic dictis: primus conceptus est esse existens, maxime universale, non hoc vel tale; sicut motio prima Dei est causa esse actus, non actus hujus vel talis. Post primum conceptum entis, jam naturaliter pergit in sua operatione intellectus, sine nova motione Dei immediata immediatione suppositi, cum sit in actu; sub concursu tamen Dei, immediatione virtutis, sicut cum reliquis causis secundis agentibus, concurrentis. Videlicet, ut iisdem n. 23 et sqq. exposuimus, tendit intellectus natura sua ad cognitionem perfectam, quæ est in judicio, idque efficit actu reflexo, duplici regressione sensu inverso duplicis abstractionis in directa apprehensione factæ, et sic pervenit ad primum judicium exprimens principium primum. Et sic porro evolvit conceptum entis, ut distinctius notiones transcendentalium seu inferiorum entis concipiat, simulque respondentia judicia efformet, ex quibus exurgit habitus primorum principiorum. Inter

hæc notiones et judicia est conceptus boni, quod cum ente convertitur, et judicium respondens, bonum est appetendum; quibus ducitur anima ad aliam operationem intellectualem, scilicet primam operationem appetitus intellectivi seu voluntatis, de quo nunc dicendum est.

281. Ast, priusquam ad hanc transeamus, solvenda est aliqua difficultas. Alicui enim videri posset, intellectum in his omnibus operationibus suis, quibus notiones ulteriores acquirit, præter primam notionem entis, nempe transcendentalium notiones, et porro substantiæ et accidentium, causæ et effectus, etc., deque his omnibus judicia efformat, in his omnibus, inquam, intellectum novis usque motionibus divinis indigere, cum ea omnia non efficiat uno actu, neque successivis actibus non interruptis, sed occasione perceptionum sensibilium interruptarum, ita ut postquam fuerit in actu, iterum sit in potentia, adeoque denuo a Deo excitandus.

Ad hoc, considera primo species intelligibiles rerum semel acquisitas remanere actu intelligibiles in memoria intellectiva, quæ non est potentia ab intellectu distincta (1), quamvis non sint actu intellectæ, nec proin intellectus sit in actu: nam, ut ait S. Thomas (2); « non omne illud est intellectum in actu, cujus species intelligibilis actu est in intellectu. Cum enim substantia intelligens sit etiam volens, et per hoc sit domina sui actus, in potestate ipsius est, postquam habet speciem intelligibilem, ut ea utatur intelligendo actu; vel, si habet plures, ut utatur una ipsarum; unde, et ea quorum scientiam habemus, non omnia actu consideramus ». Similiter de judiciis, in quibus est cognitio perfecta, dicendum est ea remanere in intellectu, tum quoad prima principia, qui est habitus principiorum,

(1) Vide S. Thom., 1, q. 79, art. 7.
(2) *C. Gent.*, l. II, c. 101.

tum quoad ulteriores deductiones, de quibus est habitus scientiæ. De habitu principiorum ita loquitur Cajetanus: « Notitia principiorum habitualis naturaliter inest animæ, advenientibus ab extra terminis, ita quod ad intelligibilem præsentiam eorum inditum est quod ab anima, in intellectu possibili, sub lumine agentis, fluat qualitas illa, qua est habitus principiorum.... et, ut semel effluxit, semper perseverat, quamvis non exeat in actum, impedita phantasia (1) ».

Hisce notatis, pronum est concludere intellectum, semel ac species intelligibiles acquisivit necessarias ad hoc ut habitus principiorum exurgat, non amplius egere nova motione divina immediata, immediatione suppositi, sed deinceps moveri ad actum a voluntate; et sic rursum deducimur ad considerandam motionem dividam respectu voluntatis humanæ. Prius tamen assertum nostrum de motione intellectus per voluntatem est ulterius declarandum. Omne dubium excutit Ferrariensis, in l. II, c. 101 supra cit.: Hoc enim assertum, *inf.*, non videtur verum propter duo. « Primo, quia species est agens naturale. Secundo, quia tunc substantia... intelligens per aliquam speciem, prius vellet, saltem prioritate naturæ, intelligere per illam, sed voluntas non potest velle aliquid incognitum..... Ad primum potest primo responderi, ut respondet Capreolus, in 2 Sent., dist. 3, q. 2, ad arg. contra 7 concl., quod licet species intelligibilis sit forma naturaliter agens, non tamen in actum exit nisi per voluntatem: et ideo non tollitur, quin sit in potestate substantiæ intelligentis, quod per ipsam intelligat aut non intelligat. Secundo responderi potest, et forte melius, quod species intelligibilis non est naturale agens, neque sicut agens quod, neque sicut agens quo. Nam de ratione agentis naturalis ut quod, est, quod sit determinatum ad unum, ita quod non possit non agere, si appropinquetur passo

(1) In 1, 2, q. 51, art. 1.

disposito deductis impedimentis.... De ratione vero agentis naturalis quo, est, quod agens sit ad unum determinatum, et non possit per ipsum non agere. Constat autem quod neutrum convenit speciei : neque enim agit intellectionem tamquam id quod ipsam producit; neque intellectus habens speciem, per ipsam necessario intelligit, ut experimur in nobis. Ideo magis dicendum est, quod est principium formale intellectionis liberum, non quidem in se formaliter habens libertatem (hæc enim est conditio principalis agentis), sed quia substantia ipsam habens, secundum eam libere operatur (1). »

« Ad secundum dicitur, quod duplex est cognitio, una confusa et indeterminata, alia distincta et determinata. Cognitionem distinctam et determinatam necesse est præcedere volitionem, non autem omnem cognitionem confusam, et sic non proceditur in infinitum. Intendit ergo S. Thomas de cognitione distincta per speciem, non autem de cognitione confusa et indeterminata. In nobis enim ex aliquo occurrente sensui, excitatur intellectus ad aliquam cognitionem confusam rei, et ex illa movetur voluntas ad desiderium cognitionis distinctæ illius, et sic voluntas intellectum ad cognitionem distinctam illius movet.... Potest etiam dici quod omnem cognitionem actualem præcedit volitio, excepta prima cognitione quam in intellectu Deus immediate causat; non tamen omnem volitionem præcedit necessario actualis cognitio, sed sufficit ut præcedat cognitio actualis aut habitualis. Et propterea, ad hoc quod aliquis velit uti una specie earum quas habet, non requiritur aliqua actualis notitia sed sufficit ipsa habitualis notitia per speciem et libertas intelligentis. Unde Comm. 3 de anima, Comm. 18 dicit habitum esse quo quis utitur cum voluerit ».

---

(1) Cum his cf. quæ supra nn. 196 et sqq., ut perfecte intelligas libertatem esse radicaliter in intellectu, formaliter in voluntate.

281. Jam ergo de prima motione divina respectu voluntatis nostræ inquiramus. Simul ac conceptus boni et respondens judicium, nempe bonum esse appetibile, in intellectu orta sunt, jam determinatur voluntas ad actum, cum aliud non sit voluntas quam inclinatio ad objectum suum seu bonum, unde nec aliquis habitus requiritur nec est in voluntate, respondens habitui principiorum in intellectu (1): primus autem actus ille voluntatis est amor naturalis boni in communi, estque ille amor motio universalis, ex parte objecti, primi moventis Dei auctoris naturæ, præsupposita omni amori, adeoque et omni actui voluntatis. Ex parte autem actus, amor naturalis habet rationem causæ efficientis respectu amoris electivi. Quæ quidem explicata jam habes supra n. 191.

Ex quibus vides motionem qua voluntas primum reducitur in actum, non esse motionem immediatam Dei immediatione suppositi; sed, cum operationes intellectus et voluntatis sint intime connexæ, sicut intellectum necessario consequitur voluntas, et voluntas non est nisi prius natura ponatur intellectus, tota operatio intellectualis in utraque potentia intellectus et appetitus in modum unius accipienda est, cujus quidem operationis ita ex integro consideratæ initium sumitur a præmotione Dei immediata, immediatione suppositi, reducentis in actum intellectum agentem, deinceps vero, sub concursu quidem Dei, immediatione virtutis cum potentiis concurrente, tum intellectus, tum voluntas determinantur ad actum, ex propriis objectis suis, sub alia activitate prævia sive intellectus, sive voluntatis, ut explicavimus. Qua in re, nota discrimen voluntatis nostræ cum voluntate angelica; hanc diximus, cum sit in ipsa creatione in actu constituta, non egere, ex parte subjecti, nisi conservatione divina, quæ hoc titulo concursus vocari potest; voluntas vero nostra, cum re-

(1) Cf. Cajet. in 1, 2, q. 51, art. 1.

ducitur de potentia in actum, proposito ab intellectu objecto suo proprio, eget præter conservationem, concursu distincto, quo Deus immediate, immediatione non quidem suppositi sed virtutis, cum ea cooperetur, statim in ipsa motione et deinceps, quamdiu agit. Quem quidem concursum pro primo instanti seu in ipsa motione ab objecto accepta, nihil prohibet premotionem vocare, ut docimus supra n. 266, in nota, quam hic relege: non tamen eo sensu præmotio est, qui de initio omnis et totius operationis intellectualis dimimus, quæ vere est immediata Dei immediatione suppositi. Ita res explicando, discrimen servabitur cum ordine gratiæ, et operatio divina in hoc alterno ordine aptius, ut putamus, et clarius concipietur, de quo nunc agendum, quo simul supra dicta nova lux effundemur.

282. Cæterum, quæcumque juxta sensum nostrum, adhibitis tamen luminibus præclarissimis Scholæ, in hac quæstione de diversis functionibus operationis Dei ad extra disputavimus, ac porro disputabimus de ordine gratiæ agendo, hæc omnia sapientiorum judicio subjicimus. Persuasum autem habemus omnino, in hac quæstione difficili auctores generatim omnes rem nimis abstracte considerare solere, imo non tantum abstrahere a connexis, quod quidem necesse sæpius est, quoniam intellectus noster non omnia simul valet intueri, sed separare prorsus intime connexa, nec postea eadem componere atque ad invicem conferre. Pariter nobis videtur ferme omnes nimis generice loqui, et considerare productionem, conservationem, motionem, concursum respectu cujusvis creaturæ, quasi nullum sit discrimen faciendum pro diversa natura et perfectione creaturarum: sicque asserta quædam generalia afferre, quin in concreto applicent, cum tamen sine hac concreta applicatione nihil tandem luculenter perspici possit et ansa præbeatur multis ambiguitatibus et infinitis dissensionibus, confusisque disputationibus.

*(Continuabitur).*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Octobris.

—

I

Quid significat expressio *Filius hominis* et quo jure applicatur in Evangeliis Jesu Christo?

II

Explica notionem *simplicitatis* et indica quinam sint modi *compositionis* a Deo excludendi quatenus est ens omnino simplex.

III

Expone quomodo dubium negativum resolvatur per principium, ut dicunt, possessionis.

IV

Expone regulam juxta quam facienda est eleemosyna in necessitate proximi *extrema* et *gravi*.

V

Determina quænam sit obligatio elargiendi eleemosynam in necessitate *communi* proximi. Proba responsum.

VI

Determina quatenus teneatur parochus obligatione orandi.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. Explica Is. XI, 1-5: *Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes et arguet in æquitate pro mansuetis terræ et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus.*

R. Propheta describit tempora Messianica: vv. 1-5 personam Messiæ ejusque regnum, vv. 6-8 divinam pacem quæ tunc vigebit.

Davidica regia familia comparatur arbori, quæ a Deo vindice excidetur, ita ut non nisi truncus in terra latitans remaneat; sed *egredietur surculus de trunco Jesse* patris Davidis *et de radice ejus propago fructum feret*, (ita juxta hebr.). Inter hæc duo membra habetur parallelismus synonymicus, neque alius hic intelligitur surculus præter Messiam quem prævidet propheta collapsi regni restauratorem.

Hujus futuri regis dona jam memorantur: *requiescet super eum spiritus Domini* quibus verbis significatur non mera elevatio et perfectio virium humanarum, sed divinarum proprietatum communicatio, et quidem non transitoria sed stabilis et permanens (*requiescet*). Divinum donum, unicum quidem est relate ad principium suum (est enim *spiritus Domini*), multiplex vero in

effectibus suis. Et primo quidem recensentur duæ dotes cognitionem respicientes : *spiritus sapientiæ* quo missionis suæ finem et muneris sui naturam perspicit, *spiritus intellectus* quo circumstantias in quibus munus est exercendum perpendere valet ; deinde numerantur dotes ad actionem pertinentes : *spiritus consilii* ad indagandum modum viamque assequendi finem, *spiritus fortitudinis* ad consilium non obstantibus quibuscumque difficultatibus exequendum ; postea ita pergit textus, quem ex hebr. vertimus : *spiritus scientiæ et timoris Domini ;* genitivus vero *Domini* utrumque nomen afficit : per hæc dona quatuor dotes supra enumeratæ exercentur conformiter ad mentem et ad voluntatem divinam. *Spiritus scientiæ Dei* rursus cognitionem respicit : Messias intelliget quomodo juxta voluntatem Dei sit judicandum ; *spiritus timoris Domini* ad actionem refertur : voluntatem Dei cognitam cum summa reverentia adimplebit.

Verba quæ sequuntur non levem faciunt difficultatem : primo quidem sensus incertus est : LXX et Vulg. intellexerunt : *replebit eum spiritus timoris Domini ;* Syrus : *splendebit in timore ;* Targum denique : *et applicabit eum ad timorem suum Dominus*. Si presse vertitur textus hebraicus, ita legendum esset : *spirare ejus* vel potius *odorari ejus* (est) *in timore Domini* quæ metaphora ita declarari potest : sicut Deus sacrificii acceptabilis odorem naribus attrahere dicitur (cf. v. g. Gen. VIII, 21) ita Messias delectabitur in timore Domini et quasi odorem suavitatis ex eo suscipiet. Septimum donum a præcedentibus distinctum hic non indicatur. Audiatur R. D. Touzard : Ce vers n'ajoute rien à ceux qui précèdent. Outre que la locution *yireat Yahveh* ne peut avoir deux sens différents en deux vers consécutifs, la construction même de la phrase s'oppose à ce qu'on voie dans 3ª la suite du v. 2 (1). Deinde authentia horum

(1) *Revue Biblique*, T. VIII, (1899) Isaïe XI, 2-3 et les sept dons du Saint-Esprit, p. 251. Eamdem sententiam jam proposuerat Dom Calmet, O. S. B., *Commentarium litterale*, (1734) T. V. h. l. : « numerus septe-

verborum non minus dubia videtur: ad quid enim illa iterata mentio timoris Domini? Præterea legenti patet regularem successionem distichorum (cum duobus membris parallelis) hic perturbari, tertio quodam membro superaddito. Quapropter illud membrum a plerisque criticis rejicitur (v. g. Bickell, Duhm, Cheyne).

In sequentibus describuntur effectus dotum acceptarum. Vers. 3 plures interpretes intelligunt ac si justitia judiciorum filii David ibi celebraretur: tamquam æquus judex, non erit personarum acceptor. Refellitur hæc intepretatio ex eo quod hoc sensu intelligi quidem potest primum membrum: *non secundum visionem oculorum arguet*, minime verò alterum: judex enim debet arguere secundum auditum aurium seu testimonia audire, quod hic tamen negatur. Propterea hæc intelligenda videntur de divina origine scientiæ: judex ille non indigebit ut per sensus externos et testium relationem de re judicanda certior fiat, sed per Spiritum acceptum habebit immediatam rei cognitionem. Inde magis patet hic non prædici regem quemdam mere humanum v. g. Ezechiam, Zorobabel, ut nonnulli rationalistæ effutierunt.

V. 4. Inprimis curam habebit de his qui omni auxilio destituuntur, de *pauperibus* et de *humilibus* (ita melius quam Vulg. *mansuetis*). *Percutiet tyranum* (textus massorethicus habet *erez : terra* quod ortum videtur per errorem amanuensis ex *ariz : tyrannus*) (1) et *interficiet impium*, non quidem per sententiam judicialem, quam carnifex quidam exequi debet, sed per solam verborum

---

narius consecratus est in Patrum sermone et in usu Ecclesiæ. Verum nihilominus est, quod sicuti virtutes omnes sanctique habitus sunt effectus et dona Spiritus Sancti, nunquam ad septenarium numerum ea coarctare contendit Ecclesia; alioquin vero in hebraico textu sex tantummodo recensentur, *Domini* enim *timor* bis iteratur ». Nostri scopi non est proponere historiam interpretationis hujus prophetiæ et evolutionem doctrinæ de septem donis Spiritus Sancti; consulatur Touzard, *l. c.*, p. 252-266.

(1) Ita B. Duhm, Das Buch Jesaia, 1892.

prolationem, *spiritu labiorum suorum*, adeo ut os ejus *virga* comparari possit, qua lethaliter hostes suos percuttit. Indicatur proinde divina Messiæ potentia.

V. 5. *Et erit justitia cingulum* etc. Declaratur fortitudinem regis ex justitia ipsius originem suam ducere: quia homines, antequam opus aggrediebantur, se præcingere solebant, inde cingulum evasit symbolum fortitudinis et alacritatis; sensus proinde est: fortis et promptus erit rex, quia regnum ejus fundatur in justitia et in fidelitate.

A. D. B.

II

Q. *Quæritur utrum ex idea Infiniti, quam habemus nos, demonstrari possit existere Ens Infinitum.*

R. Prænotandum est propositæ quæstionis sensum esse utrum ex hoc ipso quod naturaliter habemus ideam Infiniti sequatur existere ens infinitum, ita ut sequenti syllogismo uti quis possit ad Dei existentiam demonstrandam: Homini naturalis est idea infiniti. Atqui hujus notionis nequit dari ratio sufficiens nisi per hoc quod existit ens infinitum. Ergo existit ens infinitum.

Huic quæstioni respondetur **negative**. Quæ responsio ut probetur, sufficit considerare *quomodo in nobis gignatur idea infiniti*. Hæc idea *deducitur* ex cognitione rerum finitarum quæ nos circumstant. Mens nostra primo quidem concipit rem finitam non *qua finitam*, sed ut perfectionem positivam. Deinde ex majori perfectione quam intellectus videt in alio ente vel quam in ipso illo ente concipit ut possibilem, intelligit illam priorem perfectionem importare negationem ulterioris perfectionis, h. e. concipit illam *ut finitam*. Ita v. gr. si considero sphæram cujus radius est 1, et deinde aliam sphæram cujus radius est 10, intelligo priorem esse *minorem altera*, h. e. esse limitatam seu *finitam*. Hæc notio quæ proprie est de quantitate, sc. de extensione corporea,

deinde per analogiam habetur de omni re et perfectione etiam prorsus immateriali (1).

Est ergo conceptus *finiti* conceptus constans *positivo* simul et *negativo:* finitum enim designat ens quatenus perfectum aliquo gradu ultra quem non se extendit ejus perfectio: hic conceptus gignitur in nobis per *affirmationem* perfectionis et per negationem ulterioris perfectionis. Sed mens nostra ultra procedens potest *negare* hanc *negationem*, h. e. excludere limites ab illa perfectione et sic habetur conceptus *infiniti.* Idea igitur infiniti est positiva quoad id quod repræsentat, sed est negativa quoad modum quo in nobis gignitur et a nobis exprimitur (2), estque discursiva non intuitiva: nam variis suppositis notionibus a mente formatur (3).

Ex his patet ideæ infiniti in nobis naturaliter surgentis rationem sufficientem inveniri in ipso modo quo ex rebus finitis gignuntur in nobis ideæ omnes: hujus igitur ideæ ratio sufficiens non requirit ut existat ens infinitum, et tandem ex hoc ipso quod habemus ideam infiniti non sequitur existere ens infinitum.

**Adnotatio.** I. Ut præcedens responsum compleatur, juvabit breviter indicare tres præcipuas sententias nostro asserto contradictorias.

1. Imprimis hic mentio est facienda argumenti a S. Anselmo dicti ad demonstrandam Dei existentiam: quod potest sic proponi: Infinitum est ens quo majus cogitari nequit; atqui ens quo majus cogitari nequit est necessario existens; ergo ens infinitum est necessario existens, ergo qui habet ideam infiniti ex hoc ipso infert hoc ens a parte rei existere (4).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* supra, p. 358.

(2) Cf. Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ Scholasticæ*. Prati, 1895. Vol. II, De Quantitate, § 5, p. 93; Billot, *De Deo Uno*, Romæ, 1897, Thes. II, § 4, p. 39 et seq.

(3) Cf. Jungmann, *De Deo Uno et Trino*, n. 25.

(4) En verba S. Anselmi: « Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest; quia hoc cum audit, intelligit; et quidquid intelligitur in intellectu est. Et certe id quo majus

Concessa majore, minor syllogismi negatur. Etenim « notio entis quo majus cogitari nequit, *a priori considerata* non est nisi mera creatio intellectus nostri de qua adhuc nescitur an habeat a parte rei, id est, in ordine ontologico aliquid correspondens » (1). Verum est in notione entis quo majus cogitari nequit includi notam existentiæ necessariæ, ita ut si *concipio* ens quo majus cogitari nequit *concipio* ens necessario existens, sed ex hoc quod *in mente* mea *efformo conceptum entis necessario existentis* non possum deducere *extra mentem*, nempe a *parte rei*, *existere* tale ens: talis illatio esset transitus omnino indebitus ab ordine logico ad ordinem ontologicum (2).

2. Quidam, ut Cartesius ejusque sequaces (3), tenent ex idea infiniti naturaliter nobis præsente demonstrari existere ens infinitum quia, nisi existeret ens infinitum, idea infiniti non haberet valorem objectivum, h. e. non haberet aliquid ipsi correspondens a parte rei.

Igitur Cartesius ideam infiniti considerat ut ideam *directe ab objecto* infinito in nos provenientem. Sed in hoc errat: nam, uti supra exposuimus, idea infiniti in nobis gignitur *per viam negationis* ex apprehensione rerum finitarum, et idea infiniti nobis non directe repræsentet ipsum ens absolute perfectum.

3. Alii, nempe Ontologistæ, censent ideam infiniti esse immediatam, scilicet esse ipsam *intuitionem* Entis Infiniti, et sic ratiocinantur:

« Si immediata est nostra entis infiniti idea, ens infinitum certo certius existit, quandoquidem illud ipsum

---

cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re: quod majus est. Si ergo id quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu, idipsum quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest; sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu, et in re. » Proslog. c. 2.

(1) Billot, op. c., Thes. III, § 1.

(2) Cf. Janssens, *De Deo Uno*, Romæ, 1899, I P. Q. II, a. 1, § 3, p. 101.

(3) Cf. Janssens, op c. 1 P. Q. II, Appendix, p. 175; Card. Zigliara, *Summa Philosophica*, V. II, Theologia Naturalis, L. I, c. I, a. 2; Billuart, *De Deo*, Diss. I, a. 3.

sine ulla re alia interposita percipimus. Quin imo tum Deus ceu ens infinitum non demonstratur, sed conspicitur, sicut lux corporea ab intuente non demonstratur, sed cernitur. Atqui ideam illam vere immediatam esse vel exinde probatur quod et veram entis infiniti notionem habemus, et entis infiniti perfectiones habere aut nobis exhibere nihil aliud potest quam quod ipsum infinitum sit » (1).

Ad hoc respondemus negando minorem, negando scilicet immediatam nobis inesse ideam Entis Infiniti, Illudque a nobis naturaliter cognosci per intuitionem. Integram Ontologismi refutationem exponere non est hujus loci (2). Ad rationem autem quam in demonstrationem minoris affert citatus auctor respondetur distinguendo: veram et *propriam* entis infiniti notionem habemus, nego; veram *sed analogicam* ideam entis infiniti habemus, concedo. Hæc analogica entis infiniti notio non est ex intuitione Entis infiniti, sed gignitur per abstractionem et per viam negationis ex consideratione rerum finitarum quæ nos circumdant.

II. In quibusdam circulis propositæ quæstioni responsum fuit *affirmative*. Quidam hanc sententiam stabilire conati sunt verbis Ill^mi^ ac Rev^mi^ Waffelaert exponentis quomodo ratio humana faciliter cognoscere possit Dei existentiam (3). Sed attente consideranti patebit in prælaudato opere non doceri hominem *ex ipsa idea*

---

(1) Ubaghs, *Theodiceæ Elementa*, Lovanii, 1852, n. 101.

(2) Cf. Jungmann, op. c., nn. 53-55 et 70-75; Franzelin, *De Deo Uno*, Sect: II. c. I; De San, *De Deo Uno*, § I, n. 18; Billot, op. c. Thes. II; Janssens, op. c., I P. Q. II. a. 1. § 1.

(3) En verba Ill^mi^ Auctoris: « Absque difficultate ad hoc judicium *(Deus existit)* pervenit: nam, conferendo ut dictum est notionem spiritus infiniti cum notione finiti, abstrahendo ab hujus existentia, vidit talem esse inter utramque relationem, ut infinitum in sua notione includat existentiam, ut sit a se seu melius αὐτό ον, et a quo omnia extra se in existendo dependeant: contra finitum, eo quod finitum est, concipi necessario ut non a se et ut petens extra se causam existendi. Hoc posito, sufficit reflectere ad realem existentiam finiti, dicendo: Atqui, finita evidenter existunt realiter ut liceat concludere: Ergo infinitum realiter existit ut causa finiti ». *Meditationes Theologicæ, Collat. Brug.* T. II, p. 2.

*infiniti*, quam naturaliter habet, inferre posse *existere ens infinitum*, sed hominem, quum habeat ideam entis infiniti, posse *ex consideratione existentiæ finiti* concludere existere ens infinitum ut *causam finiti*.

Hæc est demonstratio *a posteriori*. Cæteroquin explicite rejicit Ill[s] Auctor demonstrationem Dei existentiæ quæ desumeretur ex ipsa idea nostra entis infiniti: « Dum enim omnia inferiora usque ad propriam animam primo et immediate apprehendit homo ut quod sunt, et deinde quid sunt indagavit; contra, notionem spiritus et Dei, quid est, primum analogice ex inferioribus deduxit, non vero primum et immediate ut quod est intellexit; notio igitur Dei est mere subjectiva et in ordine logico: unde si a notione tali ad objectum, ab ordine intellectionis ad ordinem ontologicum concluderetur, *incurreretur vitium* argumenti quod S. Anselmi vocari solet..... » (1).

Nonnullus S. Thomæ verba invocavit sequentia: « Intellectus noster intelligendo aliquid, in infinitum extenditur: cujus signum est, quod quantitate qualibet finita data, intellectus noster majorem excogitare possit. Frustra autem esset hæc ordinatio intellectus ad infinitum, nisi esset aliqua res intelligibilis infinita. Oportet igitur aliquam rem intelligibilem infinitam esse, quam oportet esse maximam rerum: et hanc dicimus Deum..... » (2).

Sed a hæc demonstratio non est *ex ipsa idea* seu notione *infiniti* quam habemus, sed ex *naturali tendentia* intellectus nostri: ideo hoc argumentum vocatur *psychologicum*.

b Non videtur hanc rationem desumptam ex naturali tendentia intellectus humani esse vere demonstrativam existentiæ Dei (3).

J. V. D. M.

---

(1) *Collat. Brug.* T. I, p. 521.

(2) S. cont. Gent. L. I, c. 43.

3, Ci. Bonpensiere. *Commentaria in I P. Summæ Theologica*, Romæ, 1902, n. 176.

## III

*Q. Explica et proba hanc propositionem: Conscientia est regula proxima et formalis actuum humanorum.*

R. Regula seu norma directiva actionum humanarum maxime *remota*, sed prima et principalis, est *lex æterna*, cum nihil aliud sit quam « ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum » (1); ab ea descendit *lex naturalis*, quippe quæ est « participatio legis æternæ in rationali creatura » (2); ab eadem omnes leges *positivæ* sive divinæ sive humanæ derivantur (3). Ut vero homo actus vere morales ponat, non sufficit quod regulam remotam cognoscat, cum lex sit ordinatio quædam generalis ex se abstrahens ab adjunctis particularibus, sed insuper requiritur ut eam applicet ad casus et circumstantias particulares. Porro hæc applicatio fit per *conscientiam*, quæ « respectu actionum nostrarum nihil est aliud, quam intimatio seu quasi promulgatio et applicatio regulæ et Legis divinæ ad hic et nunc operandum » (4). Hoc autem judicium intellectus, quod est conscientia, inspecta natura facultatum nostrarum, necessariò præcedit actum voluntatis. Hæc enim, utpote potentia cæca, in operatione sua dirigi et gubernari debet: non fertur in suum objectum nisi prout ei ab intellectu proponitur nihilque appetit nisi ab intellectu propositum et eo modo quo est propositum. Jamvero actus specificatur ab objecto in quod fertur, sub ea ratione sub qua fertur in illud. Unde actus voluntatis non participat moralitatem objecti nisi prout ei ab intellectu proponitur, et cum conscientia nihil aliud sit quam judicium intellectus

---

(1) S. Th. 1ª 2ªᵉ, q. 93, a. 1.

(2) Ibid. q. 91, a. 2.

(3) Ibid. q. 93, a. 3. — Cfr. Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*. p. 17 sqq.

(4) Billuart, *Tract. de actibus humanis*, diss. V, art. 1.

de moralitate objecti in quod hic et nunc fertur voluntas, actus humanus accipit suam bonitatem vel malitiam ab objecto, prout illud est in operantis conscientia (1). Unde habemus conscientiam esse actuum humanorum:

1. *regulam* seu normam directivam, cui si conformis sit actus, rectus evadit et honestus, curvus vero et perversus, si difformis ab ea; regulam non quidem *ratione sui*, quasi conscientia esset per se obligans, sed quia proponit et applicat regulam et legem in particulari (2). Quod pulchre expressit S. Bonaventura: « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis » (3).

2. regulam *proximam* et immediatam, quatenus applicat remotam ad actus particulares et inter operationem voluntatis et ultimum conscientiæ dictamen nil mediat (4).

3. regulam *formalem* seu subjectivam, « quia est vitalis, intellectualis ac formalis applicatio, seu unio, per quam regula objectiva repræsentatur et applicatur voluntati » (5); cui proinde si actus sit conformis, erit formaliter bonus, cui si difformetur, erit formaliter malus.

**Nota.** Post exposita non ita difficile determinari potest *quonam sensu conscientia possit dici fundamentum moralitatis subjectivæ*. Sane non sufficit apprehensio objecti sub respectu morali ut possit actus imputari agenti, sed insuper requiritur libertas. Imputabilitas

---

(1) Sic patet voluntatem regulari ab intellectu quoad omnes suos actus; quamvis vero voluntas habeat imperium in intellectum, numquam regulat illum actum intellectus a quo ipsa regulatur. Ill$^{s}$ ac Rev. Waffelaert, *l. cit.*, p. 84, coll. p. 15 sqq.

(2) Terillus cit. apud Ill. ac Rev. Waffelaert, *l. cit.*, p. 83; Billuart, *l. cit.*

(3) In II, dist. 39, art. 1, q. 3, ad 3; S. Thom. *De verit.*, q. XVII, a. 3. Cfr. Bouquillon, *Th. mor. fund.*, ed. 2$^{a}$, n. 250.

(4) Terillus, *l. cit.*

(5) Terillus, *l. cit.*

enim importat relationem specialem actus ad agentem, qua actus fit proprio sensu actus ipsius agentis. ita ut ipsi possit attribui, in laudem et meritum, si bonus, in vituperium et demeritum, si malus (1). Sed liberum præsupponit voluntarium (2), et sicut nihil volitum nisi præcognitum, ita nihil est voluntarium quin aliquo modo cadat sub cognitione operantis. Unde libertas præsupponit cognitionem, ac proinde ut scite advertit Ill^s ac Rev^s Waffelaert, (3), moralitas prius est in intellectu per modum veri et regulæ quam in voluntate per modum regulati et imputabilis, et sic patet fundamentum moralitatis subjectivæ esse conscientiam et libertatem (4).

H. M.

## IV

Q. *Quale et quantum peccatum est agere contra conscientiam præcipientem vel prohibentem?*

R. *Tale et tantum est peccatum quale et quantum proponit conscientia* sive vera sive erronea seu agens contra conscientiam etiam erroneam peccat mortaliter vel venialiter et in illa specie peccati, prout conscientia dictaverit peccatum esse mortale vel veniale, contra hanc vel illam virtutem. Ratio est quia quantitas et species malitiæ ab objecto desumitur, non secundum se, sed ut apprehenso et voluntati proposito. *Excipe:* nisi id quod conscientia errans vincibiliter dictat esse leve sit reipsa grave, quia error voluntarius, qualis est vincibilis, non tollit gravitatem essentialem peccati (5).

---

(1) Apposite S. Thomas in 1^a 2^æ, q. 21. a. 2: « Ex hoc dicitur actus culpabilis vel laudabilis, quod imputatur agenti.... Tunc autem actus imputatur agenti quando est in potestate ipsius, ita quod habet dominium sui actus ».

(2) *Collat. Brug.*, T. VII. p. 83 sq.

(3) *De dubio solvendo in re morali*. p. 84.

(4) De Baets, *Les bases de la morale et du droit*. 1892, p. 185 ss.

(5) Billuart. *l. cit.*, art. 3.

Quisquis enim novit vel saltem suspicatur se in ignorantia legis versari, tenetur, antequam agat, de lege inquirere et reus est cujusvis violationis legis quam prævidere potest et debet ex ignorantia vincibili sequi posse, et quam, cum possit, negligit avertere (1).

At quæri potest *quantum* peccet qui agit contra conscientiam, dictantem quidem aliquid esse malum, non tamen indicantem an sit mortale vel veniale. Cui quæstioni sic responderi posse videtur : si agens apprehendat *in confuso* actionem ponendam ut venialiter vel mortaliter malam, videtur quoque venialiter vel mortaliter peccare. Talis apprehensio saltem confusa plerumque aderit : quamvis enim reflexe non agnoscat mortale vel veniale, tamen conscientia quasi semper ita se habet ut vel multum refugiat facere, et tunc exercite satis apprehenditur malitia gravis, vel non ita refugiat facere, et tunc apprehenditur malitia tantum levis. In supposito autem quod *ne confusa quidem* illa apprehensio habeatur, videtur probabilius venialiter tantum peccari. Idem dicendum videtur de casu quo quis *dubitat* de malitia, præscindendo ab ejus gravitate vel levitate ; non vero de casu quo quis dubitat non de ipsa malitia sed de ejus gravitate vel levitate : talem enim committere peccatum mortale certum est (2).

Item quæritur *cujus specici* sit peccatum, si conscientia dictet actum quidem esse malum in genere, sed non determinet ullam speciem malitiæ. Respondetur ad

---

(1) *Collat. Brug.*, T. I, p. 228. — Adverte quod agens contra conscientiam erroneam non incurrat *pœnas* latas in transgressores legis, quam ex errore putat se violare ; sic v. g. qui percutit laicum, falso putans esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis contrahat reatum sacrilegii. Cfr. Theol. Mechlin. (a. 1895), *Tract. de Conscientia*, n. 93.

(2) Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª , p. 684, nota 2 ; Theol. Mechlin., *l. cit.*, ubi præterea notatur apud peccatores habituatos, qui peccata mortalia nihili æstimant, raro deesse sufficientem ad mortale advertentiam, licet minus vivaciter quam alii malitiam gravem advertant. Eamdem restrictionem ponit S. Alph. Lib. I, n. 23, addens : « modo etiam homo sit timoratæ conscientiæ. »

mentem S. Thomæ (1ª 2ᵉ, q. 19, a. 5, ad 3) tunc peccari peccato inobedientiæ, quia si actio non apprehendatur sub determinata specie mali, non potest tamen apprehendi ut mala, nisi in confuso saltem apprehendatur tamquam contraria divino præcepto. Committitur ergo inobedientia specialis, sicut foret obedientia specialis, si quis faceret opus de se indifferens, quod putaret esse præceptum, non reflectens ad ullum præceptum particulare (1).

**Nota**. Agere contra conscientiam *per se* non est speciale peccatum distinctum ab eo quod committitur contra legem apprehensam, quia præceptum agendi secundum conscientiam non est speciale præceptum, sed generale, quale est præceptum obediendi legi (2). Unde vis obligatoria conscientiæ per se est communis, non autem specifica. Dictum est *per se:* potest enim per accidens esse peccatum speciale, puta si quis expresse agat contra conscientiam, ut eam paulatim exstinguat: tunc enim habetur malitia specialis inobedientiæ, qua quis non vult subjici conscientiæ suæ, tamquam regulæ actuum humanorum, quemadmodum in eo qui agit contra præceptum ex contemptu formali (3).

H. M.

## V

Q. *Quæritur utrum et quo sensu dilectio inimicorum sit in præcepto?*

R. *Dilectio inimicorum* **in universali seu in communi**, « *ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat* », *est in præcepto; dilectio inimicorum* **in particulari**

(1) Billuart, *l. cit.*, art. 3; Theol. Mechlin., *l. cit.*

(2) Billuart, *l. cit.*; Wiggers, in 1-2, q. 19, n. 25. Cfr. Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Diss. sur l'espèce morale du scandale*, Bruges, 1892, n. 24.

(3) Wiggers, *l. cit.*, Theol. Mechlin., *l. cit.*, Raphaël a S. Joseph, *Instit. fundamentale theologiæ moralis* (1884). *De Conscientia*, n. 15.

**seu in speciali** « *ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum* », *non est absolute de præcepto sed tantum secundum præparationem animi* (1).

**Explicatio.** 1/ De necessitate charitatis est dilectio inimicorum **in universali** seu **in communi** « quantum ad naturam », ut ait S. Thomas, scil. elevatam, seu quatenus homines sunt, supernaturalis beatitudinis capaces. Etenim amor tùm affectivus tùm effectivus debet esse *universalis*, ità ut nulla persona excludatur, in qua ratio illa dilectionis quam respicit charitas, invenitur. Jamvero, cùm charitatis motivum sit bonum divinum in se, connotando hoc bonum in societate supernaturalis beatitudinis esse communicatum et communicabile (2), oportet ut ratione Dei per se dilecti, diligamus illos omnes ad quos bonum divinum aut jam pervenit, aut pervenire potest, inter quos absque dubio numerandi sunt inimici.

Inimici ex præcepto charitatis diligendi sunt *in universali seu in communi,* i. e. non possunt excludi ab illa charitate qua homo omnes proximos universim seu in communi diligere debet. Unde per se (3) tenemur inimicis præstare *signa dilectionis communia* (4), ex sola

---

(1) Cfr. S. Thomam, (2ª 2æ, q. 25, a. 8 in corp.) qui præter duplicem prædictum modum quo dilectio inimicorum intelligi potest, indicat et tertium, quo nempe inimici diliguntur *in quantum sunt inimici* (seu *reduplicative* uti aiunt), et hoc est perversum et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius ».

(2) Cfr. suprà p. 366 ss., 370 ss.

(3) Cfr. Theol. Mechlin, *Tract. de Virtut.* 1896, p. 136 ss. Dicitur « *per se* » quia signa dilectionis communia aliquando per accidens, seclusa semper aversione, ad tempus denegari possunt, nempe si adsit justa causa, qualis esse potest spes fundata emendationis aut ratio debitæ correctionis respectu filiorum et inferiorum, manifestatio justi doloris ex injuria accepti, etc.

(4) *Communia* dicuntur signa, quæ communiter omnibus ejusdem status ac conjunctionis exhiberi solent, ut notat Theol. Mechlin., *l. c.:* ea tamen diversa sunt prouti diversa conjunctionis ratione quidam inter se devinciuntur. Hinc alia sunt signa communia inter cognatos, aut ejusdem monasterii sodales, alia inter condiscipulos aut confamulos, alia inter concives aut commilitones, alia subditum inter et superiorem etc.

unione charitatis omnibus, adeoque etiam inimicis, debita. Unde per se non licet inimicum excludere a communibus orationibus, putà ab oratione dominica, neque a resalutatione, responsione, venditionibus publicis, communibus eleemosynis aut a communi beneficio, etiamsi ex mera liberalitate facto.

2/ Dilectio inimicorum **in particulari seu in speciali** non est *absolute* in præcepto, scil. non est de necessitate charitatis, quod specialem actum dilectionis in particulares personas quæ sunt inimici, exerceamus de facto. Et patet, quia neque necesse est ad alios quoslibet homines singulariter moveri actu dilectionis speciali, quod cæteroquin erga singulos foret impossibile. — Est tamen ille amor specialis affectivus et effectivus de necessitate charitatis et in præcepto *secundum præparationem animi*, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas aut justa ratio occurreret.

Unde *signa dilectionis specialia* per se (1) et absolute inimicis non sunt exhibenda. Ità per se non tenemur inimicos ægrotos visitare, mœstos consolari, hospitio vel convivio excipere, specialiter pro eis orare, imò nec prius salutare aut alloqui, nisi forte essent parentes, aut tales respectu quorum hæc essent signa solum communia.

Quod autem homo specialem affectum et effectum dilectionis quem ad alios, speciali amicitia conjunctos, impendit, etiam extra necessitatis casum inimicis exhibeat propter Deum, hoc *ad perfectionem charitatis pertinet*, et non sub præcepto, sed sub consilio cadit, ut egregie notat Angelicus (*l. c.*): « Cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto magis diligit

(1) Cfr. Theol. Mechlin., *l. c.* Iterùm *per accidens* signa specialia inimicis debentur, putà ad vitandum scandalum, in necessitate spirituali vel temporali proximi; tunc eodem modo ipsi succurratur, sicut aliis esset succurrendum si in eadem necessitate versarentur: scil. talia signa specialia inimicis sunt exhibenda qualia necessitas exigit.

Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem impendit, nulla inimicitia impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios ejus amaret, imo etiam inimicos sibi ».

Hæc de dilectione inimicorum doctrina pluribus Sacræ Scripturæ locis confirmatur. Ità inimicos absque dubio complectitur Christus verbis omnino generalibus quibus dilectionem proximi *in communi* præcipit apud *Matth.* XXII, 39 et *Luc.* X, 27 : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (1). Præceptum diligendi inimicum *in particulari* tradit S. Paulus, *Rom.*, XII, 20 : Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. Præcepto autem *consilium* specialis dilectionis adjungit Christus apud *Matth.* V, 44 ss. : Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (2).

A. C.

## VI

Q. *Quinam jure ecclesiastico tenentur celebrare pro grege ?*

R. **Prænotandum.** « Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ait Ben. XIV (3), a Pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id *veluti ex divino præcepto descendens*, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *Sess. 23, Cap. 1 de Reform.* per hæc notabilia verba : « Cum *præcepto divino* mandatum sit

(1) Cfr. *Matth.* XVIII, 35 : Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris ; *Rom.* XII, 17 : nulli malum pro malo reddentes.

(2) Cfr. *Luc.* VI, 27 ; ipsum Christi exemplum apud *Luc.* XXIII, 34 : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt, etc.

(3) Const. *Cum semper*, 19 Aug 1744, § 2.

omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre...* » Idem expresse affirmat Pius IX in Constit. *Amantissimi* 3 Maii 1858, § 3. Porro hoc præceptum videtur descendere ex ipsa indole et notione officii pastoralis, ita ut sit divino-naturale, id est in munere pastorali naturaliter contentum. Cum autem animarum cura Romano Pontifici et Episcopis commissa sit ex ipsa institutione Christi, ipsis obligatio missam pro ovibus suis applicandi imposita dici debet præcepto divino *absoluto et immediato*, quod tamen, quantum necesse fuit, determinavit Ecclesia (1); cum deinde prælati inferiores et parochi curam exerceant animarum ex institutione Ecclesiæ, obligantur præcepto divino tantum *hypothetico et mediato*, scilicet posito facto Ecclesiæ committentis curam animarum (2). Jam quæritur quinam dicta obligatione teneantur vi legis ecclesiasticæ, jus divinum determinantis.

Responderi potest generali modo illos teneri, « quibus animarum cura commissa est » (Conc. Trid. l. cit.) seu « omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent. » (Ben. XIV, Const. cit. § 3, 5). Unde fundamentum obligationis est officium curæ animarum, non tamen qualiscumque, sed quæ ex obligatione exerceatur principaliter et immediate in certum populum (3). Hoc satis innuit Conc. Trid. l. cit., loquens de habentibus curam animarum talibus qui oves *suas* agnoscere, pascere et regere debent et ideo *residere* tenentur (4); et confirmatur ex variis declarationibus S. Sedis infra adducendis, quibus notatim dicitur « solum teneri qui

---

(1) Cfr. Litt. Encycl. Leonis XIII *In Suprema*, 28 Junii 1882.

(2) Gasparri, *Tract. canonicus de SS. Eucharist.*, T. I (1897), n. 496 sqq.; Van den Berghe, Tr. autogr. *de Parochis*, n. 92 sqq.; *Acta S. Sedis*, Vol. I, p. 390 sqq.

(3) *Collat. Brug.*, T. VII, p. 17 sq.

(4) Van den Berghe, *l. cit.*, n. 95.

animarum curam *primariam* exercent (1) », et quidem in certum populum seu in parochia canonice erecta (2).

Proinde tenentur *parochi* omnes, regulares aut sæculares, etiamsi amovibiles (uti nostri succursalistæ) aut congruis redditibus destituti et non obstante consuetudine contraria etiam immemorabili (Ben. XIV, Const. cit. § 5); *et quotquot iisdem æquiparantur*, velut administratores parochiæ vacantis (quales sunt nostri deservitores), vicarii perpetui vel temporanei parochi habitualis (3), si nempe cura animarum habitualis residet penes alium, v. g. capitulum, actualis vero penes vicarium. Item, ad instar parochorum, tenentur « Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes » (4).

Minime verò tenentur *capellani parochorum*, quocumque nomine appellentur, qui parochis cooperantur in rei parochialis procuratione (5), quales sunt nostri coadjutores et vicepastores; pariter nec *capellani institutorum*, quæ in veras parochias non sunt erecta (6), puta carcerum, nosocomiorum, hospitalium, collegiorum, begguinagiorum etc., neque *sanctimonialium directores* (7) aut *eleemosynarii militum*, cum non sint veri parochi (8). Item ab illa obligatione immunes sunt

---

(1) S. C. Rit. in *Monasterien.* 14 Junii 1845, ad 3m.

(2) S. C. de Prop. Fide, 23 Martii 1863, ad 1m. et 26 Febr. 1875. Cfr. litt. encycl. ejusdem ad delegatos apostolicos pro Oriente 8 Nov. 1882, ubi statuitur præcise fundamentum obligationis indicatum. Textum exhibet Gasparri, *l. cit.*, n. 502.

(3) Ben. XIV, Const. cit. § 4, 9, 10; S. C. C. in *Ostiensi*, 29 Jan. 1724. Cfr. Wernz. *Jus decretalium*, T. III (Romæ, 1901), n. 536.

(4) Leo XIII, *In suprema* cit. Cfr. Gasparri, *l. cit*, n. 502.

(5) S. C. C. 23 Maii 1856. 23 Martii 1861; S. C. Rit. 14 Junii 1845. Cfr. Gasparri, *l. cit.*, n. 503.

(6) S. C. C. 2 Junii 1860.

(7) S. C. Rit. 7 Sept. 1844.

(8) Quodsi v. g. begguinagium revera sit in parochiam erectum, rector ejus certò tenetur celebrare pro populo. Adverte non esse signum infallibile parochialitatis, quod rectores hujusmodi in munus suum introducantur cum iisdem vel fere iisdem solemnitatibus, quæ adhiberi solent

*missionnarii* in regionibus ubi sedes episcopales et parochiæ canonice erectæ non sunt (1); nec certa lege ecclesiastica tenentur *superiores regulares* pro suis subditis regularibus missam applicare (2).

Notandum in fine parochum, secus ac episcopum et abbatem nullius (3), qui regit duas parochias non unitas unione plenaria et extinctiva, teneri ad missæ applicationem in singula parochia, ita pluries declarantibus SS. CC. (4).

H. M.

---

in installatione parochi proprie dicti, aut quod, uti contingit in Belgio, assignetur v. g. militibus ecclesia parochialis determinata, cujus capellanus castrensis non est parochus, sed in qua functiones quasdam parochiales ex commissione Ordinarii exercet in milites sui districtus.

(1) S. C. de Prop. Fide, 16 Jan. 1803, 23 Martii 1863, 26 Febr. 1875, 8 Nov. 1882. Cfr. Gasparri, *l. cit.*, n. 501, 502, 505.

(2) S. C. C. 15 Martii 1710 distulit resolutionem. Cfr. Gasparri, *l. cit.*, n. 506.

(3) Leo XIII, *In Suprema* cit.

(4) De Brabandere-Van Coillie, ed. 6ª, n. 445; Gasparri, *l. cit.*, n. 507.

# Dissertationes

## I

## Circa Verba Christi: Jo II, 4: *Quid mihi et tibi est, mulier?*

Dom Gotthard Heigl, O. S. B., abbas de Anlighem, anno elapso in periodico *Studien und Mitteilungen aus dem Benediktiner — und dem Cistercienser Orden* (1) novam quamdam proposuit interpretationem hujus notissimi effati, quam hoc ipso anno in eodem periodico (2) novis explicationibus illustrare et argumentis fulcire conatus est. Non abs re duximus, indicatis variis auctorum sententiis, interpretationem R. P. examinare et quæ probabiliora nobis videntur exponere.

### I

Communior certe sententia verba Christi ita intelligit: « quænam relatio existit inter me et te? » quæ propositio, cum formam quidem interrogativam, sensum tamen negativum habeat, æquivalet huic alteri: « nihil commune est inter me et te ». Hunc esse sensum litteralem jam S. Aug. fatetur (3), eum admittunt Maldonatus, Lucas Brug., Corn. a Lap. Sed sensus ille

(1) *Tiré à part*, 20 pp.

(2) *Tiré à part*, 14 pp.

(3) R. P. nostra hoc negare tentat. Hæc sunt verba S. Doctoris, VIII Tractatus in Jo., 5: « Certe sacramenti gratia videtur matrem, de qua Sponsus processit, non agnoscere et dicere illi *quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea*. Quid est hoc? Ideane venit ad nuptias, ut doceret matres contemnere? ... Fratres, latet ibi aliquid ». Mysticam deinde et scienter quidem, nam dicit *sacramenti gratia*, ... *latet aliquid* proponit interpretationem. Nonne hæ verba supponunt sensum litteralem esse: quid commune est? nam solus ille sensus ansam dare poterat opinandi Jesum matrem suam contempsisse.

vario modo intellectus fuit: a/ hæretici quidam inde concluserunt Mariam non esse matrem Jesu; b/ veteres Protestantes autumarunt Jesum voluisse reprobare cultum qui postea a Catholicis exhibitus fuit Beatæ Virgini; c/ nonnulli Patres putaverunt verba veram continere reprehensionem: teste Maldonato, videntur Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius existimare Mariam humano aliquo affectu hoc a Filio postulasse ut aliqua etiam sibi ex ejus miraculis accederet gloria; d/ ipse Maldonatus simulatam admittit increpationem ad audientium instructionem; e/ alii velatam quamdam concessionem intelligunt; f/ alii tandem recusationem.

Secunda sententia quam proponunt Euthymius, Toletus et recentius Fouard explicat: quid ad nos spectat (iste vini defectus)? nos curare non debemus.

Dom Heigl invenit tertiam explicationem: quid nos habemus (ut providere possimus)?

## II

Hæc sunt ejus argumenta. 1/ Verbum ειναι cum dativo personæ sæpe significat possessionem; v. g. Luc. I, 7 ουκ ην αυτοις τεκνον = non erat illis filius (Vulg.) = non habebant filium. (Heigl. *o. c.* 1901, p. 9). Præterea verbum ειναι sæpe subintelligitur (1901, p. 10; 1902, p. 5).

Sensus ille igitur possibilis est, sed in nostro textu est necessarius, nam significatio propria est retinenda, nisi cogat necessitas. Atqui sensus supra datus est sensus proprius, alii vero sensus et in specie: « quid commune inter me et te? » sunt metaphorici, nec ulla necessitas est ad tales sensus recurrendi. Ergo. (1902, p. 8).

2/ Logica idearum successio hunc sensum postulat: post petitionem: *vinum non habent*, verbum ειναι in responsione debet etiam exprimere possessionem: *quid habemus* (1901, p. 10; 1902, p. 9)?

3° Psychologica dispositio loquentium idem exigit: ex compassione erga sponsos petit Maria, cum eodem affectu inquirit Jesus quomodo succurrere possit: *quid habemus* (1901, p. 11)?

Tripiex argumentum hac mira propositione comprehenduntur: Adest contextus, grammaticus, logicus, psychologicus (1). (1901, p. 11).

Breviter refelli possunt argumenta. Ad 1m. Demonstrare debuisset auctor [illegible] quando significat *possideri* sæpe subintelligi in græcitate sacra, notandum enim est in locis Scripturæ tum in V.T apud LXX tum in N. ubi occurrit hæc vel similis interrogatio: τί [illegible] verbum nunquam exprimi. Atqui R. P. hoc non demonstravit: unicum affert exemplum. Rom. XI, 11: τὸ [illegible] sed Weiss subintelligit [illegible] et Beelen vertit *door hun misdrijf is het heil aan de heidenen geboren*. Et licet non putemus controversias philologicas unquam solvi per abstracta quædam principia, animadvertimus ambas syllogismi præmissas non ita constare ut nullo argumento fulciri debeant. Bene scribit Poels: En cas de doute, le sens littéral doit être démontré, aussi bien que le sens métaphorique. Il n'est pas vrai qu'on soit obligé de suivre le sens littéral, aussi longtemps qu'on n'en a pas établi la fausseté par un argument apodictique... Souvent d'ailleurs on trouvera évident que l'auteur parle au sens métaphorique, sans que par un syllogisme de trois lignes, on puisse démontrer l'impossibilité du sens littéral (2). Ceteroquin quis unquam dicet sensum: quænam relatio est inter me et te? esse aliquem sensum metaphoricum!

Vis secundi et tertii argumenti nos penitus fugit:

---

1) Admittendi summa post « contextus » per errorem typographicum positum fuisse, quid significat *contextus grammaticus*? In primo argumento nullatenus de contextu agitur, sed de lexicographia.

2) Examen critique de l'histoire du sanctuaire de l'arche. Louvain. 1897, p. 115.

post verbum significans possessionem, nonne occurrere potest aliud verbum aliam habens significationem? Et postquam locuta est persona compatiens, nonne alia persona alios sensus exprimere potest (1)? Et etiamsi Jesus habuisset eosdem sensus ac Maria, num affectus ille exigit ut adhibeat verbum *habere* vel aliud verbum eamdem habens significationem?

Ex alia parte validæ, ut nobis videtur, rationes contra novam hanc interpretationem afferri possunt. Frequenter occurrit in Scriptura hæc vel similis expressio *quid mihi et tibi*, hebraice *ma li valak*. Forma semper talis est ut distincte exprimantur ambæ personæ, quia præcise oppositionem inter eas vult affirmare, nunquam vero occurrit sub forma *quid nobis* (2). Sensus præterea constanter est negatio quædam communitatis, sola materia circa quam negatur communitas varia est pro variis locis et ex contextu determinanda. Ita Jos. XXII, 24 s. *Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israël? Terminum posuit Dominus inter vos et nos... et idcirco partem non habetis in Domino*. Sensus evidenter non est: quænam est res possessa a vobis simul et a Domino? sed: nihil commune est inter vos et Deum, relatio disrupta est. Ita etiam II Reg. XVI, filius Sarviæ vult punire Semei maledicentem regi, David autem eum redarguit (v. 10): *quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat*. Valet: nihil commune est inter nos quoad animi dispositionem: vos iracundi estis, ego patienter sustineo. Conferri adhuc possunt Jud. XI, 12; III Reg. XVII, 18; IV Reg. III, 13; IX, 19; II Par. XXXV, 21. In Novo Testamento

---

(1) Scriptura videtur aliam non assignare rationem hujus miraculi præter confirmationem fidei discipulorum (v. 11 *manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli ejus*).

(2) Hæc animadversio efficax est tum contra sententiam Toleti et Fouard, tum contra sententiam quam nunc ipsius examinamus. In utraque explicatione *mihi et tibi* mutari potest in *nobis*: *quid ad nos spectat, quid nos habemus*.

frequenter ponitur in ore dæmonum *quid nobis et tibi, Nazarene?* Matth. VIII, 27; Marc. I, 24; V, 7; Luc. IV, 34; VIII, 28 quasi dicerent: nulla est relatio inter nos; et inde concludunt: ne occuperis de nobis, relinque nos in pace.

Nullibi ergo illa expressio habet sensum quem adstruit R. P., in nostro vero textu talem sensum non potest habere. Inutilis enim erat hæc animadversio: quid habemus ex quo succurrere possimus? inutilis, inquam, non tantum, ut R. P. concedit, si Jesus loquitur tamquam Deus omniscius, sed etiam si humano modo loquitur: evidens enim erat eum secum non attulisse vinum et inauditum esset invitatos debere ex alia domo vinum quærere et afferre. Præterea, quod majus est, evanescit omnis nexus cum sequentibus: *hora mea* etc. Ipse dom Heigl priorem propositionem sensu negativo exponit: nihil habemus; alteram vero ita explicat: quousque media humana adsunt, non venit hora miraculum faciendi (1901, p. 13); — sed profecto si vinum deerat, si Jesus nihil habebat, alii invitati vinum etiam non attulerant, proinde omnia subsidia humana deerant, et certe venerat hora ejus. Objiciet forsan quis, absolute loquendo possibile adhuc erat vinum aliunde afferre, respondemus autem et hoc possibile mansit et sic nunquam venisset hora ejus.

Sufficientibus proinde rationibus destituta et gravibus difficultatibus obnoxia videtur hæc nova sententia, quæ procul dubio excogitata fuit ad avertendam a verbis Christi omnem speciem duritiæ; hujusmodi tamen methodum interpretandi probare non possumus: eo enim tendit ut nostros conceptus, nostros loquendi modos tamquam criteria assumat, nullam vero rationem habeat sensus philologici et contextæ orationis. Neque Sanctis Patribus et antiquis interpretibus tanta visa est duritia, ut a sensu obvio recedendum esse existimaverint.

## III

In exponenda hac pericopa, statim occurrit varietas quædam lectionum. Textus communis habet: *και υστερησαντος οινου, λεγει η μητηρ του Ιησου προς αυτον' οινον ουκ εχουσιν.* Textus vero quem occidentalem vocant: *και οινον ουκ ειχον, οτι συνετελεσθη ο οινος του γαμου, ειτα λεγει η μητηρ του Ιησου προς αυτον' οινον ουκ εστιν.* Posterior lectio invenitur in Sin*, S³ (recensione Heracleana) et antiquissimis codicibus latinis: a, b, ff² *et vinum non habebant quoniam consummatum erat vinum nuptiarum. Deinde dicit,* etc.; admittitur a Tischendorf, A. Loisy (1), Th. Zahn (2). Hæc lectio ab amanuensibus expurgata fuit et a nonnullis criticis reprobatur, quia, ut videtur, male intellecta fuit: inanem enim tautologiam continere putabatur, dum verus sensus erat: Jesus et discipuli ejus (illæ personæ ultimo loco, v. 2, nominantur) non habebant vinum, quia vinum jam consummatum erat ante eorum adventum. Supponitur ergo Jesum inopinato, durante convivio nuptiali, cum discipulis venisse in Cana et invitatum fuisse, quod etiam innuitur in præcedentibus: *ην η μητηρ... εκληθη δε και ο Ιησους*, mater Jesu jam adest nuptiis antequam Jesus invitatur; et hoc tandem explicat cur Maria dicat: *vinum non est* (textus occidentalis), dum naturaliter dixisset, si Jesus ab initio mensæ accubuisset: *vinum non jam est.* Verba illa a Maria prolata ex se nullam continent postulationem, sed simplicem cujusdam rei declarationem: *non est;* si sequamur textum communem, superadditur forsan aliquis affectus compassionis erga sponsos: *non habent.* Nihilominus responsum Jesu videtur supponere precem quamdam, quæ tunc ab interpretibus vario modo intellecta fuit. Nonnulli existimarunt Mariam petiisse ut

---

(1) *Revue d'histoire et de littérature religieuse.* T. IV (1899) p. 13 ss. *Les noces de Cana.*

(2) *Einleitung in das N. T.* T. II. 1899, p 405.

modo naturali defectui vini provideret, quia nulla miracula Jesus antea fecerat (v. 11 *hoc fecit initium signorum*); sed, uti jam supra diximus, nunquam rogantur invitati ut vinum aliunde afferri jubeant; miraculum proinde petiit Maria, quod etiam confirmatur ex responsione Jesu, quæ pluribus occasio fuit disputationibus.

*Quid mihi et tibi est, mulier?* Negatur communitas, non præcise inter naturam Jesu divinam et matrem a qua humanitatem accepit, (hujusmodi enuntiationi locus non erat; præterea si hunc sensum intendisset Jesus, pergere debuisset: Deus enim sum), sed inter Jesum quatenus adimplet divinam suam missionem, in specie quatenus miracula facit, et Mariam. In munere suo Messianico Dominus noster nullam rationem habet propinquitatis naturalis, ut olim jam dixerat: *nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse* (Luc. II, 49) et postea, quando ipsi nuntiatur matrem et fratres ejus foris adstare quærentes eum, *circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea et fratres mei* (Marc. III, 34). In hoc munere solam voluntatem Patris cœlestis præ oculis habet. Atqui *nondum venit hora mea*. Hoc intelligi nequit de tempore mortis, ut quidam voluerunt, hæc enim idea cum contextu non quadrat, et falso affirmatur *horam Jesu* apud Joannem semper significare horam mortis, nam cf. VII, 30; VIII, 20; XIII, 1. Significatur ergo tempus miraculum patrandi. Sed, si non venerat hora, cur fecit miraculum? Corluy et Liagre dicunt: fecit, quanquam non venerat hora; si mater non petivisset, tardius cœpisset miracula edere; sed quia videbant hanc explicationem, quæ salvat pietatem erga matrem, pessumdare obedientiam erga Patrem, ideo illi auctores introducunt distinctionem inter voluntatem Dei antecedentem et voluntatem consequentem: voluntas antecedens est ut nondum Christus miracula faceret, post prævisam autem Mariæ intercessionem, voluntas consequens est ut in matris gratiam jam faceret. Sed emollire debent præcedentia

verba *quid mihi et tibi*, ita ut velatam concessionem contineant, talem autem sensum verba non patiuntur; præterea, ne videretur inobediens erga Deum, nonne Jesus dicere debuisset: hora non fuisset sed in gratiam tui anticipavit eam Pater. Tandem multo melius quam illi interpretes, Maria intellexit verba Filii sui: dicit ministris *quodcumque dixerit vobis, facite;* ut omnes fere admittunt exspectat miraculum mox futurum, concluserat horam ejus mox venturam, et propterea dixerat Jesus: *nondum* (ουπω) *venit.*

Hora proinde nondum venerat quando loquitur, venerat quando facit. Sed hæc duo momenta non longe ab invicem distant ut patet ex successione narrationis; cur hora non venerat quando matri loquitur? Augustinus respondet: quia paululum vini supererat, exspectat totalem vini defectum, ne quis falso æstimare possit novum vinum esse vini cum aqua mixtionem. Huic sententiæ textus contradicit: textus occidentalis notat vinum esse consummatum, textus ordinarius habet υστερησαντος οινου, quod non valet: *deficiente vino* (Vulg.) sed *quum vinum defecisset.* Chrysostomus vero et Theophylactus respondent: quia omnibus innotescere debuit vini defectus adeo ut clarius evadat miraculum. Sed evangelista debuisset tunc ante narrationem miraculi, indicare hunc defectum invitatis innotuisse. Ceteroquin utraque explicatio rationes nimis humanas introducit, dum veram rationem altioris esse ordinis existimamus. Hora non venerat quia Pater cœlestis æterno suo decreto statuerat exactum tempus quo miraculum faciendum erat et Jesus tempus illud ne unico quidem momento prævertere voluit. Sed tamen cur Christus postulationem Mariæ repellit? Potuisset verbis statim acquiescere et post brevissimum momentum etiam factis, quando tempus a Patre statutum advenerat? Profecto potuisset, sed voluit Christus docere suam in munere Messianico independentiam ab omni vinculo naturali et voluntatem Dei esse unicam pro ipso agendi normam. Et libenter

credimus multa alia verba in illa circumstantia prolata esse tum a Jesu tum a Maria (1), sed hæc tantum evangelista retulit quia et ille voluit eamdem docere veritatem.

A. D. B.

II

## De Origine Mali.

Non raro accidit nostris diebus ut impii homines Dei existentiam vel Ejus Providentiam impugnent ex facto malorum quæ tot ac tanta in humano genere inveniuntur: non intelligi posse contendunt Deum sapientissimum et omnipotentem, quum possit impedire mala, tamen ut fiant et sint permittere.

Hujus difficultatis consideratio fuit occasio ex qua ortæ sunt antiquæ hæreses Gnosticorum et Manichæorum, qui non valentes malum mundo inexistens componere cum infinitâ Dei perfectione statuerunt præter Deum aliud esse supremum quoddam principium a quo processerit hoc Universum malis impletum (2).

Præterea licet in sanæ philosophiæ conclusionibus et doctrinæ catholicæ assertis prædictæ quæstionis de origine mali inveniatur responsio, tamen non ab omnibus etiam catholicis auctoribus omnino accurate, ut videtur, fuit res exposita: non satisfaciunt, saltem quoad modum loquendi, qui dicunt: « *Deus ideo malum permittit ut ex eo maximum bonum eliciat* (3).

---

(1) Cavendum tamen est, ne ita explicentur verba quæ in evangelio occurrunt ut necessario supponenda sint verba quæ in eodem non occurrunt. S. Joannes voluit scribere historiam intelligibilem et proinde existimavit petitionem sufficienter exprimi in verbis Mariæ ut Jesus possit eam repellere, et horam mox venturam esse satis innui in responsione Jesu ut Maria id possit colligere.

(2) Cf. Funck, *Histoire de l'Eglise*, Trad. de l'Abbé Hemmer, Paris, 1899, § 31 et suiv.

(3) Cf. Jungmann qui hunc loquendi modum increpat *De Deo Uno*, n. 264 in nota.

Quæ quum ita sint, non inutile visum est hîc in unum colligere et distincte exponere illas Philosophiæ conclusiones ac revelatas a Deo veritates quibus triplici respondeatur quæsito, nempe I. utrum Deus possit velle malum; II. utrum Deus possit esse causa efficiens mali; III. quid specialiter sit tenendum circa originem mali in præsenti rerum ordine.

I

**Prænotanda** hîc duo occurrunt. 1. Agitur in præsenti quæstione de voluntate Dei proprie dicta seu *beneplaciti*, nempe de « actu positivo per modum acceptantis » (1). Quando quæritur, utrum Deus velit malum, sensus quæstionis est: utrum Deus amet, vel approbet, vel appetat malum.

2. Malum *formaliter* consideratum seu *ratio mali* est *privatio boni*, scilicet carentia alicujus boni in subjecto cui hoc bonum debetur seu convenit (2).

Licet variæ sint *mali* divisiones (3) triplex nobis occurrit malum considerandum, videlicet *naturæ, culpæ, pœnæ.*

Malum *naturæ* est privatio alicujus formæ sive perfectionis (vel in essendo, vel in operando) convenientis alicui enti physico. Ita cæcitas, claudicatio, etc. sunt mala naturæ animalis (4).

---

(1) Cf. Buonpensiere, Commentaria in I P. Summæ Theologicæ a Q. I ad Q. XXII, Romæ apud Pustet, 1902, n. 1068.

(2) Cf. S. Thomas, I, Q. XLVIII; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 223.

(3) Cf. De Jaegher, op. c., n. 224.

(4) Notemus oportet malum naturæ hic designare non tantum privationem formæ materialis et defectum in operatione materiali, sed etiam privationem formæ immaterialis et defectum in operatione immateriali: inde ignorantia, error, morum rusticitas, non culpabiles, reducuntur ad malum naturæ. Consequenter hîc sub nomine mali naturæ veniunt et malum *in natura*, nempe privatio formæ pertinentis ad rei *integritatem* et etiam malum in *operatione* tum *naturæ*, tum *artis*; imo etiam privatio illarum formarum *supernaturalium* physicarum quæ ex instituto divino naturæ intellectuali inesse debent.

Malum *culpæ* est privatio rectitudinis moralis in humano actu sive est privatio conformitatis actus humani cum lege æterna.

Malum *pœnæ* est privatio alicujus boni delectabilis quam *ratione culpæ* contra naturalem appetitum suæ voluntatis patitur creatura (1).

Hisce prænotatis sequentia statuimus asserta:

1. *Deus nequit* **velle per se** *ullum malum.*

Etenim velle per se malum significat directe appetere malum reduplicative ut malum est. Jamvero prorsus repugnat non solum in Deo sed in omni ente ut malum reduplicative ut malum appetatur. Etenim ratio appetibilis seu ratio propter quam formaliter appetitur aliquid est ratio boni: quum autem malum formaliter sit privatio boni, omnino impossibile est ut unquam malum reduplicative qua tale directe appetatur ab aliquo ente (2).

2. *Deus potest* **velle per accidens** *malum* **naturæ.**

Velle *per accidens* malum significat velle per se aliquod bonum *cui conjungitur aliquod malum*, nempe cui conjungitur privatio alius boni. Si homo, e. gr. volens conservari sanitatem vult ut ipsi auferatur aliquod membrum corporis quod hic et nunc sanitatis conservationi opponitur, ille homo vult *per se* sanitatem servari et *per accidens* amputari membrum. Similiter fornicator vult *per se* delectationem et *per accidens* deformitatem culpæ ac amissionem gratiæ.

Sed omnino hic notandum est quod « Nunquam appeteretur malum nec etiam per accidens, nisi bonum cui conjungitur malum magis appeteretur quam bonum quod privatur per malum » (3). Et sane, consideremus ipsum actum voluntatis quo aliquis hic et nunc vult

(1) Cf. Billot, *De Natura et ratione Peccati personalis*, Romæ 1894, p. 70; Buonpensiere, op. c., l. c.

(2) Cf. S. Thomas; I, Q. XIX, a. 9

(3) S. Thomas, op. c., l, c. Cf. Buonpensiere, op. c., n. 1071.

per se aliquod bonum et per accidens aliquod malum bono amato conjunctum: quid hoc importat?

Quum malum sit privatio alicujus boni, ille, qui per accidens vult malum, vult etiam privari se aliquo bono puta B quod hic et nunc incompossibile est cum altero bono puta A quod per se amatur. Ergo qui vult per accidens malum, ille ita vult bonum A ut pro ejus assecutione vel conservatione sinat se privari bono B. Jamvero quando voluntas ita amat unum bonum ut pro eo habendo sinat se privari alio bono; talis voluntas primum bonum magis amat quam alterum. Hoc exemplis supra indicatis illustremus. Si homo per se vult conservari sanitatem et per accidens amputari aliquod membrum, magis amat sanitatem quam usum membri quod aufertur. Similiter qui per se vult fornicationem et per accidens deformitatem culpæ, ille magis amat delectationem fornicationis quam ordinem ad Deum, aliis verbis magis amat hic et nunc creaturam quam ipsum Deum.

Hoc posito imprimis sequitur Deum *posse velle per accidens malum naturæ.*

Etenim a/ naturæ voluntatis cujuslibet non repugnat ut, quum velit per se aliquod bonum, velit etiam per accidens malum quod cum illo bono conjungitur: hoc ex supra dictis patet.

b/ Præterea non repugnat in Deo ut quoad malum naturæ verificetur hæc conditio de qua statim dicebamus, videlicet quod qui vult per accidens malum debet magis amare aliquod bonum quam illud bonum cujus privatio est per accidens volita. Etenim mala naturæ multa naturaliter proveniunt ex hoc quod res creatæ agunt secundum propriam formam et secundum leges a Deo statutas: nam propter contrarietates et repugnantias quæ sunt in rebus una est alterius corruptiva (1). Ita vel animalia, vel plantæ, vel mineralia,

(1) Cf. S. Thomas, S. cont. Gent., L. III, c. 71.

sive visibiliter sive invisibiliter quoad nos agentia secundum propriam formam sæpe alterant hominis corpus illudque corrumpunt. Igitur ut Deus possit velle per accidens mala physica sic fieri, requiritur et sufficit ut Deus magis amet « servari ordinem naturæ » (1) quam bonum physicum alicujus particularis entis servari. Jam vero nemo non videt omnino tum sapientiæ, tum potentiæ Dei convenire ut Deus velit servari ordinem naturæ ex quo mira Universi pulchritudo enascitur quæ Dei perfectionem enarrat: imo nemo non videt Deo convenire ut magi amet hanc pulchritudinem Universi quam bonum physicum entium particularium. — Præterea quum malum physicum in homine possit esse materia circa quam versantur plures virtutes ut fortitudo, patientia, misericordia, quumque perfectio moralis multo sit præstantior quam physica perfectio, ideo Deo etiam omnino convenit ut volens per se moralem hominis perfectionem velit per accidens mala fieri physica. Imo Deo convenit ut aliquem hominem ad eminentem sanctitatis gradum adducere volens, velit per accidens ut magna mala physica etiam miraculose adveniant ipsi.

1. Deus potest velle per accidens *malum* pœnæ.

Ille vult per accidens malum pœnæ qui amat ordinem justitiæ magis quam bonum humanum quo aliquis reus privatur per pœnam. Atqui Deus justitiam suam amat plus quam bonum quodlibet creaturæ. Ergo Deus potest velle per accidens malum pœnæ (2).

2. Deus non potest velle per accidens *malum* culpæ.

Deus amat suam bonitatem magis quam bonitatem cujusvis creaturæ. Sed qui vult per accidens malum culpæ, amat bonitatem Dei *minus* quam bonitatem creaturæ. Ergo impossibile est quod Deus per accidens velit malum culpæ » (3).

(1) S. Thomas, I, Q. XIX, a. 9.
(2) Buonpensiere, op. c., n. 1075.
(3) Buonpensiere, op. c., l. c.

5. *Deus* **permittit** *malum* **culpæ.**

Permittere hic nihil aliud importat quam *non impedire*. Nempe quum creatura intellectu prædita sit libera et ita quidem ut etiam valeat libere sese convertere ad commutabile bonum et sese per hoc avertere ab incommutabili bono, permittit Deus, nempe non impedit, quominus ita deficienter agat creatura.

Ratio autem cur sapientiæ, potentiæ, sanctitati divinæ non repugnet talis permissio in hoc est quod malum culpæ est per accidens ordinabile ad bonum: quatenus videlicet ex malo culpæ consequitur *per accidens* aliquod bonum. V. gr. ex ipsa persecutione tyrannorum consequitur martyrium quod eximius est fortitudinis actus. Præterea ex omni peccato consequitur per accidens manifestatio divinæ perfectionis et consequenter gloria Dei: etenim quatenus Deus parcit peccatori pœnitenti ostendit suam clementiam, quatenus vero punit peccatorem impœnitentem ostendit suam sanctitatem et nominatim justitiam.

Notemus bene illa bona quæ per accidens sequuntur ex malo culpæ non esse *finem* propter quem Deus vult permittere mala culpæ, quatenus nempe Deus volens antecedenter vel voluntate antecedente illa bona ideo *tamquam medium* permittit mala culpæ. Illa bona nihil aliud sunt quam *conditio sine qua non* permissionis peccatorum, quatenus Deus non permitteret fieri peccata nisi sciret talia bona ex illis esse secutura (1).

## II

Quum cognoscatur quomodo Deus velit mala, facile intelligetur quomodo sit eorum *causa efficiens*.

1. *Deus* **nequit esse causa per se ullius mali.**

Quum omne malum sit privatio boni, consequenter

(1) Inde posito quod sit peccatum vult Deus bonum quod ex peccato consequitur: ex quo sequitur quod velit Deus mala facta *ordinare*, non autem quod velit *ea fieri*. Cf. S. Thom. in I, D. XLVI, a. 4.

privatio entis, nullum agens potest esse per se causa efficiens mali, videlicet nullum agens qua *agens* potest *directe* privationem entis efficere (1).

2. *Deus est* **per accidens** *causa efficiens mali* **naturæ.**

Uti supra diximus, mala naturæ accidunt naturaliter ex hoc quod res creatæ agunt secundum propriam formam et secundum leges a Deo statutas: operatio illorum agentium consistit in hoc quod intendunt inducere formam suam propriam in aliquo subjecto: quum autem inductio unius formæ sit corruptio alterius, inde oritur malum physicum. Uti patet, causæ secundæ sic agentes sunt causæ efficientes per se formæ inductæ et per accidens corruptionis alterius formæ. Quum autem Deus ut causa prima cooperetur in omni operatione creaturæ utpote dans *esse* (2) ideo Deus est causa per se ipsius operationis creaturæ ejusque effectus qui per se efficitur, et est causa per accidens mali physici.

Præterea accidit ut agens propter malum physicum quod jam ipsi inest deficiat in operando: ita claudus deficit in ambulando. Sed ipsa operatio ambulandi, inquantum operatio est et consequenter bona, est a Deo; inquantum vero deficiens, a sola causa secunda est: iterum Deus non nisi per accidens est causa illius mali (3).

Potest etiam fieri ut præter ordinem naturæ, nempe miraculose, mala accidant. Hoc autem fieri potest vel quatenus Deus miraculose adducat entia quæ naturaliter agentia per accidens causant malum, vel quatenus Deus sine intermediis causis secundis directe inducat in subjecto formam quæ est corruptiva alterius formæ, quum quando Deus mutavit aquam in vinum. (4)

---

(1) Cf. De Jaegher, op. c., n. 225.

2. Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Meditationes Theologicæ, Collat. Brug.*, T. VII, p. 58 et sqq.

(3) Cf. S. Thomas, S. cont, Gent. L. III, c. 71.

(4) Sicut gratia et virtutes infusæ pereunt in peccatore quia Deus cessat a conservandis illis formis, ita, ut videtur, fieri potest ut quædam formæ

3. *Deus* **nullo modo** *ne per accidens quidem est causa mali* **culpæ.**

Licet Deus cooperetur in omni actione creaturæ etiam in ea actione voluntatis qua homo peccat, tamen Deus ut causa prima hanc actionem tantum quoad ejus substantiam, quoad ejus entitatem producit; deformitas vero quæ actui peccaminoso inest *unice* procedit a libera *determinatione* ipsius hominis: ideo Deus ne per accidens quidem est causa mali culpæ.

Ratio autem differentiæ inter malum physicum et malum culpæ quoad eorum originem, videlicet ratio cur Deus sit per accidens causa mali physici et non mali culpæ est in hoc quod malum physicum, licet per accidens, tamen *necessario* sequitur ex Dei operatione, secundum superius explicata; malum vero culpæ non necessario sequitur ex operatione divina: culpa enim provenit unice a causa libera creata quæ est causa *determinativa* hujus actus: nempe causa creata libera *eligit* actionem malam præ opposita quæ pariter erat in sua potestate (1).

---

naturales, sive substantiales sive accidentales, pereant, quatenus Deus non amplius eas in esse conservat. Illius autem privationis Deus non est proprie causa quum proveniat ex hoc quod Deus *non agit*.

(1) Cf. Billot, *De Deo Uno et Trino*, Thes. XXVIII, § 2. Quamvis omnes theologi catholici doceant Deum in omni cujuslibet creaturæ operatione cooperari, tamen dissentiunt quoad ulteriorem explicationem indelis hujus cooperationis, præsertim in actu libero voluntatis. — Circa hanc quæstionem *tres* proferuntur sententiæ: una statuit *concursum mere simultaneum* quo scilicet Deus simul cum voluntate ageret et cum ipsa *effectum* attingeret, non vero immediate moveret ipsam voluntatem ad agendum: secundum hanc sententiam Deus et voluntas se haberent ut duo trahentes navim: uterque in *effectum*, nempe in motum navis influit, sed unus trahens non in alterum trahentem influit. Hanc sententiam docet Molina: cf. *Concordia*, Disp. XXVI. Alii dicunt cooperationem Dei esse *natura præviam* ipsi actioni creaturæ, quatenus scilicet Deus creaturam *physice moveret ad agendum*. Sed inter illos duæ etiam sunt sententiæ: una docet physicam præmotionem talem esse ut ex ipsa præmotione voluntatis actio *determinetur* ad unum terminum præ alio, et consequenter ut hæc ipsa præmotio auferat indifferentiam voluntatis ad plura, ideoque vocetur *prædeterminatio* physica. Hæc sententia scholæ Banesianæ attribuitur. (Utrum omnes eorum qui dicuntur Thomistæ ita revera censeant, hic non

III

1. *In præsenti rerum ordine, omnia mala* naturæ *quæ homines afficiunt habent rationem* pœnæ. Etenim Deus primum hominem ornavit pluribus donis supernaturalibus et præternaturalibus vi quorum immunis erat homo ab omni malo physico. Quum autem Deus illa dona contulisset non personæ sed ipsi naturæ humanæ in primo parente, ita ut ex capite in posteros cum natura essent transmittenda (1), Adam peccato suo ea dona non sibi soli sed et omnibus posteris naturam participantibus amisit. Inde fit ut omnia mala physica accidant ratione culpæ primi hominis et ideo rationem pœnæ habeant. « Habet autem hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere neque quantum ad animam neque quantum ad corpus neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato præcedente vel in persona vel saltem in natura; et sic sequitur quod omnis talis boni privatio, quo uti quis potest ad bene operandum in hominibus pœna dicatur, et pari ratione in angelis; et sic omne malum rationalis creaturæ vel sub culpa vel sub pœna continetur » (2).

2. *Licet omnia mala naturæ quæ hac in terra homines afficiunt sint pœnæ, tamen sunt per accidens volita a Deo ut servetur ordo naturæ et etiam ut sint occasio virtutis exercendæ.* Etenim in omni ordine possibili in quo sunt homines et alia entia materialia et corruptibilia, naturale est ut sint mala physica: immunitas a malis quam Deus

---

inquirimus. Tandem tertia sententia admittit quidem *præmotionem physicam* qua Deus applicat voluntatem ad agendum, sed negat hanc esse *predeterminationem ad unum* et consequenter negat ex ipsa præmotione physica Deum cognoscere futura libera. Hanc sententiam ab aliquot annis propugnant plures ut De Maria, *Theol. nat.* Tract. II, Q. IV, a. 4 et 5; Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ Scholasticæ*, T. II, p. 455 et sqq. — De tota hac quæstione motionis divinæ divinique concursus cf. *Medit. theol.* apud *Coll. Brug.*, tom. VII.

(1) Cf. S. Thomas, I-IIæ, Q. LXXXI, a. 2.

(2) S. Thomas, *De Malo*, Q. I, a. 4.

primo homini concesserat erat aliquid omnino præternaturale: hoc autem sublato in pœnam peccati, vult Deus ut ordo naturæ servetur, éx quo ordine pulchritudo Universi enascitur sed in quo multa sunt mala physica. Inde illa mala physica vult per accidens Deus ut servetur ordo naturæ et etiam, quemadmodum supra diximus, ut sint pœna peccati primi hominis. Quod ulterius hæc eadem mala ordinentur in exercitium virtutis, hoc et ipsa ratio naturalis et doctrina revelata proclamant (1).

3. *Multa mala physica in hoc mundo sunt pœnæ* **peccatorum personalium** *quæ ab hominibus committuntur.* Etenim imprimis dantur multæ pœnæ concomitantes peccatum, mala nempe quæ ex ipso actu peccati et præsertim ex repetitione talium actuum naturaliter sequuntur. « Et re quidem vera, fieri omnino nequit ut quis tendat in commutabile bonum tamquam in finem ultimum, quin incurrat in seipso deformitatem et privationem perfectionis sibi maxime debitæ; hæc autem deordinatio habet omnes pœnæ conditiones, tum quia privat propriam animæ rectitudinem quæ est unicuique delectabilis, tum quia etsi indirecte simpliciter voluntaria, semper tamen est involuntaria secundum quid; si enim peccator posset frui bono quod concupiscit, non incurrendo illam, profecto illam non vellet. Et simili modo omnes passionum anxietates sunt in peccantibus contra naturalem tendentiam voluntatis eorum: nam iracundus eligit sic insurgere in punitionem alterius, ut ipse ex hoc nullam molestiam, nullum laborem pateretur; unde cum in ista incidit, pœnale ei est, idemque dic de conscientiæ remorsu, aliisque ejusmodi. Hæc itaque sunt, quæ vocantur pœna peccati *concomitans* » (2).

Unusquisque profecto discit quotidie quot morbi

(1) Cf. *De Imitatione Christi*, L. I, c. 12.
(2) Billot, op. c., p. 71.

sint sequela transgressionis legum Dei, præsertim legum ad temperantiam spectantium, quot mala, quam sæpe mortem aliis et sibi inferant homines ex impetu passionis cujusdam non repressæ, quot morbi sequelæ peccati in hominibus existentes ab ipsis generantibus in posteros transmittantur (1).

Præterea negandum non est etiam in hac terra Deum nonnunquam directe infligere pœnas pro peccatis etiam præter consuetum naturæ cursum.

4. Cur Deus hunc elegerit rerum ordinem in quo tot reperiuntur mala quum alium potuisset eligere, prorsus nescimus. Hoc scimus quod Deus recte vult et permittit et omnia ordinat ad bonum: quum perpendimus quot et quanta bona tum naturalia, tum supernaturalia Deus elargitus sit, quomodo ex omnibus malis, licet per accidens, vere tamen consecuturum sit bonum, admiremur oportet magnificam Summi Boni ad extra diffusionem et grati dicamus: *Opera Domini universa bona valde* (2).

J. V. D. M.

III

## Circa Onanismum Conjugalem.

Nuperrime pro manuscripto prodiit, sub titulo « *Quæstio disputata* », opella, in qua clar. Degryse, Pastor-Decanus Cortracensis, rursus insurgit contra principia et doctrinam a nobis propositam, apud *Collat. Brug.*, VI, pp. 466-478, circa onanismum conjugalem, et si-

(1) Quamvis innocentes non raro malis afficiantur provenientibus ex peccatis aliorum, tamen generatim loquendo homines honesti a multis eximuntur malis quæ peccatores incurrunt, et ideo generatim loquendo boni minus quam mali patiuntur, licet Deus quandoque unum alterumve eligat qui ut specialis victima pro aliorum peccatis expiandis gravissime torqueatur et sic ad eximiam perveniat sanctitatem. Cfr. Cte De Maistre, *Soirées de S. Petersbourg*, Entret. 1, 2 et 3.

(2) Eccli. XXXIX, 21.

gnanter circa quæstionem, quam contra laudatum Auctorem (1) in sensum negativum solvimus, utrum nempe actus venerei, adeoque copula ante seminationem abrupta, in quantum non sit inchoata pollutio, possint citra culpam *venialem* exerceri ob *solam* sedandam concupiscentiam, *positive excluso fine generationis*. l. c., p. 468.

Opportunum igitur videtur sententiam negantem, quam ibidem tuendam suscepimus, paucis recolere et explicare eamque contra difficultates inductas pro posse vindicare. Nimirum huc redit doctrina proposita :

1° *Copula carnalis* habet tanquam proprium a Deo intentum finem operis *unicum* procreationem prolis rite educandæ, ac ideo « inordinate agit et positive lædit ordinem statutum non tantum ille qui actum illum exercet modo ad dictum finem inepto, sed etiam, licet venialiter tantùm, quicumque in opere exercendo, intentione sua finem *positive excludit*, etsi possit, salva *honestate* actus, ab illo fine *abstrahere*, agendo scilicet ex intentione alterius finis honesti, quin ad finem proprium attendat » (2). l. c., p. 468.

2° Actus venerei *imperfecti* (quibus est æquiparanda copula ante seminationem abrupta, in quantum fieri contingat absque pollutionis inchoatione) eumdem habent finem operis unicum, ad quem non quidem proxime et immediatè referuntur sed *mediatè dumtaxat et remotè :* quatenus nimirum ordinantur ad copulam perfectam præparandam ac complendam, vel ad mutuum fovendum amorem inter conjuges ac adeo consolidandam cohabitationem ad finem prolis generandæ et educandæ necessariam.

---

(1) Cf. *Nouv. Rev. théol*, XXXII, pp. 579-622.

(2) Ad meram nempe *honestatem* sufficit ut finis operantis fini operis *non opponatur contrarie*, et minime requiritur ut *explicite et exercite* conveniat cum illo, quod spectat ad solam *perfectionem* actus, uti ostendimus apud *Collat.*, tom. V, pp. 169-170 ; ubi notavimus ex eo quod non excludatur generatio, *implicite* ab operante dirigi opus in finem generationis tanquam in finem operis.

Unde rursus possunt conjuges utique ab hac relatione abstrahere in agendo finemque alium honestum intendere, sed non possunt, salvo ordine, illam ordinationem intrinsecam ad finem generationis positive excludere, sive illos actus exercendo cum pollutione, sive intentione sua dictæ relationi positive contradicendo.

Ex quibus conclusionis ad instar eruimus: copula abrupta, cum positiva exclusione finis generationis peracta, semper est obnoxia peccato *veniali*, adeoque nequit tanquam effugium contra onanismum suaderi, etiam ubi abesset omne periculum pollutionis, nisi *tanquam minus malum*, sensu indicato apud *Collat.*, I, p. 496.

Quod alterum principium si tenetur, explicatur quare actus illi inter solos conjuges liceant, cum inter solutos adhibiti frustrentur suo fine proprio unico; siquidem inter solutos nequeunt dirigi ne remotè quidem ad generandam et educandam prolem, quippe quæ per se nequit rite educari nisi parentes indissolubili vinculo existant ad invicem devincti.

Cui doctrinæ opponit doctissimus adversarius sententiam de *duplici fine operis proprio* actus conjugalis: « Equidem, ait, p. 53, finem proprium actus conjugalis minime constituo in *sola* procreatione prolis. Omissis finibus extrinsecis censeo admittendum finem *intrinsecum* duplicem, nempe *procreationem prolis* et *sedationem concupiscentiæ*.

Quam tamen propositionem infrà, p. 63, restringit dicendo: « Ut paucis partem theoreticam, si ita loqui fas sit, concludam: admitto semen virile esse propter *solam* procreationem prolis; copulam vero nequaquam ».

Unde logice deducit: a « quapropter copula nunquam fieri potest *cum exclusione finis procreationis*, si semen emittatur aut probabilitas sit ut emittatur ».

b « ubi copula non est connexa cum emissione seminis, ipsa, quemadmodum tactus turpes qui ad copulam non diriguntur, apud conjugatos cohonestatur

intentione sedandæ concupiscentiæ seu vitandæ incontinentiæ ».

Contendit igitur actus venereos inter conjuges, ad seminationem non pertingentes, sedationem habere ceu finem operis proprium a Deo intentum.

Quod si intelligendum vellet sensu a pluribus Auctoribus intento, quatenus scilicet ordinentur ad concupiscentiam sedandam tanquam ad finem *secundarium*, retenta aptitudine et relatione ad finem *primarium* generationis, non esset cur contradiceremus, licet modus loquendi minus probandus videatur. Hæc namque explicatio, ad rem quod attinet, convenit cum doctrina nostra, nec illa permittit ut finis generationis positive excludatur, quemadmodum videre est in variis textibus citatis apud *Collat.*, VI, pp. 472 et seq.

Atvero si finis sedandæ concupiscentiæ habeatur tanquam finis operis *æque proprius* ac finis generationis, ad illumque *æque principaliter* a natura referantur actus descripti, utique tunc sufficiet aptitudo et ordinatio ad unum finem, altero excluso; sed ex alia parte plane pervertitur ordo servandus inter delectationem et opus, uti ostendimus, l. c., p. 469-470, et jam non intelligitur quare actus illi non liceant inter solutos; si namque in hisce non salvatur finis generandæ et educandæ prolis, salvatur finis æque proprius et æque principalis sedandæ concupiscentiæ, cum ab illis adhiberi possint in remedium concupiscentiæ non secus ac a conjugatis.

Nec sufficit cl. Auctori ad hoc argumentum, quod « miræ debilitatis » esse jactitat, non minus mirandum opponere responsum, hujusmodi nempe actiones inter solutos *ideo* esse *intrinsece* malos « *quia sunt soluti* », seu quia sunt « remedium aptum concupiscentiæ et medium sufficiens continentiæ conjugatorum, non continentiæ solutorum », p. 55.

Merito namque adductæ distinctionis postulatur ratio *intrinseca*, quæ præsto est in nostra doctrina, in altera vero prorsus deficit.

Sed jam properemus ad proponenda et solvenda quæ opponuntur

## ARGUMENTA.

**I/. Ab extrinseco.**

Provocat cl. Auctor, in favorem duplicis finis intrinseci, ad quosdam textus S. Scripturæ et Doctorum, signanter ad 1m ep. ad Cor., cap. VII; S. Thom., *Commentar. in D. Pauli Apost. epist.*, ad h. l.; Fel. Potestas, *Examen ecclesiasticon*, tom. I, Part. 2, n. 2280 (1); Gury, *Comp. Theol. Mor.*, II, n. 907 (2); Lehmk., *Theol. Mor.*, II, n. 834 (3).

*Respondemus* imprimis difficultatem esse solvendam ab ipso adversario, cum in illis sane agatur de copula *cum seminatione conjuncta,* cui ipse tanquam finem *unicum* præponit *solam* generationem prolis.

Cæterum non diffitemur plurimos theologos sedationem concupiscentiæ admittere inter fines actus conjugalis; ast plerique loquuntur de sedanda concupiscentia tanquam de *fine operantis*, vel tanquam de fine operis quidem sed *secundario dumtaxat,* ad sensum modo indicatum, ita nempe ut semper aptitudo servetur et relatio ad finem primarium generationis. Conferat studiosus lector AA. longa serie adductos, tom. VI, pp. 472 et seq. (4), et facile persuasum habebit quam exaggeranter sit dictum a cl. adversario: « sudavit et

---

1) « Opus conjugii est a natura institutum ad duos fines, ad procreandam prolem... et ad sedandam libidinem ».

(2) « Fines qui actum hujusmodi honestum reddunt sunt 1° prolis generatio... 3° sedatio concupiscentiæ. atque exinde vitatio incontinentiæ tum in se tum in comparte ».

(3) « Quum non solum ad prolem reipsa generandam, sed etiam ad consulendum concupiscentiæ matrimonium inductum sit... ».

(4) Adde textus citatos apud Antonelli, *De Conceptu impotentiæ et sterilitatis*, Pustet. 1900. pp. 62-74, collatis textibus citatis pp. 54-56 et 26-48, ubi multi referuntur Auctores copulam requirentes inter conjuges de se aptam generationi et reponentes impotentiæ conceptum in ineptitudine ad copulam generationi idoneam.

alsit adversarius ut ad hanc suam theoriam pertraheret DD.; sed incassum (p. 59). Etiamsi namque repudietur interpretatio quam proposuimus textûs Sanchez (VI, p. 475-476), isque inter nobis adversantes sit numerandus, non deest copia Doctorum nobis faventium ut auctoritate extrinseca abunde fundata appareat thesis nostra (1).

In specie immeritò objiciuntur textus allati. Ita v. gr. S. Paulus nullatenus dicit vitandam concupiscentiam esse finem matrimonii proprium, sed illum finem posse intendi ab operante et propter illum a multis opportune iniri matrimonium.

S. Thomas, l. c. docet concupiscentiæ quidem posse indulgeri, sed modo rationi consentaneo, nempe « secundum quod convenit *generationi et educationi filiorum* ». Quoad textum Felicis Potestas sufficit illum infeliciter truncatum ex integro referre (2).

Lehmk., l. c., n. 833, explicat quo sensu intelligat sedationem concupiscentiæ esse finem matrimonii, nempe ad instar finis *secundarii*. Cf. etiam n° 688 (3).

---

(1) Nimirum non sufficit gratis rejicere tentatam conciliationem nostræ sententiæ cum textu Sanchez necnon forsan et Dianæ ut, intacta relicta aperta doctrina ibidem invocata reliquorum Auctorum, prodatur nostra doctrina quasi omni auctoritate extrinseca destituta, eo vel magis quod in priori dissertatione ipsi addiderimus. *Coll.*, VI, p. 477: « Cæterum quidquid sit de hac proposita interpretatione circa textus Sanchez et Dianæ, jam abundè sufficienter firmata videtur doctrina nostra tum intrinsece tum extrinsece ».

(2) « Opus conjugii est a natura institutum ad duos fines, ad procreandam prolem, pro conservanda specie, qui est finis *principalis*, et ad sedandam libidinem; qua ratione nullum peccatum committit qui opus conjugii exercet ob delectationem, *si eam ordinet ad procreationem prolis, tanquam ad finem principalem*; peccat tamen venialiter, qui ob solam delectationem illud exercet, quia exercet more brutorum pervertendo ordinem a natura statutum ».

(3) N° 833: « *Internus et essentialis* finis ad propagationem generis humani dirigitur; *secundarius* autem finis remedium contra concupiscentiam est ». N° 688: « Objectum vero essentiale mutui consensus (in matrimonio) est jus et obligatio mutua in ordine ad generandam educandamque prolem ».

Ipse Ballerini explicat verba Gury: « concupiscentiæ remedium, divinitus per matrimonii institutionem paratum, in eo residet ut per actus in legitimo conjugio *generationi idoneos* ipsi concupiscentiæ satisfiat ».

II/ **Ab Intrinseco.**

A/ *1m argumentum:*

« Si finis proprius actus conjugalis sit sola procreatio prolis, ubi hæc procreatio est radicaliter impossibilis, uti apud senes, feminas quibus ablata sunt uterus aut ovaria, spadones post matrimonium, quomodo conhonestatur actus conjugalis eorum? Nec respondeatur hoc esse *per accidens*: nam per accidens est relate ad totum genus humanum, *omnino*: relate ad ipsa individua, non est per accidens: *per se* est impossibilitas generandi. Atqui de individuorum conscientia agitur, eaque est quæ per scientiam moralem dirigitur » (l. c., p. 55-56.

**Respondetur.**

Solemnis est et trita objectio contra thesim. Sed iterum ejus solutio incumbit illam nobis opponenti: agitur enim, saltem pro senibus et mulieribus utroque ovario orbatis, de copula *cum veri seminis emissione*.

Cæterum nos non terret principiorum quæ posuimus applicatio, nec ab illis in finem urgendis timemus, ideoque ultro concedimus et contendimus quod, si solus finis operis proprius actus conjugalis est in procreanda prole, nunquam sit permittenda copula nisi de se apta generationi. Quod autem spectat

1° **Spadones** post matrimonium valide contractum eviratos, quidquid dicant plerique tam antiqui quam moderni, quos consuluimus, theologi, facimus cum Ledesma et Dicastillo, quos citat et impugnat Lacroix, *Theol. Mor.*, L. VI, Part. III, n. 317, et cum Eschbach, in editione altera (1901) operis cui titulus: *Disputationes physiologico-theologicæ*, p. 266, docente: « Si, contracto matrimonio, viro ad salvandam vitam amputati fuerint

testiculi, jure tum petendi tum reddendi debitum ipse privus manet ». (1)

Ineptitudo enim ad copulam *de se aptam generationi*, qua laborant castrati, quemadmodum illos jure naturæ arcet a matrimonio contrahendo (2), pari jure eos prohibet a matrimonio utendo.

2° Mulieres utroque ovario carentes passim ad matrimonium ejusque usum admittuntur. Et ut ostendant Auctores non esse paritatem cum eunuchis, distinguunt inter *impotentiam generandi* et *impotentiam coeundi*, seu habendi copulam de se aptam generationi: priorem impotentiam dicunt non invalidare matrimonium nec prohibere eo uti, bene vero alteram, quæ quidem adest penes eunuchos, nequaquam vero penes mulieres excisas. Quod, aiunt, patet ex eo quod, si apud illas deficiat generatio, non est ex defectu copulæ in se spectatæ, sed ex defectu copulæ extrinseco, quia scil. in muliere, post semen virile per copulam perfectam susceptum, ovulum fœcundandum præsto non erit. (3)

Quæ interpretatio, si cui placere contingat, perfecte salvat principia. Atvero explicat quidem copulam esse possibilem, sed in ea, quodcumque in latus vertatur, non videmus quomodo copula, cum hujusmodi fœmina habita, reipsa sit et meritò dicatur *per se apta generationi:* ovariis nempe *perfecte* excisis, eo ipso deficit elementum, ovum scil., *essentialiter et insupplebiliter* requisitum, non quidem ad qualemcumque commixtionem carnalem, sed ad coitum *generationi idoneum*, adeo ut ejus defectu generatio *absolute, physice et per se* impossibilis evadat.

---

(1) Profectò si in casu monitio prævidetur nociva, uti natum est fieri ab ea est prudenter abstinendum, relictis conjugibus in bona fide. Quod principium etiam attendatur in dicendis sub 2°.

(2) Cf. famosam Constit. Sixti V. *Cum frequenter* 22 Junii 1887, apud Antonelli, *op. cit.*, p. 56.

(3) Cf. conciliationem propositam ab Eschbach, op. cit., p. [illegible] apud *Nouv. Rev. théol.*, XVII, p. 300; necnon a Consultore Sil. in [illegible] ad celebrem causam *Monasteriensem*, relatam apud *Rev. théol. franç.*, 1900 pp. 363 et seq.

Quibus attentis magis logica nobis videtur sententia docens ineptas esse judicandas hujusmodi mulieres ad matrimonium et ad actum conjugalem, *semel ac constat ovaria complete et perfecte esse excisa.* In quo quidem urgendo corollario, a communiori utique recedimus sententia (1), nullatenus tamen soli sistimur et omni auctoritatis extrinsecæ pondere destituti.

Imprimis incunctanter hanc theoriam propugnat pluries jam laudatus Antonelli, op. cit., eamque fusè vindicat contra Eschbach, qui alteram sententiam jam sustinuerat apud *Nouv. Rev. théol.*, XVII, pp. 302-310 et 353-368 (collato tomo XXVI, p. 287 et seq.), eamque data opera defendendam reassumpsit tum in opusculo *Casus de feminea impotentia,* Romæ, 1899, tum in *Voto* ad causam *Monasteriensem* 1899, ac tandam in altera editione supra citati operis *Disputationes,* pp. 162-203.

Accedit juris canonici in Universitate Gregoriana

---

(1) Cæterum nota quod, si Auctores signanter antiquiores ad copulam de se aptam generationi non requirant præsentiam ovarii in fœmina, hoc videtur tribuendum defectui scientiæ physiologicæ, et in specie ignorantiæ ipsorum circa existentiam et naturam ovuli, quod primùm scientifice fuit recognitum a Baer, anno 1827. Ex eodem defectu scientifico factum est quod olim nonnulli impotentem reputaverint mulierem ad seminandum ineptam, quia tunc temporis semen femineum a multis ad generationem reputabatur necessarium.

Ita, speciminis gratia, recolantur verba Sanchez, *De Sancto Matrim. Sacram.*, l. VII, disp. 92, n. 9: « valeret tamen matrimonium, si vir seminare posset intra vas, ac fœmina capax esset seminis virilis recipiendi, quamvis ea impotens esset ad seminandum. *Quippe* femineum semen non est præcise ad *generationem* necessarium, quamvis valde conferat.... Non tamen est hoc adeo certum, *quia* innititur illi principio philosophico, semen femineum non esse necessarium ad generationem: cujus oppositum est probabile. *Quare* sentientes esse necessarium, dicent quoque eam feminam esse matrimonii incapacem: sicut est vir qui semen nequit emittere ». Quo attento ratiocinandi modo, pronum est dicere quod Sanchez inter impotentiæ causas logice admisisset utriusque ovarii perfectam excisionem, si novisset ovum ad fœcundationem et generationem esse elementum essentiale; ac proinde error physiologicus esset qui Sanchez induxerit in errorem circa conceptum theologicum impotentiæ, ac cum ipso integram copiam auctorum qui ipsum quasi ducem infallibilem in re matrimoniali cæco modo sunt secuti.

professor De Luca, qui coram S. Congregatione Concilii, erudita disquisitione, eamdem sententiam evolvit et vindicavit in *Voto* ad modò memoratam causam *Monasteriensem*, in subsidium allatis testimoniis tam theologorum quam medicorum. Cf. *Rev. théol. franç.*, 1900, p. 302 et seq.

Ulterius Rosset, *De Sacramento Matrimonii*, II, n. 1410, « speculative, ait, remanent rationes adductæ pro impotentia, et nequaquam possum intelligere quonam pacto mulier ejusmodi (binis ovariis orbata) sit potens... ».

Ipse etiam Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 744, in prioribus editionibus, absentiam ovariorum numerabat inter causas impotentiæ; in posterioribus autem hæc habet: « Et *ex mea opinione* pro absoluta impotentia habuissem... carentiam utriusque ovarii... Sed S. Inquisitio *videtur* hos defectus pro sola sterilitate habere » (1).

Nimirum, et hic tangimus præcipuam difficultatem, duplex circa præsentem controversiam prodiit S. O. C. responsum, unum de die 3 Febr. 1887, in quo ad quæstionem: « Num mulier, per utriusque ovarii excisi sterilis effecta, ad matrimonium admitti permitti valeat et liceat, necne? » responsum est: « re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de qua in casu, non esse impediendum »; alterum de die 30 Julii 1890, in quo ad dubium: « num mulier N.N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? » respondetur: « matrimonium non esse impediendum ».

Profectò in hisce responsis non deest argumenti vis in favorem communioris sententiæ, nullatenus tamen inde dirimi videtur controversia. Relicta nempe indole

(1) Theol. Mechl., *De spons. et matrim.*, postquam in edit. 1894 asseveranter docuerat valide contrahere fœminas quibus ablata sunt duo ovaria et uterus, nunc, in editione 1902, p. 253, in nota, utramque sententiam simpliciter refert neutram reprobando, et monet, in praxi, casu occurrente, consulendam esse Sedem Apostolicam.

reformabili decretorum S. Congregationis, non agitur de authentica ipsius doctrinæ propositione, sed de mera solutione practica ad casum particularem, et nos latent adjuncta specialia et individua quæ Eminent. PP. in suis responsis forsan moverint.'

Ceterum non est inauditum, imo satis frequenter contingit, mulierem excisam adhuc menstrua pati et impregnari; uti constat ex testimoniis adductis apud Nouv. Rev. théol., XVII, p. 361 et seq.: Antonelli, op. cit., p. 105; Eschbach, Disputat., p. 159; necnon et apud De Luca, in Vatic., l. c., p. 367, qui coram ipsa Congregatione Concilii prædicta decreta in hunc sensum interpretari non dubitavit (1). Optime igitur fieri potest ut, attento dubio facti circa perfectam ovariorum excisionem, noluerit S. Inquisitio in casu particulari mulierem, de qua quærebatur, a matrimonio in perpetuum prohibere. Refert autem ulterius idem doctissimus Consultor eamdem doctrinam publice doceri Romæ in

---

(1) « D'après mes observations pers nnelles, écrit Dr Hegar, apud Nouv. Rev. théol., XVII, p. 361, et d'autres que mes collègues ont bien voulu me communiquer, j'en retiens ceci : 1° naturellement double : dans deux les règles sont complètement disparues, dans trois elles ont persisté régulièrement. Le docteur Amerbach Schlman a recueilli les observations de huit-cent-six femmes, le flux menstruel cessa entièrement; en dix seulement il commença à être régulier. Jacksch a communiqué trois observations de Mme Chellan sur des personnes qui en avaient voulu user et les deux vulves gardèrent que l'on craignait l'évolution pernicieuse. Deux de ces pers nnes continuèrent à être très réglées, comme auparavant. » Dr Tordali, Chaudon Antonelli, op. cit., p. 105, ex 135 operationibus non omnino duplicis in feminis bene menstruatis, notavit 15 casum, qui, post operationem, omnino regularia menstrua, et 9, quæ irregularia... habuerunt ».

Pierre dégénérescence peut causer quelquefois le menstrual flux persévérant, impossible en réalité, vrai, pour l'opération relatée, quelque petite soustraction menstrualement abondante dans ex. quod non rare convenit in tumoribus ovarii et epitheliomatis. Ita, ut mihi Antonelli... [illegible] Hegar, cum [illegible] in mulieres [illegible] tamen [illegible] reperit. Nam eventu [illegible] Bischb et neque Doctor Beigel [illegible] commentarium sed [illegible] supplementare habuisse [illegible] testimonium Dr Hegar, apud Nouv. Rev. théol., XVII, p. 362-363.

scholis sub oculis veluti positis ipsarum SS. Congregationum, signanter in Pontificia Academia historica-juridica, cui immediate præsidet S. Congregationis studiorum Præfectus, quæque veluti sub ipsius R. Pontificis vigilantia constituta reperitur.

Tandem doctrinæ nostræ favere videtur sententia a S. Congr. Concilii lata tum in causa *Albiganensi*, 7 Sept. 1895, quam compendiose exponit *Canon. Contemp.*, 1896, pp. 233-240, tum in causa *Monaster.*, 16 Dec. 1899, quam fusè refert *Rev. théol. franç.*, 1900, pp. 295-315, 349-366 et 400-429 (1). In utraque nempe causa declaratio nullitatis matrimonii niti videtur non in impotentia copulam habendi, cum præsto esset vagina penetrationi obnoxia licet abbreviata (5-6 cent.), sed in impotentia *absoluta et essentiali generandi*, ob defectum uteri et ovariorum simul ac ob occlusionem vaginæ in directione uteri. Nimirum sola abbreviatio vaginæ non reddidisset matrimonium invalidum si alii defectus non adiuissent, qui præcise defectus absolute impossibilem reddunt *non copulam ipsam*, sed *generationem* adeoque copulam quatenus debet esse *de se apta generationi*.

3° Quod senes attinet, res plane aliter sese habet; et, nisi adeo decrepiti reperiantur ut jam omnis erectionis evaserint incapaces, non sunt a matrimonio arcendi. Ratio disparitatis est quia, licet passim non generent, non laborant tamen *absoluta et essentiali* impotentia generandi, adeoque copula, inter hujusmodi conjuges peracta, non est *de se* inepta generationi sed *per accidens* tantum. Quod fulcitur testimoniis virorum in hac re peritorum admodum multis et gravibus (2).

---

(1) « Il existe en ce moment, scribit, *Rev. théol. franç.*, l. c., p. 295, au sein même de la curie, un double courant sur la manière de concevoir l'empêchement d'impuissance ».

(2) Noscuntur enim, refert Antonelli, op. cit., p. 82, plura exempla in utrique sexu, in quibus constat generationem habitam fuisse usque ad tardam senectutem, quod perfecte respondet doctrinæ histologicæ et

B/ 2m *Argumentum.*

Saltem actus venerei *imperfecti*, adeoque copula ad seminationem non pertingens, habent tanquam finem proprium operis sedationem concupiscentiæ, quam proinde sufficit intendere, quantumvis excluso fine generationis.

Ratio est quod, eo ipso quod ad seminationem non pertingunt, nequeant objective ducere ad procreationem prolis, utpote quæ essentialiter dependet a seminis virilis emissione. Non possunt igitur subjectiva operantis intentione dirigi et ordinari ad generationem, neque explicite neque implicite, ac nihil impedit quominus, citra omnem venialem culpam, generatio positive excludatur; imo, uti dicit et repetit cl. Auctor, « exigere in talibus actibus ut neque implicite neque implicite excludatur finis generationis, est exigere contradictionem in terminis ». l. c., p. 56-59.

**Respondetur.**

1°/ *Indirecte:* Argumentum, si valeret, probaret sedationem concupiscentiæ esse finem *unicum* illorum actuum venereorum; quod sane difficulter admittetur.

2° *Directe:* Haud ægre solvitur oppositum argumentum inducta distinctione inter finem *proximum* et

---

physiologicæ. Seminis enim confectio, cum semel testiculi illud elaborare ceperint, tota vita perdurat usque ad extremam senectutem; et dummodò senes organa genitalia sana et vires habeant ad actum copulæ, semper (vel saltem non rarò) valent filios procreare; ac proinde limes facultatis generativæ, quæ assignari solet circa 60 annum, ut *latissima media* haberi debet, cum exempla in contrarium minime desiderentur.... Quòd vero spectat mulieres, etsi eorum menstrua circa 40-50 annum finem habeant *via ordinaria,* et earum facultas gignendi cum cessatione menstruationis item cesset, hoc tempus pariter *latissime* est accipiendum, cum habeantur exempla certa mulierum, quæ menstruatæ fuerunt usque ad 104 annum (Steinhaus, *Menstruation and ovulation,* Leipzig, 1890, p. 86); notandum insuper aliquando menstrua, jam a longo tempore cessata, ob aliquas causas iterum certe apparuisse ». Quæ varia asserta multis adductis exemplis comprobantur p. 82-83, ubi monet etiam ovulationem posse neri absque menstruatione, uti testantur facta allata apud Cuzzi, *Tratt. di ostetricia e ginecologia.* Cf. etiam de hac re *Votum* Consultoris peritissimi in causa *Albiganensi,* apud *Canon. Contemp.,* 1896, p. 239.

*remotum*. Nimirum actus venerei imperfecti et copula abrupta non possunt objective ducere ad procreationem prolis. *Distinguo:* proxime et immediate, *concedo;* mediate et remotè, *nego*. — Ergo non possunt intentione agentis neque explicite neque implicite ordinari ad finem generationis. *Contradistinguo consequens:* tanquam ad finem proximum et immediatum, *concedo;* tanquam ad finem mediatum et remotum, *nego*.

Suprà, p. 473-474, explicavimus quomodo descripti actus objective et intrinsece ordinentur a Deo in finem generationis, licet mediate tantum, et quomodo eo ipso ordinationi operis intrinsecæ non liceat per intentionem operantis contradicere positive, nec adeo liceat illam ordinationem positivo mentis actu excludere (1).

*
* *

## CONCLUSIO.

Manet igitur conclusio in limine hujus dissertationis posita, sedationem nempe concupiscentiæ non posse haberi tanquam finem operis proprium, nisi forte, idque acceptione minus propria, ad modum finis secundarii, sensu explicato, servata scilicet aptitudine et ordinatione ad finem generandæ et educandæ prolis, quem finem semper piaculum est positive excludere.

Quid ergo faciendum confessario in casu quem supponit cl. Auctor: « Ecce advenit ad confessionem pœ-

(1) Cl. Auctor, quem in præsentibus impugnamus, l. c., p. 60, videtur admittere actus venerei imperfecti objectivam ordinationem remotam ad finem proprium primarium generandæ educandæque prolis; sed, quod mirum est, non vult ad conclusionem devenire quod logice inde fluit, huic scilicet ordinationi non posse intentione contradici eamque non posse positive excludi; imo, post expositam subordinationem finis sedandæ concupiscentiæ ad finem primarium, in oppositam partem concludit: « Ita intelligitur, ait, finium subordinatio et quomodo ex fine primario matrimonii qui est generatio et educatio prolis, non sequatur non posse esse alios fines, et quomodo inde non repugnent in matrimonio certi actus qui honestantur uno fine *etsi alios fines excludant* ».

nitens bene christianus, prolibus onustus, cujus uxor ex novo partu, ex sententia medicorum vix evadet. Primum voluit tentare abstinentiam; sed res non successit. Deinde ei proposita fuit theoria de agenesi. Rem tentavit, sed successu nullo. Tandem ad onanismum devenit »?

Jam remedium indicavimus in priori dissertatione, apud *Collat.*, tom. VI, p. 478. Si nempe, in casu extraordinario, de cujus possibilitate amplius litigare nolumus, experientia teste, constet conjuges, de quibus agitur, hoc modo posse carnaliter commisceri, idque passim et regulariter, ut citra periculum pollutionis copulam exerceant ante seminationem abruptam; non licet quidem illam praxim illis simpliciter et uti omni culpa vacantem permittere, si positive excludant generationis finem, sed posset id ipsis permitti vel etiam suaderi, *tanquam minus malum*, quotiescumque aliter ab onanismo abduci non valeant. Cf. *Collat. Brug.*, I, p. 496.

Unde liquet solutionem nostram casus practici, de quo tantopere, nec immerito, sollicitum sese ostendit cl. adversarius, non multum distare a solutione ab ipso proposita, nec apparet quomodo doctrina exposita de fine copulæ et actuum venereorum adeo sit formidanda ac ceu severior prodenda.

A. D. S.

# Ex S. Congr. Indulgentiarum

## MECHLINIENSIS.

### Circa methodum peragendi exercitium Viæ Crucis in sacellis Sororum religiosarum.

Superiorissa Generalis Instituti Adorationis Perpetuæ, cujus domus princeps extat Bruxellis in Archidiœcesi Mechliniensi, huic S. Cong^ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ sequentia exponit:

In Decreto hujus S. C. diei 6 Augusti 1757 præscribitur in pio Viæ Crucis exercitio publice peragendo ob angustiam loci unumquemque de populo locum suum tenere posse, dummodo Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistat in qualibet statione ibique consuetas preces recitet. Anno elapso ab eadem S. Cong^ne quæsitum fuit I°. « An ista methodus servari queat, ob angustiam loci, » in sacellis domorum communitatum religiosarum » et II°. « An loco Sacerdotis cum duobus clericis unus tantum e » fratribus non sacerdos circumire ac sistere in qualibet » statione suetasque preces recitare valeat », et S. Cong^tio in una *Instituti Fratrum Maristarum a Sobolis* diei 27 Februarii 1901 respondit « Affirmative ad utrumque ».

Nunc vero præfata Superiorissa sequens dubium solvendum proponit:

« An loco unius ex fratribus, in domibus religiosarum, » una ex sororibus circumire ac sistere in qualibet statione » suetasque preces recitare valeat?

S. Cong^tio, audito unius ex Consultoribus voto, respondit: « Affirmative ».

Datum Romæ ex Sec^ria ejusdem S. Cong^nis die 7 Maii 1902.

S. Card. CRETONI, *Præf.*

L. † S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archie^pus Amiden., *Secretarius.*

# E Sacra Pœnitentiaria

## Circa ætatem superadultam oratricis pro obtinenda dispensatione matrimoniali.

*Eminentissime Domine,*

Sæpe contingit obtineri Apostolicas dispensationes matrimoniales ex causa (unica vel cum aliis) *ætatis oratricis superadultæ*, sic et simpliciter expressa, vel interdum sic: *ætas oratricis annor. 25. aut 30.* sive aliter, sed plus quam 24. Cum autem Auctores opinentur causam hujusmodi interpretari quod usque ad illam ætatem *mulier non invenerit virum paris conditionis cui nubere posset*, ab hac R^ma^ Episcopali Curia Tropien. quæritur: An in verificatione causæ supra memoratæ solicitari etiam et probari oporteat mulierem superadultam usque ad illam ætatem virum paris conditionis cui nubere posset non invenisse; et hoc ad dispensationis validitatem?

Et Deus, etc. — Tropeæ, d. 11 Martii 1902.

D. *Epus.* Nicoteren. et Tropien.

Sacra Pœnitentiaria ad propositum dubium respondet: *satis esse quod certo constet de ætate superadulta.* Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 5 Aprilis 1902.

A. Carcani, *S. P. Reg.*

R. Celli, *S. Pœnitentiariæ Substitutus.*

# Consultations

Il existe dans ma commune une *société mutualiste reconnue* par le Gouvernement. Elle a pour objet d'assurer aux sociétaires des secours temporaires en cas de maladie, de blessures et d'infirmités, et la caisse sociale qui sert à procurer éventuellement aux membres les indemnités nécessaires, est alimentée avant tout par les cotisations des sociétaires. Ceci possé, qu'il me soit permis de demander à la Rédaction de votre estimable Revue la réponse aux questions suivantes :

1° Les statuts de la mutualité qui fixent le taux des cotisations à effectuer par les membres, imposent-ils à ceux-ci une *obligation de stricte justice*, ou n'ont-ils que la valeur d'un engagement d'honneur obligatoire de par la vertu de *fidélité?*

2° Un sociétaire auquel un accident est arrivé a obtenu des dommages-intérêts contre la personne responsable de l'accident. Peut-il néanmoins réclamer en *stricte justice* à la société mutualiste l'indemnité fixée par les statuts?

3° Cette double solution serait-elle identique dans le cas d'une *mutualité non reconnue?*

I

Les statuts de la mutualité qui fixent le taux des cotisations à effectuer par les membres imposent à ceux-ci une *obligation de stricte justice*. Il n'y a pas le moindre doute à ce sujet.

En effet, l'association mutuelle forme un véritable *engagement juridique*, un *contrat bilatéral* ou *parfaitement synallagmatique et onéreux* entre les parties. Ainsi, dans le cas d'une société mutualiste contre le risque maladie et accident, les membres actifs font acte d'adhésion aux statuts et s'obligent à payer les cotisations fixées, pour

toucher une indemnité dans les éventualités prévues, et ce en vertu d'une véritable obligation que la société contracte à leur égard. Ce contrat bilatéral, comme toutes les associations sans but lucratif, rentre dans la grande classe des contrats *innommés* [1], visés par l'art. 1107 C. civ. Les associés, en se réunissant spécialement pour s'assurer des secours dans certaines éventualités, forment une association parfaitement valable et prennent des engagements qui créent entre eux un véritable lien juridique et qui donnent naissance à des droits stricts et à des obligations réciproques. Car, indépendamment des contrats les plus usuels portant une dénomination spéciale et soumis à des règles particulières, le Code civil (art. 1107) prévoit et admet des contrats innommés, qui ne sont soumis qu'aux règles générales édictées au Titre *Des obligations*. Il est loisible à toutes personnes majeures, capables de leurs droits, de former entre elles toutes conventions quelconques en dehors des contrats solennels, en se conformant aux règles générales des obligations et en restant dans les limites commandées par le respect de l'ordre public et des bonnes mœurs : l'association mutuelle réunit les conditions d'un véritable contrat énumérées à l'art. 1108 C. c. : consentement, capacité, objet certain et cause licite dans l'obligation ; il s'agit même d'une association que la loi voit avec faveur, puisqu'elle assure le bénéfice et le privilège de la personnification civile à celles de ces sociétés qui réunissent certaines conditions spéciales.

Puisque le contrat d'association constitue un contrat véritable, réunissant toutes les conditions requises en

---

1. Sur la nature juridique du contrat d'association mutualiste voir **Théate** *Les sociétés mutualistes*, **Louvain 1901, p. 6 ss. L'auteur y prouve** que le contrat qui lie les associés n'est pas un contrat de société commerciale ou civile, ni pas même d'assurance au sens de nos lois, ni un contrat de bienfaisance réciproque (art. 1105 C. civ.), mais un contrat sui generis qui participe à la fois de ces différents contrats, sans que l'on puisse cependant l'assimiler complètement à aucun d'eux.

droit naturel ; puisqu'il est admis par notre droit civil, il confère, comme tout contrat onéreux proprement dit, des *droits stricts*. Il en résulte que les engagements pris par les associés les uns vis-à-vis des autres dans les statuts, notamment en ce qui concerne le paiement des cotisations, constituent entre eux de véritables liens de droit. Les associés sont donc tenus, dans la mesure où ils se sont engagés par l'adoption des statuts, à payer en *stricte justice* les cotisations fixées. Et comme le contrat est parfaitement synallagmatique, chaque associé à un droit *strict* aux secours et aux indemnités prévues par le règlement (1).

II

Ce membre, bien qu'il ait obtenu des dommages-intérêts contre la personne responsable de l'accident dont il a été victime, peut néanmoins, *en stricte justice*, réclamer à la société dont il fait partie l'indemnité fixée par les statuts.

En effet, comme il résulte de la réponse à la 1ère question, le membre qui remplit envers la société l'engagement qu'il a contracté de verser régulièrement ses cotisations, a, en vertu de la nature du contrat, un droit *strict* et absolu aux indemnités allouées par les statuts, quand bien même le fait dommageable est imputé à autrui. En réclamant ces indemnités, il exerce un droit strict vis-à-vis de la société à raison de ses cotisations et à titre d'associé, et ce droit n'a rien de commun avec l'action qu'il a contre l'auteur du fait

(1) Cfr. A. Soenens et D. Perpète. *La Mutualité en Belgique*. Bruxelles 1901, p. 52 ss. (Extrait des Pandectes Belges). — Voir aussi Mgr Waffelaert, *Tractatus de Justitia*, Brugis 1885, T. I, p. 238 ss. — Puisque donc les engagements pris par les associés les uns vis-à-vis des autres constituent entre eux de véritables liens de droit civil, si des contestations surgissent au sujet de ces engagements, elles peuvent, comme toutes contestations relatives à des droits civils, être soumises au pouvoir judiciaire. Cfr. Théate, *o. c.*, p. 8 ss.

dommageable. Il y a dans ce cas deux dettes et deux débiteurs distincts, et le paiement de l'une de ces dettes n'éteint pas et ne diminue en rien le caractère strictement obligatoire de l'autre (1).

Il convient de noter toutefois que le droit pour les mutualistes de réclamer à la société des indemnités, n'existe pas si une clause statutaire les empêche, dans le cas où il sont indemnisés par l'auteur responsable d'un accident, d'exercer ce droit qu'ils ont de par la nature du contrat d'association mutualiste.

C'est évidemment cette clause restrictive, librement acceptée par les membres, qui, dans l'espèce, restreint le droit des associés et les obligations correspondantes de la société.

## III

*La double solution donnée serait identiquement la même dans le cas d'une société mutualiste non reconnue.*

La raison fondamentale en est que la reconnaissance légale, octroyée par la loi belge du 23 Juin 1894 (modifiée par la loi du 19 Mars 1898) sous certaines conditions aux sociétés mutualistes, ne transforme pas l'essence du contrat d'assurance mutuelle par le fait de la personnification civile ainsi accordée. *La nature de l'acte juridique, du contrat d'association mutualiste reste identiquement la même dans un cas comme dans l'autre.* Les engagements et les obligations réciproques qui, pour les membres, résultent de la substance du contrat ne s'en trouvent donc pas modifiés. En tant qu'association sans but lucratif formée par contrat innomé, et au point de vue du droit civil (réflétant d'ailleurs le droit naturel), la mutualité non reconnue est soumise aux seules règles sommairement indiquées par l'art. 1107, C. civ., c'est-à-dire aux règles géné-

(1) Voir Stenens et Perpète, *o. c.*, p. 57. En Belgique la doctrine et la jurisprudence se prononcent assez généralement en ce sens. *Ibid.*

rales qui régissent tous les contrats ou obligations. Moyennant l'observation de ces règles, elle est *un contrat parfaitement valable, produisant tous les effets légaux* (1). La reconnaissance légale confère aux sociétés mutualistes la personnification civile, certains privilèges légaux qui en dérivent, tels que la faculté d'ester en justice, celle de recevoir des dons et des legs et celle de possédér (2), et enfin certaines faveurs pécuniaires et fiscales. La reconnaissance crée donc un être juridique nouveau, distinct de la personnalité des membres qui le composent, revêtu d'une certaine capacité légale et jouissant d'avantages quelquefois très considérables. Toutefois elle n'altère ni la nature du contrat synallagmatique qui constitue l'essence de toute société mutualiste, ni, conséquemment, les obligations essentielles et les droits corrélatifs des membres.

A. C.

# Libri dijudicantur.

**L'Education Sociale du Peuple** par N. Coucke, lieutenant d'infanterie adjoint d'état-major. Edition revue et augmentée. Bruxelles, Imprimerie Vanderlinden frères, 1902, pp. 116 gr. in 8°, prix 1 fr.

L'auteur de cette très intéressante et substantielle étude affirme à bon droit que l'officier a, dans les circonstances actuelles surtout, une mission sociale à

(1) Et, par conséquent, en cas de contestation, susceptible d'être appréciée et confirmée judiciairement. — Cfr. Nyssens et Corbiau, *Traité des sociétés commerciales*. T. I, nos 127 s., 132 s. — J. Van den Heuvel, *De la situation légale des associations sans but lucratif*, p. 180 s.

(2) Ces deux dernières facultés cependant ne sont accordées qu'avec certaines restrictions, Voir *loi* du 23 Juin 1894.

remplir. Elle consiste à faire de ces milliers de jeunes gens rendus annuellement par l'armée à la société, des citoyens conservateurs, aimant la patrie belge et ses institutions, initiés aux multiples institutions sociales dont le gouvernement, si puissamment secondé par l'initiative et le dévouement des hommes d'œuvres, a doté la Belgique. Il fait siennes ces paroles qu'adressait naguère la *Revue de l'armée belge* aux officiers : « Il faut que le soldat ne sorte de l'armée qu'avec des idées plus vraies, plus exactes sur la société ; qu'il ne suspecte pas la bonne foi et la justice des classes élevées : il faut qu'il sache que par la persévérance, l'économie et la conduite, il peut atteindre aux plus hauts échelons de l'échelle sociale.

Un rôle nouveau vous incombe dans l'Etat ; il faut en avoir l'esprit et l'orgueil ; il faut avoir l'ambition de le bien remplir ».

L'auteur a voulu par le présent travail, faciliter aux officiers l'accomplissement de cette mission d'éducation sociale. Comme il le fait remarquer à juste titre, le programme que comporte son étude « est plus étendu que celui qui pourrait être utilement exposé aux soldats, mais il aura l'avantage de former un tout aussi complet que possible, et de permettre au lecteur de se faire une conception nette du mouvement social belge et de son développement » (1).

Aussi, nous avons hâte de le dire, le travail de M. Couche ne s'adresse pas aux seuls officiers. L'auteur a réussi à rédiger un excellent manuel pour tous ceux — et ils sont légion — qui s'intéressent aux organismes et aux lois, aux institutions et aux œuvres que la Belgique possède actuellement en matière économique et sociale, et dont aucun pays peut-être n'offre l'exemple.

Dans le Titre Ier l'auteur décrit *l'organisation sociale*,

(1) p. 15.

c'est-à-dire les divers organismes que le gouvernement a créés pour les deux grandes branches du travail national : l'industrie et l'agriculture.

Le Titre II expose sommairement les différentes *lois sociales*.

Le Titre III, le plus long, le plus intéressant et le plus riche en renseignements utiles, traite des *œuvres sociales* et notamment des œuvres d'enseignement et des associations multiples et variées (coopératives, mutualités, associations professionnelles, œuvres diverses d'assistance et de charité etc.), qui pendant les dix dernières années surtout, ont surgi comme par enchantement sur tous les points du pays.

M. Coucke expose et analyse la Belgique sociale avec une élévation de vues, une impartialité et une sagacité auxquelles nous nous plaisons à rendre hommage. Puisse son ouvrage recevoir l'accueil qu'il mérite, non seulement dans le milieu auquel il s'adresse avant tout, mais encore chez tous ceux qui, à un titre quelconque, s'intéressent et coopérent à la grande œuvre de la régénération morale et sociale de nos populations !

A. C.

*
* *

**Méditations sur la Passion et le Sacré-Cœur**, *à l'usage du clergé et des fidèles*, par un prêtre de la Congrégation de la Mission, auteur de *S. Vincent de Paul et le Sacerdoce*. In-12, 464 pag. Lille-Paris, Sté de S. Augustin.

Hæ meditationes, in gratiam clericorum primitus conscriptæ, feriis VI per annum, toti quadragesimæ primis feriis VI mensium et quibusdam diebus festivis accommodatæ agunt, numero 97, de Passione D. N. J. C. juxta historiam evangelicam, cujus textui pressius inhærere utiliter potuisset auctor, necnon, numero 16, de natura et fructibus devotionis erga SS. Cor Jesu deque duodecim promissis a Christo Domino factis.

Unaquæque meditatio, quæ quatuor semper absolvitur paginis, ea « methodo valde simplici » est digesta quam ipse auctor ita exponit: « Dans le premier point, le sujet est considéré en Dieu ou en Notre-Seigneur, puis divisé entre les deux autres points en deux réflexions simples et pratiques... Nous n'avons pas beaucoup multiplié les *affections*, pensant que, pour être utiles dans la méditation, elles doivent avoir un caractère tout personnel, découler des *réflexions* proposées, et se diversifier pour chacun suivant ses besoins particuliers et la trempe de son âme.

Afin de faciliter la préparation prochaine, si importante au succès de la méditation, nous avons fait, pour chaque sujet, un *sommaire destiné à être lu la veille au soir*. Il offre comme le résumé succint des idées que l'on pourra développer le lendemain, propose quelques résolutions pratiques, et donne, sous le nom de *bouquet spirituel*, une pensée plus saillante, généralement tirée de la Sainte Ecriture, et qui peut aider à se rappeler fréquemment, le long du jour, le sujet que l'on a médité le matin. »

Unum addendum nobis manet: propositum hoc lineamentum a præclaro auctore intextum fuisse non verbis tantum, ut sæpius accidit, et vocibus sed sententiis et sensibus, qui distincte propositi, stylo simplici et suavi expressi, scientiam theologicam non minus quam utilitatem practicam sapiunt et non raro confirmantur textibus a S. Vincentio a Paulo vel ab auctore *Imitationis* mutuatis. Hujuscemodi merita et dotes exspectabant ceteroquin omnes qui attente pervolverant ejusdem scriptoris optimum opus: *S. Vincent de Paul et le Sacerdoce.*

C. C.

# Collationes Brugenses

## Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VII, pag. 417.)*

283. Finem imposuimus inquisitioni nostræ de diversis functionibus operationis Dei ad extra in ordine naturæ; nunc breviter indaganda est indoles ejusdem operationis divinæ in ordine gratiæ, cui supponitur ordo naturæ constitutus. Et illico quidem respectu creaturarum intellectualium heic divinam operationem consideramus, utpote quæ solæ potentiam obedientialem habent ad supernaturalia, ad consortium divinæ naturæ, quod est ordinis intellectualis. Si quæ enim manifestationes supernaturales vel et in res corporeas redundant, id nonnisi ratione illius consortii creaturæ intellectualis cum Deo contingit.

Imprimis ordinis supernaturalis seu divini conspectum omnino generalem ante oculos mentis revocemus: nempe cujus finis et fastigium est in illa ineffabili unione cum Deo, qua fit ut creatura intellectualis, per lumen gloriæ, potiatur visione faciali, beatifica divinæ essentiæ seu Dei unius et trini. Ex fine hoc seu ratione hujus finis et ad eumdem finem sunt quæcumque supernaturalia dona, habitus ac virtutes, a Deo infusa sive ipsi substantiæ sive potentiis naturæ intellectualis, ut scilicet in ea oriantur vita ac principia operationum proportionata cum fine attingendo; proin ipsa quoque divina motio atque concursus speciales, in operationibus illis supernaturalibus, sese habent et definiendi sunt ex ordine ad illum eumdem finem, qui propterea finis divinæ visionis beatificæ constanter præ oculis est habendus.

Præter finem, utilissimum est et exemplar perfectum ac summum in ordine supernaturali ac divino sæpius

intueri, scilicet Verbum Dei incarnatum : in cujus humanitate sancta est plenitudo, plenaque perfectio omnium donorum supernaturalium, et cujus unius personæ, sicut duæ sunt inconfusæ ast intime unitæ naturæ, ita duæ sunt distinctæ operationes. In operationibus autem Christi, quæ vario sensu orthodoxo theandricæ vocari possunt, operationes humani intellectus humanæque voluntatis, sub directione et influxu divinitatis, præprimis in hac quæstione præ oculis utiliter habentur.

Sub hoc duplici lumine, finis et exemplaris perfecti, dona supernaturalia singillatim, eorumque indolem ac functionem, a theologis explicari solita, facilius et intimius intelligere licebit (1). Nos autem, sub eodem duplici lumine ad id considerandum properamus, quod in præsenti nos præprimis occupat, videlicet, quomodo divina motio divinusque concursus in hoc ordine, aliis verbis, operatio divinæ gratiæ actualis differat a motione atque concursu in ordine naturæ.

Et primo quidem præscindimus ab omni dono habituali, quod naturam vel et potentias supernaturaliter evehat.

284. Fundamentale autem discrimen uno hoc generali asserto contineri posse videtur, quod, cum in ordine naturæ præmotio divina, immediata immediatione suppositi, est respectu primæ operationis intellectualis, reducendo solummodo in actum intellectum agentem, et deinceps est solum concursus generalis, immediatus immediatione virtutis tantum; contra, in ordine supernaturali, est præmotio immediata immediatione suppositi tum respectu intellectus, tum respectu voluntatis, et similiter eodem modo immediatus concursus, idque ad singulos actus: hac enim ratione non potest talis actus non esse nisi entitative supernaturalis ordinisque vere divini.

---

(1) Vid. Tr. nostros de virt. card., tr. 1 *de Prudentia* etc., in Proœmio, cum tabula synoptica adjecta. Item, *De Dubio solvendo*, parte I, sect. I cap. III.

Neque enim objici potest operationem non esse supernaturalem, eo ipso et solo quod Deus immediate immediatione suppositi agat, cum et in ordine naturæ nos ipsi diximus primam motionem, nominatim intellectus agentis, esse mere naturalem, et a natura exigi. Ad hoc enim reponimus, concesso quod de prima motione intellectus agentis dicitur, hanc præcise motionem saltem natura priorem supponi motioni Dei in ordine supernaturali, sicut generatim natura supponitur gratiæ; et motionem alteram Dei immediatam non requiri nec exigi a natura, ut supra de ordine naturæ agendo demonstravimus; adeoque jam hoc saltem sensu esse supernaturalem hujusmodi ulteriorem motionem immediatam Dei, quod et ei supponatur natura, nec tamen natura ullo pacto eam exigat.

Sed instabit quispiam et dicet: Effectus a Deo per hujusmodi operationem immediatam productus non est necessario supernaturalis, imo, vel mere naturalis esse potest, ut est reapse in creatione; vel supernaturalis quoad modum, ut in operatione miraculi, v. g. suscitando mortuum, infundendo scientiam naturalem. Atqui actus cum gratia positus oportet sit entitative supernaturalis.

Respondemus, concesso quod dicitur tum ab una parte de effectu aliquo externo a Deo producto per creationem, per operationem miraculosam, tum ab alia parte, de necessitate ut entitative supernaturalis sit actus cum gratia positus, attendendum esse heic non agi de effectu qualicumque, sed de actu immanente intellectus et voluntatis, qui a Deo immediate operante immediatione suppositi, ut est intelligens se et volens suam bonitatem, per intellectum et voluntatem nostram ut instrumenta vitalia transeunter conjuncta, procedit. Jamvero, potest Deus in hisce facultatibus nostris operari duobus modis: vel 1/ ita ut primum reducat in actum, immediate immediatione suppositi, potentiam quæ id exigit ad operationem naturalem, ad quam

deinceps, immediate immediatione virtutis tantum, concurrat, ita ut sit Deus prima causa *esse* actus cujusvis illius potentiæ, aliarumque potentiarum quæ ab ea moventur, nequaquam vero sit causa actus *hujus* vel *talis*, quemadmodum explicavimus de ordine naturæ agendo; et hic modus est mere naturalis. Vel 2/ ita ut, positis prius quæ a natura ad operationem exiguntur, moveat Deus immediate immediatione suppositi potentiam et eodem modo immediato cum ea concurrat, quin id exigat natura, idque ad singularem actum, ita quidem ut tum ex parte propositionis objecti, tum ex parte subjectivæ operationis moveat et concurrat modo immediato jam definito ad hunc et talem determinatum actum. Et sic dicimus erit iste actus absolute et entitative supernaturalis ordinisque vere divini, cum Deus sit non solum causa prima *esse* actus, ut est vi naturæ in omni operatione creaturæ, sed sit præterea vere causa, principalis ac totalis quidem in suo ordine divino, *hujus* actus, cujus creata potentia, ut instrumentum vitale transeunter conjunctum seu a Deo specialiter assumptum, est causa subordinata, quasi instrumentalis, rursumque totalis in ordine suo, creato sed assumpto, elevato.

285. Et heic quæri potest utrum in intellectu et voluntate, eo quod ita in instrumentum speciale Dei assumantur, ponatur aliqua qualitas seu realitas supernaturalis tamquam principium quoddam transiens, quasi supplens habitum gratiæ in nondum justificato, ratione cujus dicatur et sit potentia Deo transeunter conjuncta.

Sunt qui hoc necesse putant affirmare, et in horum sententia evidentius apparet, seu novo quasi titulo, actum esse entitative supernaturalem. Sed etiamsi hoc non admittatur, ut nec admittere videtur S. Thomas qui, de gratia actuali agens, ait: « ipse gratuitus effectus in homine, non est qualitas, sed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto, est motus (1); »

(1) 1, 2, q. CX, a. 2, in corp.

nihilominus actus sine dubio apparet entitative supernaturalis. Quid enim erit supernaturale, si non hoc quod ipsa divina cogitatio seu judicium divinum participetur ab intellectu nostro, ipsumque divinum velle æterni boni participetur a voluntate nostra.

Unde vides quam celsum est ac sublime quod cum divina gratia efficimus, quantopere ad cooperandum divinæ gratiæ, quamque efficaciter id nos excitare debet. Oremus quotidie, nos saltem sacerdotes, Spiritum sanctum, gratiarum distributorem munificum, omnisque sanctitatis auctorem, ut animus noster, non tantum ab omni peccati labe sit purgatus et immunis, sed et ab omni affectu mere humano sit vacuus, ita ut nullus sit actus noster deliberatus nisi operante ac cooperante divina gratia supernaturali, sitque mens nostra atque voluntas instrumentum Deo continuo conjunctum intime et aptissime ad nostram propriam aliorumque sanctificationem ac salutem.

286. Simul etiam ex dictis discrimen intelliges operationem divinæ gratiæ inter et productionem supernaturalem a Deo alicujus effectus permanentis, ab actione supernaturali in intellectu et voluntate nostra distincti. Hujus quidem operationis potest esse effectus vel naturalis, quamvis sit supernaturalis quoad modum productionis, ut in miraculis fieri potest, vel esse potest supernaturalis entitative, ut sunt gratia habitualis, aliaque dona ac virtutes per se infusæ. Et hi effectus, utpote supernaturales entitative, petunt hoc modo produci nec aliter effici possunt. Illi, non ita necessario. Operatio vero gratiæ actualis talis naturæ est, ut actus seu motus intellectus nostri, et actus indeliberatus voluntatis nostræ non sint meri effectus operationis divinæ supernaturalis, sed sint ipsa actio divina participata vitaliter, nam actus moventis in moto est motus, ut modo supra aiebat S. Thomas. Unde etiam ad quæstionem utrum fieri possit ut Deus supernaturaliter quoad modum tantum, eo modo immediato

quem descripsimus, in intellectum nostrum et voluntatem agat, ita ut actus intellectus et actus indeliberatus voluntatis producantur modo quidem supernaturali, ast maneant ordinis mere naturalis: ad eam quæstionem, inquam, respondendum est id fieri non posse, quia contradictio est in terminis. Ipse etiam Doctor angelicus non videtur medium admittere inter universalem motionem in ordine naturæ, et specialem motionem in ordine gratiæ, ita ut specialis aliqua motio naturalis nulla sit: « Deus, *ait* (1), movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum: sicut in his quos movet per gratiam. »

287. Attamen nolumus negare, præter modum specialem quem descripsimus, quique non potest non efficere actum entitative supernaturalem, Deum, qua motorem universalem in ordine naturæ, posse voluntatem efficaciter inclinare ad determinatum bonum, verum nempe bonum, ordinis naturalis, potius quam ad aliud quodcumque. Ita enim omnipotenti providentia sua res disponere potest ut homo unice apprehendat aliquod verum bonum determinatum, illudque unice appetat, etiam negato concursu naturali ad aliud, si oportuerit. Imo potest supernaturaliter quoad modum phantasmata, etiam immediate excitare, vel et directe species intelligibiles infundere, et deinceps, modo quo diximus, dirigere judicium et affectum ita clare et efficaciter ut voluntas in id unum feratur. Sed hos modos, qui omniscienti ac omnipotenti Deo innumeri quasi occurrunt, nemo non videt toto cœlo differre

(1) 1. 2. q. IX. a. 6. ad 3m.

a motione gratiæ: in illis enim, etiamsi quædam producantur supernaturaliter quoad modum, actus ipse tandem, ut est hic et talis, manet actus creaturæ, et mere naturalis; actus vero cum motione gratiæ positus, ipse, ut est hic et talis a Deo est simul et a creatura; idque, tum objective, quatenus objectum judicii et volitionis supernaturalis, sive prius, sive in ipsa motione a Deo immediate revelatum, certe in ipsa motione ut a divina scientia participatum apprehenditur et a Deo proponitur apprehendendum; tum subjective, quatenus et intellectus et voluntas creata intellectui divino, intelligenti se ut beatæ visionis objectum, et volitioni divinæ, volenti æternum bonum, supernaturaliter tantum communicabile creaturis, vitaliter conjunguntur et immediate in eadem actione cooperantur; ita quidem ut, positis actibus illis indeliberatis quasi divino-humanis, concursus præterea Dei, immediatus rursum, immediatione suppositi, simultaneus adsit libero arbitrio, quo voluntas supernaturaliter in actum jam reducta per actum indeliberatum, reflexe velit supernaturaliter se velle quod jam indeliberate cum Deo vult. Etenim, præter motionem Dei excitantem seu prævenientem, necesse est ponere concursum supernaturalem subsequentem, adjuvantem seu cooperantem cum actu deliberato.

287. Hæc nunc applicemus in concreto, ulterioris explicationis gratia, et primo quidem angelis. Cum natura supponatur gratiæ, natura saltem prius ponendi sunt intellectus angelicus voluntasque angelica naturaliter in actu, quam aliqua operatio gratiæ fiat. Cæterum in angelis nulla difficultas, cum in ipsa creatione, ut vidimus, eorum intellectus ponatur in actu, speciesque intelligibiles connaturaliter infundantur, itemque eorum voluntas sit ab initio semper in actu. Præterea, Deus, natura quidem posterius sed eodem tempore quo creavit angelos, eosdem ad ordinem supernaturalem evexit, quod ut probabilius tenendum magisque Sanctorum

dictis consonum admittit S. Thomas (1), eosdemque omnibus gratiæ donis condecoravit, gratuito quidem, sed secundum gradum naturalium cujusque, quod testante eodem Doctore angelico, magis rationabile est (2).

Nihil proin obstat quin statim Deus intellectui angelico supernaturaliter sese revelaverit ut objectum beatificæ visionis, eumdemque intellectum immediate moverit, similiterque voluntatem, ita ut angelus apprehenderet Deum ut beatificatorem visione faciali, inque eum qua talem afficeretur, et deliberate perficeret actum appetendi beatitudinem seu potius amandi Deum ut est objectum beatitudinis, id est, amore super omnia charitatis; nam est « hoc proprium naturæ angelicæ, quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat (3) », et similiter, in hoc ordine supernaturali, statim ac Deum apprehendit ut beatitudinis objectum, non prius amore imperfecto concupiscentiæ sed statim amore simul charitatis eum diligit, vel utrumque amorem respuit.

Itaque, angeli boni deliberate in hujusmodi actum charitatis acti, statim beatitudinem consecuti sunt (4). Mali vero, eodem modo moti et præventi, concursum Dei præparatum et præsentem in habitibus supernaturalibus ut deliberate ferrentur in Deum, ut est objectum supernaturalis felicitatis, renuentes respuerunt : vel solum appetentes ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suæ naturæ poterant pervenire, vel beatitudinem supernaturalem appetentes per virtutem suæ naturæ. Et hæc valde asseveranter docet Angelicus, dicens: « quod angelus absque omni dubio peccavit appetendo esse ut Deus. » Nempe indebite volens esse similis Deo, non vero, ut patet, æqualis; quam dein

(1) 1, q. 62, art. 3, in corp.
(2) Ibid., art. 6, in corp.
(3) Ibid., art. 5, in corp.
(4) Eodem art. 5.

indebitam similitudinis appetentiam duobus illis modis a nobis adductis exponit (1).

Atvero, cum ponamus angelos omnibus gratiæ donis habitualibus fuisse ab initio instructos, hic jam ab iis donis præscindi nequit, et oritur quæstio in quo constiterint præmotio divina divinusque concursus supernaturales in ordine ad actum charitatis, quo statim meruerint angeli boni beatitudinem.

Duo igitur hic sunt consideranda, quænam fuerint angelis infusa dona supernaturalia, et quomodo, juxta propriam eorum naturam iisdem donis evectam, concipienda sit operatio gratiæ.

Ad primum quidem, angelos in natura sua seu substantia sanctificavit Deus gratia habituali, eorumque voluntati infudit habitum seu virtutem charitatis, a gratia sanctificante inseparabilem, necnon dona Spiritus sancti et habitus earum virtutum moralium quæ eorum naturæ ac activitati propriæ congruunt. Habitus vero fidei et spei non fuisse infusos opinamur, cum ex supra dictis iis non indiguerint, siquidem unico actu charitatis, prævia quidem operatione gratiæ actualis, quam nunc clarius explicabimus, ad beatitudinem pervenerint, qua fides et spes evacuantur.

Itaque ad secundum, ita rem concipimus, ut Deus immediate, immediatione suppositi, supernaturaliter moverit intellectum angelicum, tum ex parte objecti, infusa specie analogica beatæ visionis; tum ex parte subjecti, in actum reductis donis Spiritus sancti ad intellectum ut subjectum pertinentibus, ita ut actu indeliberato supernaturali intellectus angelicus apprehenderet Deum, ut est objectum beatitudinis; simul vero moverit etiam Deus voluntatem, in actum reductis tum charitate, tum donis annexis in voluntate tamquam in subjecto existentibus, qua motione voluntas simul et ad judicium fidei de Deo beatitudinis objecto imperandum, et porro actu indeliberato amoris spei necnon et

(1) Ibid., q. 63, art. 3.

charitatis in eumdem Deum, ut est beatitudinis objectum, ferretur. Hac motione Dei posita, quæ tota ad gratiam actualem excitantem pertinet, jam, sine novo actuali concursu, quem supplent dona Spiritus sancti et virtus charitatis in actum reducta, uno quasi impetu fertur angelus ad assentiendum intellectu Deo ut fini supernaturali, et prosequendum voluntate, præcipue tandem charitatis actu, Deum, ut est beatitudinis objectum; aut, e converso, abutens sua libertate, propriis naturæ viribus, avertit se vel statim ab objecto supernaturaliter indeliberate apprehenso, vel saltem ab eodem objecto ut spe et amore charitatis prosequendo, et ita consummans primum ac unicum peccatum, a beatitudine in æternum decidit.

288. Quod jam hominem attinet, oportet natura saltem vel et tempore prius intellectum ponere sufficienter evolutum ut et voluntas reducatur in actum, juxta exposita de ordine naturæ; quibus positis ad operationem deliberatam ordinis intellectualis ac moralis a natura requisitis, jam locus sit operationi gratiæ. Dicimus: natura vel et tempore prius, quia per se loquendo nonnisi successione temporis intellectus et voluntas naturaliter ad actum proprium, moralem perveniunt; nolumus tamen negare Deum, ut in primis parentibus, præsertim si teneamus eos in gratia creatos, probabiliter fecit, posse eodem tempore facultates intellectuales supernaturaliter quoad modum in actum naturalem reducere et simul supernaturaliter movere, quamquam hoc maneat natura posterius illo.

Porro, suppositis operationi gratiæ prædictis natura requisitis, varios eventus seu hypotheses considerare oportet. Ita agi potest de homine, qui nullum habituale donum supernaturale possidet, sed ad justificationem se disponere debet solis actualis gratiæ auxiliis. Et in hoc, omnia fiunt prout supra descripsimus, præscindendo ab omni dono habituali (1). Ubi etiam, cum com-

(1) In fine n. 283 et num. sequentibus.

muniore sententia, posuimus gratiam non modo illustrationis in intellectu, sed etiam immediatam motionem voluntatis requiri. Secus enim intelligere non valemus, quomodo actus primus indeliberatus voluntatis possit esse supernaturalis ordinisque divini: quamquam enim, de ordine naturæ loquendo, nos ipsi immediatam immediatione suppositi motionem requisivimus solummodo quoad primam omnium operationem facultatum intellectualium, nempe intellectus agentis in actum reducendi; voluntatem vero, pro natura sua, apprehenso bono in communi, tamquam proprio objecto sufficienter moveri, et deinceps solo concursu generali immediato immediatione virtutis tantum egere consensimus; in ordine tamen supernaturali, apprehenso licet objecto actu supernaturali, voluntas ex parte subjecti non eo ipso supernaturaliter movetur, sed actus indeliberatus esset mere naturalis; adeoque nec locus esset concursui subsequenti ad actum deliberatum parato.

Fieri potest ut homo sit instructus omnibus donis seu habitibus supernaturalibus, v. g. in baptismo acquisitis, vel, amissa gratia sanctificante cum donis ab ea inseparabilibus, servaverit habitum fidei vel et spei. In hac hypothesi, nihilominus ad supernaturaliter agendum necessaria est vel in justo gratia actualis, saltem ut excitans: quamvis enim dona supernaturalia sint longe perfectiora naturalibus, modo tamen minus perfecto habentur quam natura; ideoque licet habitus dicatur, quo quis utitur cum voluerit, de habitu tamen supernaturali agendo, oportet ut divinitus in actum reducatur, antequam qui eum habet eo utatur; semel vero excitato reapse utitur cum voluerit, supplente isto habitu actionem gratiæ adjuvantis, in justo quidem quoad omnem actum supernaturalem; in eo qui solum habitum fidei vel et spei retinuit, quoad actus illarum virtutum.

Hæc sunt quæ nobis probabiliora videntur, et, missis variis inter naturam integram eamque lapsam differentiis, sufficere ad intentum nostrum, quod erat definire

discrimen, quod divinæ motionis divinique concursus indolem attinet, inter ordinem naturæ et ordinem gratiæ. Sic finem imponimus capiti præliminari hujus secundæ partis meditationum nostrarum theologicarum, et properamus ad caput alterum, in quo proprium subjectum hujus partis, nempe ipsam rerum æternam prædefinitionem in Deo considerandam habebimus.

*(Continuabitur).*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Novembris.

—

I

Explica differentias inter narrationes parallelas Matth. IX, 18, sq., 23-26; Marc. V, 22-24, 35-43; Luc. VIII, 41, sq., 49-56, de filia Jairi ad vitam revocata.

II

Solvatur sequens difficultas: In quo habetur unio plurium distinctorum, in eo habetur compositio. Atqui in natura divina habetur unio trium Personarum. Ergo in Deo habetur compositio.

III

Quomodo interdum potest indirecte solvi dubium positivum speculativum?

IV

Expone varia systemata a theologis proposita ad solvendum indirecte dubium positivum remote practicum.

V

Da definitionem scandali activi eamque explica?

VI

Infra octavam aliquam B. M. V., die qua officium fit semiduplex de aliquo sancto, celebranda est juxta intentionem petentis missa in honorem Immaculatæ Conceptionis ejusdem B. M. V.: quænam missa est celebranda et quænam servanda quoad *Gloria in excelsis*, *Credo* et Præfationem?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. Explica Matth. V, 21, 22: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.*

R. *Audistis* in synagogis ubi singulis sabbatis lex Mosaica tum prælegitur, tum explicatur *quia* (quod) *dictum est antiquis*, non illis tantum Israelitis quibus lex primum promulgata fuit in deserto (ita Liagre), sed omnibus generationibus præteritis, quibus Moyses et successores ejus, np. scribæ, loquebantur. Christus refert primo verba legis Ex. XX, 13: *Non occides;* deinde traditionalem ejus interpretationem: *qui autem occiderit, reus erit judicio*, obnoxius erit judicibus qui eum capite damnent; collegium enim judicum qui per singulas civitates constituebantur et qui causam homicidii cognoscere et pœnam capitalem decernere poterant, vocabatur *judicium*.

Quæ sequuntur involvunt aliquam oppositionem cum præcedentibus (*ego autem dico vobis*), non quidem cum lege: *non occides*, quam neque abolere, neque corrigere et perficere Christus intendit (1), nam odium etiam

(1) Non licet hoc deducere ex v. 17, vox *adimplere* hic videtur retinere ordinariam suam significationem: legi satisfacere; neque alium sensum (ad ulteriorem perfectionem adducere) exigit oppositio cum verbo *solvere*, ut Liagre affirmat, nam v. 19 habemus oppositionem: *qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines....; qui autem fecerit et docuerit....*

sub V. T. procul dubio illicitum erat, sed cum interpretatione ejus. Quod manifesto apparet ex forma sententiæ Christi: etenim non dicit: *non irasceris,* opponendo suam prohibitionem verbis: *non occides;* sed dicit: *qui irascitur... qui dixerit fratri suo... reus erit,* opponendo suam explicationem explicationi: *qui occiderit, reus erit judicio.* Præterea non rejicit antiquam interpretationem tamquam erroneam, nam lex evidenter et explicitis quidem verbis homicidium prohibebat, sed tamquam incompletam et insufficientem, ut patet ex vers. præcedenti: *nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hujus autem principii variæ dantur applicationes, vv. 21-48. Et tandem illa insufficientia ex eo oriebatur quod litteræ legis nimis adhærebant, spiritum autem ejus non perspiciebant; eorum explicatio restringebatur ad id quod verba sonabant, prohibitionem homicidii, non attingebat intimas peccatorum radices et successivas manifestationes.

Plenum ergo legis sensum exponens, Christus declarat prohiberi iram, talem np. quæ includit voluntatem seu desiderium inferendi mortem vel aliud grave nocumentum et quidem eodem prorsus modo ac ipsum homicidium. Dicendo enim: *reus erit judicio,* certe non intendit deferendum esse irascentem æque ac homicidam tribunali humano, quod judicare nequit de actibus mere internis sed, quia crimina ejusdem gravitatis eidem tribunali deferuntur, significat iram et homicidium esse æque prohibita.

*Raca* vox est Chaldaica significans vacuum, puta cerebro; ponitur hic per modum exempli pro contumelia satis ordinaria. Gravior est ira quæ prorumpit in verba contumeliosa contra proximum quam ira mere interna, et quia graviora delicta altioribus judicibus deferri solent, propterea qui hujusmodi contumeliam protulit *reus erit concilio.* « *Concilium,* το συνεδριον, intelligitur supremum Judæorum tribunal, seu Synedrium,

cujus erat majores cognoscere causas et graviora simplicis capitis pœna supplicia, v. g. lapidationem, decernere » Liagre (1).

Μωρος, « *fatuus* seu *insipiens* sæpe in Scriptura significat Dei contemptorem, impium, atheum (Ps. XIII, 1): ergo hæc est contumelia omnium pessima. » Van Steenkiste. Gravissimum proinde erat peccatum et consequenter tribunali supremo deferendum; quia autem non erant judices humani Synedristis majores, ideo divino judicio defertur et pœna inferni (*gehennæ ignis*) punitur, non ac si ira et odium a Deo etiam non judicarentur, sed, uti pluries jam diximus, Christus, varia tribunalia nominando, variam peccatorum gravitatem symbolice significat.

*Gehenna*, aramaice *ge Hinnom*, vel plenius *ge bene Hinnom*, quod valet vallis filiorum Hinnom, est vallis sita ad meridiem Jerusalem, in qua olim Israelitæ pueros suos in honorem idolo Moloch comburebant, ejusque nomen exosum translatum est ad locum æternæ damnationis significandum. Non conveniunt auctores circa quæstionem quo sensu hic sumatur. Plures v. g. Van Steenkiste, Liagre priorem sensum adstruunt: dignus est qui in valle Hinnomi vivus comburatur. Sed vivicomburium in nulla lege judaica decernebatur; præterea constanter in Evangeliis *gehenna* non de valle Hierosolymitana, sed de inferno dicitur.

A. D. B.

---

1) Christus evidenter non intendit dicere iram cum contumelia graviorem esse homicidio; sed affirmaverat iram, prout eam descripsimus, quod spectat moralitatem actus, æque gravem esse ac homicidium, nunc vero comparat contumeliam non homicidio sed irae eamque graviorem dicit. Tollitur quidem difficultas si supponatur Pharisæos non satis æstimasse gravitatem homicidii. Christum vero tribuere iræ eam gravitatem quam isti falso tribuunt homicidio; hanc vero non putamus esse mentem Christi; voluit æquiparare peccatum internum de quo Pharisæi silebant peccato externo. Hæc sententia confirmatur ex v. 27 sq.: Pharisæi nihil docebant populum præter legem ad litteram sumptam: *non mœchaberis*. Christus vero docet peccatum internum eamdem omnino habere gravitatem: *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*.

## II

Q. *Demonstra ex ratione Deum esse simpliciter infinitum in perfectione.*

R. *Prænotandum.* Quamvis non unicum sit argumentum quo demonstretur Deum esse infinitum in perfectione, tamen unica est, ut videtur, demonstratio quæ *ontologicam* Infinitatis divinæ rationem exhibet et qua *logice* ex Dei essentia metaphysica deducitur Ejus Infinitas.

Quapropter supponimus demonstratum essentiam Dei metaphysicam reponendam esse in subsistentia actus essendi, seu in eo quod Deus est *ipsum Esse subsistens* (1).

Hoc posito sic conficitur

*Demonstratio:* Deus est ipsum Esse subsistens; atqui ipsum Esse subsistens est simpliciter infinitum in perfectione; ergo Deus est simpliciter infinitus in perfectione.

Declaratur *Major.* « Ens reale (scilicet ens *physicum* per oppositionem ad ens *intentionale*) resultare concipitur ex duobus principiis invicem intime connexis: ex *Essentia* scil. qua unaquæque res constituitur in convenienti sibi gradu definitæ realitatis, ab aliisque rebus distinguitur; et *Existentia* qua quæque res propriæ suæ realitatis fungitur actuali exercitio ut *sistatur extra mentem* » (2).

Quando igitur dicimus: Deus est ipsum *Esse subsistens,* significamus in Deo non haberi duo principia realiter distincta, nempe essentiam et existentiam, sed

---

(1) Cf. Billot, *De Deo Uno et Trino,* Q. III, Coroll. II; De San, *De Deo Uno,* § II, c. 1. — Etiamsi quis non admittat *essentiam Dei metaphysicam* reponendam esse formaliter in hoc quod Deus est ipsum Esse subsistens, tamen admittere debet Deum esse revera ipsum Esse subsistens, et hoc admisso valet argumentum nostrum.

(2) De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 197.

Deum esse ipsum *Esse*, nullo modo receptum in aliqua essentia sicut in potentia. (1)

Demonstratur *minor*. 1/ *Esse subsistens est sine limite in linea essendi* seu est infinitum in essendo. Etenim esse subsistens est actus essendi qui non unitur alicui principio potentiali seu quod non recipitur in aliqua potentia ad constituendum aliquod concretum quod est; jamvero talis *essendi actus*, seu talis *existentia* nullo modo limitatur in linea essendi. Et sane si actus essendi non recipitur in aliqua *potentia* seu *determinata capacitate essendi*, tunc ille actus est per se seu ratione sui existens, sed actus essendi per se seu ratione sui existens nequit de se seu ratione sui *limitari:* quia prorsus repugnat ut perfectio ratione sui includat negationem perfectionis in eadem linea (2).

Ergo esse subsistens est infinitum in linea essendi (3).

2. *Esse subsistens* quia infinitum in linea essendi *est etiam infinitum in omni linea perfectionis simplicis*. « Nam *esse* est perfectio perfectionum omnium, id est, actualitas cujusvis perfectionis possibilis, cum nihil perfectionis sit, aut concipi possit, ad quod ratio essendi se non extendat; nihil quod extra amplitudinem seu comprehensionem ipsius *esse* inveniatur. Si quid igitur sine limite est secundum ipsissimam essendi rationem,

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. III, a. 4; Cajetanus, *Comment.* in h. l. — Sicut igitur quærenti quid sit homo respondetur: est animal rationale, ita quærenti quid sit Deus respondetur: est ipsum Esse subsistens: *subsistens* h. e. nullo modo receptum in aliqua potentia.

(2) Quod optime confirmatur ex ipso modo quo loquuntur homines. Etenim « ad significandum vitam, sapientiam, et quamcumque aliam perfectionem omni limite carentem, solemus omnes dicere, *vitam subsistentem, sapientiam subsistentem*, sive *ipsam vitam, ipsam sapientiam* etc. semper convertendo conceptum perfectionis subsistentis, id est, absolutæ, cum conceptu perfectionis non minoratæ, ac per hoc, illimitatæ. » Billot *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, Thes. VIII, § 1.

(3) Hoc argumento directe ostenditur infinitas *quidditativa*. V. suprà p. 359.

omnes perfectiones in summa eminentia comprehendat necesse est » (1).

Ergo esse subsistens est *simpliciter infinitum in perfectione.*

**Adnotatio.** Cuicumque intelligenti patebit supra expositam demonstrationem in hoc niti quod esse divinum est esse *irreceptum;* sc. esse non receptum in aliqua essentia tamquam in potentia. Et hæc est formalis ratio quam de infinitate Dei dat S. Thomas quando hac de re ex professo agit: « Cum igitur esse divinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, ut supra ostensum est (Q. III, a. 4) manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus » (2).

Sed si ideo quia esse divinum est esse *irreceptum* illud esse divinum est infinitum, hoc logice sequetur quod nullius entis finiti actus essendi potest esse irreceptus: igitur omnis entis finiti actus essendi est receptus: receptus nempe in essentia, quæ est capacitas quædam essendi, et a qua capacitate actus essendi intrinsece et formaliter limitatur. Quum autem aliud sit actus essendi seu existentia et aliud capacitas in qua recipitur hic actus, sequitur in entibus finitis realiter distingui existentiam et essentiam. Huic conclusioni, licet de hujus veritate magna fuerit inter Philosophos controversia, omnino adhærendum videtur.

Multi auctores, quia non admittunt in rebus finitis realiter distingui actum essendi et essentiam, logice etiam non utuntur argumento quod supra exposuimus ad demonstrandam Dei infinitatem. Sed, ut videtur, illud argumentum unicum est quod *intrinsecam* infinitatis divinæ *rationem* exhibeat, et consequenter unicum

---

(1) Billot, op. c., l. c. Hoc argumento ostenditur infinitas etiam in omni perfectione quæ concipitur ut essentiæ accedens, quæ infinitas a quibusdam vocatur *attributalis:* hæc infinitas eadem est ac infinitas *virtutis*, de qua supra p. 359 diximus.

(2) I, Q. VII, a. 1.

quod veritatem *cum ejus ratione* proponendo efficiat ut plene quiescat intellectus (1).

J. V. D. M.

III

Q. *Quomodo agere debet qui habet conscientiam perplexam?*

R. Conscientia perplexa « est ea conscientia erronea qua quis judicat se necessario peccare, sive actum ponat sive omittat, sive hoc sive illud eligat, et tamen unum illorum jam eligere debet: v. g. quando inserviens moribundo putat se peccaturum, si eum deserat ut audiat Sacrum, et pariter se peccaturum existimat, si assistat ei atque ita Sacrum non audiat (2) ». In præsenti quæstione non agitur de conscientia, ut plures dicunt, *simpliciter* perplexa, qualis est per se conscientia hic et nunc vincibiliter erronea, quatenus scilicet hæc per se et qua talis (3) non est legitima regula operationum, ita ut agens cum ea peccet, sive contra sive juxta illam agat: hac quippe laborans, ut scite advertit S. Thomas, « non est *simpliciter* perplexus, quia potest aliquid facere quo facto non incidet in peccatum, scilicet conscientiam erroneam deponere; sed perplexus *secundum quid*, scilicet conscientia erronea manente (4) »: neque sermo hic est de eo qui potest actionem differre et interim sapientes consulere: eo usque enim et ipse non est vere perplexus, cum adsit opportunitas et obligatio capiendi consilium. Quodsi laborans conscientia erronea advertat quidem obligationem inquirendi, sed actu inquirere non valeat, et

---

(1) Cf. De San, *De Deo Uno*, Lovanii, 1894, n. 60.

(2) Theol. Mechlin. *De Conscientia* (1895), n. 95. Cfr. S. Alph., Lib. I, n. 10.

(3) *Quomodo* non sit illegitima *per accidens* exponit Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 272.

(4) *De Veritate*, q. XVII, art. 4, ad 8um, coll. 1-2, q. XIX, art. 6, ad 3um.

aliunde adsit necessitas statim agendi, tunc habetur conscientia *vere et simpliciter* seu *hic et nunc invincibiliter* perplexa, de qua sola agimus (1).

Hujusmodi autem occurrente perplexitate, hæ regulæ servari debent ut vitetur peccatum: id eligere debet perplexus, quod sibi *minus peccatum* apparet, et non peccabit. Nam nemo peccat in eo quod vitare non potest, cum peccatum præsupponat libertatem; et in casu declinat a malo quantum potest. Quodsi eligat illud quod sibi videtur majus malum, peccat secundum quantitatem excessus apprehensi, quia ad hunc liber est seu illum excessum vitare potest. Quoad discretionem faciendam inter minus et majus malum, notant AA. generatim præferendum esse præceptum negativum positivo, præceptum divinum humano, præceptum superioris ordinis præcepto inferioris (2). — Si discerni nequeat utrum minus, utrum majus sit malum, eligi potest utrumlibet, et deerit peccatum, quia deest libertas ad peccatum formale requisita. Uti patet, in utroque casu, sive perplexus eligat minus malum, sive eligat utrumlibet, casu np. quo discernere nequit utrum sit minus, potest sibi efformare conscientiam practice certam, quod sic agendo non peccet, ex hoc principio omnibus noto: nemo peccat in eo, quod vitare non potest. Hoc judicium proxime practicum exercite et reipsa vix non semper habetur; quodsi istud dictamen non habeatur sed perplexus erronee putet se in omni casu peccare, nihilominus reipsa non peccat, quantumcumque sibi persuadeat se peccare, quia peccatum formale supponit non tantum apprehensionem intellectus sed etiam libertatem voluntatis (3).

H. M.

---

(1) Theol. Mechlin., *l. cit.*

(2) Lehmkuhl, *Theol. Moralis*, T. I. (1898), n. 52. Cfr. S. Alph., Lib. I, n. 10, et Theol. Mechlin., *l. cit.*

(3) Cfr. suprà, p. 444 sq., Theol. Mechlin., *l. cit.*, Lehmkuhl, *l. cit.*, Cfr. Billuart, *De Actibus humanis*. Diss. V. art. VI. Legatur circa condi-

IV

Q. *Explica quomodo dilectio Dei debeat esse super omnia.*

R. *Dilectio Dei super omnia esse debet* **objective** *et* **appretiative,** *non autem necessario* **intensive.**

**Explicatio.** *Prænotandum* est communiter a Theologis tres distingui modos, quibus unum magis quam aliud diligi possit: objective scilicet, appretiative seu æstimative et intensive. Illud autem dicitur *objective* magis diligi, cui diligens vult majus bonum quam alteri. *Appretiative* verò seu æstimative magis diligitur quod pluris quam aliud æstimatur seu præ aliis amore dignius habetur; ad quod ergo amans ità afficitur ut, si ex pluribus unum esset eligendum, magis refugeret ejus quam aliorum amicitiam perdere. *Intensive* vero magis diligitur in quod voluntas amans fertur majori conatu affectus seu majori intensitate actus, sic ut entitas hujus amoris habeat plures gradus quam amoris alterius ad quam comparatur.

Primus modus se habet quasi ex parte objecti materialis motus concupiscentiæ, id est quoad quantitatem boni ad quod aliquis diligitur; secundum præcipue ex parte motivi formalis amoris benevolentiæ; tertius verò se habet quasi unice ex parte subjecti diligentis. Et illi tres modi non sunt necessario connexi (1) ut facile patet experientia et familiari exemplo sequenti apparet. Mater, ordinate filios suos amans, objective magis diligere potest filium cui locum honoratum exoptat, magis appretiative filiam ob egregias ejus virtutes bonamque indolem, magis intensive parvam prolem in quam tenerrimo fertur affectu.

---

tionem libertatis requisitæ ad peccatum formale, instanter inculcandam fidelibus, monitum practicum quod exhibet Cl. Bouquillon in *theol. mor. fundam.*, ed. 1ª, n. 298.

(1) Cfr Illᵐ ac Reverendᵐ Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. Theol.* Brugis, 1900, n. 416.

Hoc prænotato, explicamus propositionem.

1/ *Dilectio Dei super omnia esse debet objective et appretiative*, sicque simpliciter loquendo Deus est magis diligendus quam proximus et quam nos ipsi. Imprimis dilectio Dei super omnia esse debet **objective** « quia homo tenetur plus boni Deo velle quam aliis. Quod dupliciter intelligi potest. Primo, de bono *infinito* quod revera in Deo est. Et sic certa est conclusio, quia homo tenetur ex charitate favere unicuique id bonum, quod habet. At Deus habet in se infinitum bonum, creatura finitum. Ergo tenetur Deo favere infinitum bonum, creaturis finitum. At hoc nihil aliud est, quam Deo plus boni velle per modum gaudii et complacentiæ quam creaturis, et consequenter Deum magis objective amare quam creaturas. Secundo, potest intelligi de bono *finito*, quod Deus non habet, sed habere potest, cujusmodi est honor et gloria (extrinseca), quæ illi deferri potest ab iis a quibus hactenus delata non est. Et sic etiam certa est conclusio, quia homo tenetur majorem gloriam desiderare Deo, quam ulli creaturæ » (1).

Deinde dilectio Dei super omnia esse debet **appretiative seu æstimative**, i. e. diligens Deum amore digniorem præ omni alio æstimare debet ejusque amicitiam omnibus aliis præferre. Quilibet enim amor inferior hoc amore æstimative super omnia, repugnaret bonitati divinæ quæ est objectum formale charitatis theologicæ. Est scilicet illa bonitas infinita, absolute et in omni perfectionum genere infinite perfecta (2). Deus nempe diligi debet propter bonitatem quæ in ipso est essentialiter; reliqui (proximus et nos) amandi sunt propter eamdem bonitatem divinam quæ in ipsis est participative, vel potius cujus vario gradu finito et limitato sunt participes seu ad quam relationem

(1) Cfr. Becanus, c. 19, q. 1.
(2) Cfr. suprà p. 367.

habent (1). Patet igitur Deum præ omni alio amore digniorem æstimari debere, seu diligendum esse æstimative super omnia.

Quodsi objective et appretiative magis diligatur Deus, simpliciter magis diligitur et adimpletur præceptum de amore Dei super omnia iteratis vicibus in S. Scriptura impositum. Ità apud. Matt. XXII, 37: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua: hoc est primum et maximum mandatum; et ibid. X, 37: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus ». Nemo enim negabit nos illum simpliciter magis diligere, cui præcipua bona volumus, et cui tali affectu adhæremus ut potius omnium aliorum amicitiæ dispendium et indignationem simus parati subire, potius quam aliquid committere quo ab ejus amicitia separemur (2).

2/ Exinde jam partim elucet *amorem Dei non necessario requiri super omnia* **intensive**. Verùm Deus haud dubie dignus est, qui etiam intensive magis quam proximus diligatur, quia non potest ab ulla creatura tam perfecte diligi, quin perfectiore dilectione ipse dignus sit. Nec mirum igitur si omnes observant summopere convenire ut amor Dei etiam intensive major seu minor non sit amore creaturæ. — Attamen, de essentia charitatis non est ut Deus diligatur super omnia intensive (3), adeoque non peccat contra chari-

(1) Cfr. suprà p. 370 ss.

(2) Hæc necessaria Dei dilectio super omnia, varios nihilominus gradus habet accidentales, potissimum tres, ut notat Ill^s ac Reverend^s Waffelaert (*o. c*, p. 133 s.): primus et inferior est quo amatur Deus, ità ut vitentur quæ amicitiam auferunt (scil. peccata mortalia); secundus ità ut vitentur etiam quæ amicitiam minuunt (peccata venialia); tertius ità ut vitentur quæ Deo vel leviter displicent, et præterea quæritur quidquid magis Ei acceptum est. Eodem fere sensu distinguit S. Thomas charitatem incipientium, proficientium et perfectorum.

(3) Ut communiter a Theologis admittitur, paucissimis tantum ex antiquis refragantibus. Cfr. Bouquillon, *Tract. de virt. theol.*, Brugis, 1878, n. 419.

tatis præceptum, qui intensiori amore sive naturali, sive supernaturali diligit proximum quam Deum. *Ratio* est, quia intensio illa respondet non tam dignitati objecti diligibilis, quam subjectivæ dispositioni ac etiam naturali complexioni subjecti amantis, necnon apprehensioni vividiori objecti: inde enim fit quod voluntas amans majori conatu et fervore feratur in objectum (1). Jam vero objectum sensibile, ut est proximus, utpote propinquum et immediatum sensibus, vividius apprehenditur ab intellectu, qui pro hoc statu cognitionem a sensibus haurit, quam objectum spirituale ut est Deus. Cùm autem voluntas amans sequatur intellectus apprehensionem, actu vehementiori et intensiori moveri potest in proximum quam in Deum (2).

A. C.

V

Q. *Quæritur utrum et cur charitas viæ possit esse tam perfecta quam charitas patriæ.*

R. Omissis comparationibus quibusdam minoris momenti (3) charitatem viæ inter et charitatem patriæ,

---

(1) Eodem argumento probatur in Tractatu de Pœnitentia dolorem de peccatis non debere necessario esse maximum intensive.

(2) Cfr. Billuart, *Tract. de Char.*, Dissert. IV, Art. 1. Pariter « voluntas *intensius* fertur in minus bonum præsens, quam in majus absens, et *intensius* refugit minus malum præsens quam majus absens; id experientia notum est; nec alia ratione contingit quam quia objectum præsens propinquius est voluntati et magis ipsam movet; quamvis tamen *in appretiatione* mallet perdere minus bonum præsens quam majus absens, et pati minus malum præsens quam majus absens ».

(3)Ità, si comparatio instituatur *quoad diversa subjecta*, 1/ *habitus* charitatis potest esse intensior in aliquo viatore quam in aliquo comprehensore. Etenim multi beati in patria non habent intensiorem charitatem ea, quæ ipsis infusa fuit in baptismo; multi vero sunt viatores qui charitatem in baptismo acceptam auxerunt per susceptionem Sacramentorum, et alia opera meritoria, ex quo deducit Suarez (*Tract. de char.*, Disp. III, Sect. IV, n. 4), charitatem Sanctissimæ Virginis in statu viæ intensiorem fuisse charitate comprehensorum; 2/ Idem affirmandum de *actu* charitatis,

respondetur: *charitas, sive quoad habitum, sive quoad actum considerata, essentialiter tam perfecta est in via quam in patria: idem enim specie et numero habitus viæ perseverat in patria; attamen ratione status subjecti, perfectior dici debet charitas patriæ, utpote habens plures perfectiones accidentales quæ cum visione Dei intime cohærent ex eaque oriuntur.*

**Explicatur.** Ut ipsa quæstio innuit, comparatio instituitur inter charitatem qualis reperitur in *statu* viæ et charitatem qualis viget in *statu* patriæ, utrobique abstrahendo a subjectis determinatis quæ eam sive meritoriam, sive præmiatam vario perfectionis gradu obtinere valent vel de facto possident. Quæritur autem utrùm et cur, attenta perfectione *essentiali* quæ ex specifica natura profluit, attentis etiam perfectionibus *accidentalibus* quæ aliùnde forsan oriuntur, charitas in statu viæ tam perfecta esse possit quam in statu patriæ. — Jamvero, quæstioni ità determinatæ respondetur:

---

quia ut ait Suarez, (*l. c.*, n. 5), viator potest elicere actum æque intensum habitui: et sane de Beata Virgine id certissimum est; actus autem beati non excedit latitudinem habitus.

2/ *Quoad unum idemque subjectum,* plures (v. g. Mazella, *De Virt. Inf.*, Romæ 1884, p. 746 — Theol. Mechl. *Tract. De Virt.* 1896, p. 143. — Casajoana *Disquisit. Scholastico-dogm.* Vol. IV, Pars II, Barcinone 1895, p. 197 s.) afferunt probantque Suarezium docentem (*l. c.*) probabile esse in uno eodemque subjecto charitatem patriæ non excedere in intensione summam charitatem quam in via habuit, licet in hac re nihil certi sit. Pendet enim ex duabus quæstionibus, an merita mortificata reviviscant. Si enim non reviviscunt (scil. totaliter), fiet, ut in patria non habeat charitatem ità intensam is qui tepide surrexit a peccato et postmodum obiit, sed probabilius reviviscunt. Altera est, an augmentum (gratiæ scil. et charitatis) quod respondet actibus remissis, detur statim; si enim non datur statim, accidit multa merita non esse soluta in hac vita, atque ità in termino viæ vel initio patriæ intendi magis charitatem: cæterùm probabilius est statim dari. His opinionibus ut probabilioribus positis, sequitur charitatem in eodem non ese intensiorem in patria, quam fuerit in via. — Hæc sufficiant, quia non vacat ingredi controversiam quæ est alius loci. Cfr. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, Tom. post., Romæ 1901, p. 101 ss.

I. *Charitas, sive quoad habitum, sive quoad actum considerata, essentialiter tam perfecta est in via quam in patria,* quod hoc modo demonstratur :

1 Imprimis quoad *habitum* charitatis : idem specie et numero habitus qui habetur in via, conservatur in patria. Est communis Theologorum et videtur expressa sententia S. Pauli 1 Cor. XIII, 8 ss. « *charitas nunquam excidit* ». Quod necessario intelligendum est de eodem charitatis habitu specie et numero, cùm charitatem opponat Apostolus fidei, de qua cognitione *ex parte* (v. 9), *per speculum in ænigmate* asserit : « *scientia destruetur* (v. 8)... *evacuabitur quod ex parte est* (v. 10)... *tunc autem (videbemus) facie ad faciem* (v. 12). Cæterùm virtutem charitatis eamdem numero et specie manere in patria patet ex eo quod eadem sit ratio formalis objecti, scil. bonitas Dei absoluta et in se, in quantum est beatitudinis supernaturalis objectum. » Nec obstat, ut notat Billot (1) objectum amoris esse bonum apprehensum, aliamque esse apprehensionem præsentis vitæ, aliam vero futuræ. Nam apprehensio non explicat rationem formalem motivam charitatis, sed solùm conditionem sine qua non et applicationem objecti amabilis, atque charitas non habet pro objecto cognitionem, sed rem cognitam quæ est eadem, scilicet Deum (2).

2 Dein, charitas viæ et patriæ eadem est non solùm quoad habitum, sed etiam quoad *actum*. Cùm enim maneat idem quoad essentiam charitatis habitus in patria, ab eo eliciuntur actus amoris : siquidem habitus

---

(1) *De Virtut. Infusis*, Romæ 1901, p. 389.

(2) Ut ait S. Thomas, 1ª, 2ª, q. 67, a. 6 : « quando imperfectio alicujus rei non est de ratione specifica ipsius, nihil prohibet idem numero quod fuit prius imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur et albedo per intensionem. Charitas autem est amor, de cujus ratione non est aliqua imperfectio (scil. amor ut sic nullam imperfectionem essentialem dicit) : potest enim esse et habiti et non habiti, et visi et non visi. Unde charitas non evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet ».

est propter actus. Atqui si idem est quoad essentiam habitus, adeoque idem habeat formale motivum, ob idem motivum actus eliciet. Actus autem procedentes ex eodem principio eliciente ob idem motivum formale, sunt unius ejusdemque speciei. Ergo actus charitatis in via et in patria habent unam eamdemque speciem, adeoque sunt *essentialiter* æque perfecti.

II. *Attamen, ratione status diversi in quo versatur subjectum amans perfectior dici debet charitas patriæ*, non quidem quantum ad naturam specificam ut statim supra ostensum fuit, verum *quantum ad perfectiones accidentales* quæ oriuntur ex differentia inter fidei lumen et **claram visionem cœlestis patriæ.**

Etenim charitas viæ nondum habet statum suum connaturalem, sed est quasi in statu alieno. Naturalis siquidem status ejus est ut sit conjuncta claræ visioni objecti sui, illudque habeat sibi perfecte applicatum et præsens, quod obtinet demum in patria, ubi videtur increata Dei bonitas per lumen gloriæ sicuti est. Nam charitas est suprema participatio divini amoris quo Deus seipsum diligit sicuti est; unde connaturalis ejus conditio quoque postulat ut Deum habeat præsentem sicuti est. In statu autem viæ tendit in objectum suum apprehensum per fidem, quæ præbet obscuriorem dumtaxat objecti illius cognitionem (1). — *E conjunctione autem illa cum objecto suo clare viso sequuntur et aliæ quædam perfectiones, quæ in statu viæ etiam haberi non possunt.*

Nam *primo* habebit actus ille (charitatis) in patria modalitatem intensivam omnino diversæ rationis ab ea quæ nunc est. Aliter enim afficitur quis ad præsentia, et aliter ad absentia.... Aliter afficitur ad bonum illud infinitum quod in superclarissima luce gloriæ sicuti est resplendet, et aliter ad idem bonum quod nunc inter evidentias per solam viam remotionis et excellentiæ ex creatis effectibus cognoscitur. Ex quo fit ut licet

(1) Cfr Wiggers. *Comment.* in 3am, 2æ. q. 24. a. 8.

habitus charitatis in aliquo viatore possit esse intensior quam in comprehensore, nunquam tamen actus perfectissimi viatoris adæquabit actum minimi comprehensoris; est enim utrobique diversa quantitatis ratio. Sicut igitur linea, quantumcumque crescat, nunquam attingit quantitatem superficiei, ità prorsus charitas viæ quæ sequitur cognitionem fidei nunquam attinget charitatem patriæ quæ sequitur cognitionem apertam, ut dicit S. Thomas 2ª 2ᵃᵉ, q. 24, a. 7, ad 3ᵘᵐ. — Habebit præterea *secundo* actus charitatis in patria modum absolutæ necessitatis, oppositum modo libertatis qui nunc est; modum autem necessitatis dico, tam in specificatione quam in exercitio, eoque continuo et interminabili, quia quantum ad divinum bonum intuitive visum volubiles non erunt nostræ volitiones, ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed in nunc immobili æternitatis erit actualis ardor hujus amoris. At longe aliter est in via, in qua impossibile est propter humanæ vitæ necessitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione in ipsum. — Unde tandem *tertio* sequetur absoluta inamissibilitas habitus charitatis qui nunc per peccatum semper amitti potest, et idcirco perfectionem sui status, quamdiu in hac vita vivitur, nusquam consequitur » (1).

Quæ omnes tamen perfectiones numeratæ *extrinsecæ* sunt ipsi charitatis essentiæ eique *accidentales atque ex ipso gloriæ statu oriundæ*. Neque afficiunt notam tùm actus, tùm habitus charitatis specificam ejusque perfectionem inde repetendam. Sola enim diversa cognitio objecti non constituit habitum neque actum (2) specifice diversum; efficit tamen ut charitas patriæ sensu explicato perfectior sit charitate viæ neque hæc possit illam adæquare.

A. C.

---

(1) Ità Billot, *De Virt. Infus.*, Romæ 1901, p. 389 s.

(2) Non enim admittimus quod AA. quidam ut Wiggers, *l. c.* affirmant, scil. diversam propositionem objecti licet non postulet habitus essentialiter diversos, sufficere tamen ut inducat quamdam differentiam specificam in ipsis actibus, Vide rationem suprà sub I adductam.

VI

Q. *Determina qualis et quanta sit obligatio parochi celebrandi pro grege.*

R. I. **Qualis sit obligatio**: a/ *Personalis simul et realis*: hoc est, per prius *personalis*, ita ut si parochus possit celebrare per seipsum, nequeat celebrare per alium; at *simul realis*, ita ut si legitime impediatur, alium sibi substituere possit, ac etiam debeat, nisi à R. Pontifice dispensetur. Hanc doctrinam « tenemus cum maximi nominis theologis et canonistis, innixis doctrinæ S. Congregationis Concilii et ipsius Synodi Tridentinæ (1) ». Hanc obligationem personalem mitigare posse Sedem Apostolicam, non est dubium, et exemplum habetur *in Melevitana*, 9 Apr. 1892; sed secluso indulto, tenetur parochus ipse, cui actualis cura gregis incumbit, personaliter celebrare, neque potest per alium « excepto casu veræ necessitatis et *concurrente causa canonica* ». (S. C. Conc. *in Mechlin.* 25 Sept. 1847). Quare non omnis causa rationabilis excusat ab obligatione, quatenus est personalis, sed sola causa canonica. Porro hujusmodi causæ indicantur potissimum tres: 1/ si parochus sit simul canonicus et missam celebret conventualem, applicandam benefactoribus (Ben. XIV, Const. *Cum semper* 19 Aug. 1744, § 17); 2/ si parochus impediatur a celebrando propter infirmitatem aut aliam causam, puta itineris, exercitiorum spiritualium (S. C. C. 14 Dec. 1859); 3/ si parochus legitime (2) sit absens a sua parochia, non tenetur celebrare per seipsum pro grege, potest tamen (S. C. C. 14 Dec. 1872). Ratio hujus exceptionis est, quia obligatio parochi est etiam localis, ut dicemus infra; hac autem ratione deficiente, videtur

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Compendium* (ed. 6a), n. 446, ubi hæc assertio probatur.

(2) Censet Feye, (*De benef. et off. eccl.*, n. 199) *illegitime* absentem, si ipse celebret, suo officio satisfacere quoad hanc partem, quamvis desit suo officio non celebrando in ecclesia parochiali.

quod episcopus et abbas nullius legitime absentes teneantur personaliter applicare in loco ubi degunt (1).

Tamquam legitima impedimenta haberi nequeunt, funus occurrens vel missa pro sponsis, missa celebranda pro pio aliquo benefactore vel pro peculiaris legati implemento, neque etiam quod populus assistat missæ (v. g. cantatæ), et putet hanc sibi applicari (2); neque consuetudo contraria sustineri potest (3), nisi in casu speciali, si v. g. cura habitualis sit penes cœtum puta canonicorum et consuetudo obtinuerit ut canonici missam pro populo per turnum applicent (4). — Existente impedimento canonico, quo excusatur parochus ab onere missæ pro populo quatenus est personale, manet adhuc obligatio *realis*, ita ut res ipsa, quamvis non jam persona, maneat sub præcepto. Causa autem totaliter eximens ab applicatione certis quibusdam diebus facienda non datur præter dispensationem pontificiam: agitur enim de lege generali, in qua solus R. P. dispensare potest. Notatim non excusat defectus redditus congrui (Ben. XIV, Const. *Cum semper,* § 5), neque consuetudo etiam immemorialis (S. C. C. *in Mechlin.* cit. ad 2m) (5). Indultum a S. Sede interdum conceditur, et exemplum habes pro festis abrogatis in diœcesi Brugensi (6).

b/ *Temporalis seu affixa certis diebus:* hoc sensu quod

---

(1) Gasparri, *Tract. can. de SS. Eucharistia,* 1897, vol. I, n. 528 sqq.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *l. cit*, n. 447 et decreta ibidem citata; *Collat. Brug.*, T. I, p. 181 sqq.

(3) S. C. R. 20 Dec. 1864; S. C. C. 25 Sept. 1847, 9 Apr. 1891. Cfr. Gasparri, *l. cit.*, n. 525.

(4) S. C. Conc. 16 Dec. 1820; cf. etiam 14 Maii 1831. Gasparri, *l. cit.*, n. 526.

(5) Gasparri, *l. cit.*, n. 512. Van den Berghe, Tr. autogr. *de Parochis*, n. 112.

(6) Die 28 Octobris 1901, SS. DD. Leo PP. XIII, ad novum triennium, prorogare dignatus est facultatem, qua Parochis diœcesis Brugensis liceat in festis abrogatis accipere stipendium, ea tamen lege ut integrum scholis catholicis impendatur (Epist. ad Clerum adnexa litt. Quadrag. 20 Jan. 1902). Cfr. *Collat. Brug.* T. VI, p. 494 sq.

parochus teneatur statuta die applicare missam per se vel, si legitime impeditus, per alium; non tamen ita est affixa diei, ut cesset die transacta: dies enim illi non fuerunt determinati ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam, ita ut, secluso speciali indulto et non obstante consuetudine contraria, non possit in alium diem transferri, nisi legitime impediatur parochus quominus per se vel per alium die statuta applicet, et, die transacta, quam primum applicatio omissa suppleatur per ipsum parochum, et si legitime impediatur alteri facienda committatur (1).

c/ *Localis:* hoc sensu quod parochus præsens et non impeditus teneatur *regulariter* missam pro populo celebrare in ecclesia parochiali. Admittunt tamen AA. parochum posse celebrare in ecclesia filiali vel sacello publico, intra limites parochiæ sito, casu quo, propter speciale aliquod festum, ibidem concursus populi fiat (2). Parochus autem legitime absens potest, ut diximus, per alium missam populo applicare in ecclesia parochiali; ad hoc tamen non tenetur, sed sufficit in casu ut ipse pro grege celebret in loco ubi degit, « dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret... » (S. C. C. 14 Dec. 1872) (3). Si vero sit absens illegitime et ipse celebret pro grege, ut notavimus supra cum Feye, deest suo officio, quatenus tenetur celebrare in ecclesia parochiali (4).

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 448, ubi tamen aliquod temperamentum indicatur; *Collat. Brug.*, T. I, p. 181 sqq.; cfr. decreta ibidem citata.

(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, T. II, n. 196. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 449. Contradicit tamen F. Piatus, apud *Nouv. Rev. Théol.*, XXXI, p. 405.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 449, Feye, *l. cit.*, n. 199.

(4) *Acta S. Sedis*, Vol. VII, p. 192, contendunt melius esse missam applicari ab alio sacerdote præsente quam a parocho absente; sed hujus opinionis non apparet fundamentum: eadem enim videtur in utroque casu utilitas populi (quoad fructum medium) et fidelium assistentium

De jure communi nihil determinatum est de hora qua celebrari debeat missa pro populo, nihil etiam de ejus solemnitate, nihil de ea cantanda vel legenda; imo S. C. Rit. 27 Febr. 1847 et 22 Julii 1848 expresse declaravit non requiri missam solemnem. At jure particulari præscribi potest solemnitas quædam vel statui hora, et tunc cum præcepto juris communis concurrit alterum præceptum jure particulari introductum, uti de facto obtinet in diœcesi nostra (*Statuta*, Tit. II, art. V, § 2).

Hæc quæ diximus de lege ecclesiastica determinante obligationem parochorum in præsenti materia, accipienda sunt pro jure obligante Ecclesiam Occidentalem (1).

II. **Quanta sit obligatio.** Obligatio realis semper gravis est (2) innixa motivo justitiæ (3): unde omittere applicationem peccatum esset mortale, etiamsi ageretur de unica missa, et omissio, etiam involuntaria, sub gravi supplenda foret. Huic obligationi, quæ est quasi substantia præcepti, accedunt determinationes, quasi circumstantiæ, quæ non sunt dicendæ æque graves; nec umquam tenetur parochus restituere seu supplere propter omissas circumstantias, sed tantum quando ipsam rem seu missam applicandam omiserit. Ad has circumstantias, quas determinavit jus commune Ecclesiæ, servandas tenetur ex virtute obedientiæ, et obligatio dici debet gravis ex genere suo: np. ut celebret *per se,* non per alium, *die statuto* et non alio, et *in*

---

missæ (quoad fructum specialem); et ex alia parte pie credi potest Deum, ceteris paribus, facilius recepturum esse preces pastoris pro suis ovibus. Cfr. Gasparri, *l. cit.*, n. 530.

(1) Quoad easdem personas de ritu Orientali: cfr. S. C. de Prof. Fide 23 Martii 1863, et litt. encycl. ejusdem Congr. 8 Nov. 1882 ad delegatos apostolicos pro Oriente. Gasparri, *l. cit.*, n. 534.

(2) Lehmkuhl, *l. cit.*, n. 196, Génicot, *Theol. mor.*, T. II, n. 227, Berardi, *De Parocho,* n. 101.

(3) Quoad rem præceptam, non videtur addenda specialis obligatio obedientiæ, cum lex ecclesiastica tantum determinaverit obligationem justitiæ ex ipso officio pastorali oriundam.

*ecclesia parochiali.* Quandonam adesse censenda est materia gravis? Respondet P. Lehmkuhl, cui consentit P. Génicot, hisce verbis : « obligationem aliarum [præter realem] circumstantiarum *raro* omnino transgredi, non videtur grave peccatum ; aliud dicendum, si sæpius fit » (1). Severiorem se exhibet Berardi (2). Attenta mente Ecclesiæ, videtur dicendum minus urgendam esse circumstantiam loci, adeoque quoad illam minus facile materiam fieri gravem ; at strictius urgendas esse determinationes temporis et personæ ; has tamen una alterave vice negligere, non videtur mortalis culpa. — Longe facilius excusatur, a gravi saltem culpa, parochus negligens præscriptiones juris particularis, a quibus excusat quævis causa rationabilis (3). At aliunde potest, graviter etiam, lædere charitatem, onus celebrandi summum sacrum indebite in suum vicarium rejiciendo.

H. M.

---

(1) Lehmkuhl, *l. cit.* — Génicot, *l. cit.*

(2) *l. cit.*, n. 101.

(3) *Collat. Brug.*, T. I, p. 179 sq. — Sic usu et praxi tamquam sufficientes causæ habentur: præsentia presbyteri alieni, qui ad breve tempus in parochia moratur, honor deferendus neo-sacerdoti, incommodum corporale verum et non leve. De Brabandere-Van Coillie, *l. cit.*, n. 447, Van den Berghe, *l. cit.*, n. 116.

# Pensions de Vieillesse

## Allocation annuelle de 65 francs

Le Gouvernement, en vue d'obvier à une extension injustifiée de la loi du 10 Mai 1900, a complété certaines dispositions de l'arrêté royal du 20 octobre 1900, réglant l'attribution de l'allocation annuelle de 65 francs (1). Un arrêté royal du 25 juillet 1902 (2) apporte des modifications importantes à la procédure d'instruction établie par l'arrêté précité.

LÉOPOLD II, Roi des Belges,

A tous présents et à venir, **salut.**

Vu les articles 9, 10, 13, 2e alinéa et 14 de la loi du 10 Mai 1900; ainsi que Notre arrêté du 20 Octobre 1900;

Considérant que l'expérience a démontré qu'il y a lieu de compléter les dispositions de l'arrêté précité;

Sur la proposition de Nos Ministres de l'industrie et du travail et des finances et des travaux publics,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Art. 1er. Les articles 10, 2e alinéa, 11, 3e alinéa et 12 de Notre arrêté du 20 Octobre 1900 sont remplacés par les dispositions suivantes:

1° Art. 10, 2e alinéa: En ce qui concerne les décisions qui ont admis les demandes d'allocation, le gouverneur pourra, d'office interjeter appel; cet appel sera formé aussitôt qu'il sera possible et notifié sans délai à l'intéressé.

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, T. VI, p. 64 ss.; 426 ss.; 488 ss.; 537 ss.; 671 ss.; T. VII, p. 206 ss.; 406 ss.

(2) Voir *Moniteur Belge* du 30 Juillet 1902.

2° Art. 11, 3e alinéa: La commission statuera dans le mois de la date où elle aura été saisie de l'appel, après avoir pris les mesures d'instruction nécessaires; elle notifiera sa décision à l'intéressé et au gouverneur.

Cette décision ne sera susceptible d'aucun recours au profit de l'intéressé.

3° Art. 12: Les dossiers seront transmis par le gouverneur au ministre de l'industrie et du travail.

Le conseil des mines siégeant en comité de législation, d'administration générale et de contentieux administratif pourra, sur le rapport de l'Office du travail, annuler sans renvoi les décisions prises en faveur des personnes qui manifestement ne posséderaient pas toutes les conditions prévues à l'article premier.

Il pourra aussi, s'il le juge opportun, après avoir annulé une décision, renvoyer l'affaire devant un autre collège appartenant à la même catégorie que celui dont émane la décision annulée, la décision qui interviendra à la suite de ce renvoi sera susceptible des mêmes voies d'appel que la première, sauf qu'elle ne pourra plus être renvoyée devant un autre collège.

Les allocations définitivement accordées seront liquidées conformément à Notre arrêté du 13 Juin 1901.

Art. 2. Notre Ministre de l'industrie et du travail est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Ostende, le 25 Juillet 1902.

LÉOPOLD.

Par le roi:

*Le Ministre de l'industrie et du travail,*

Bon Surmont de Volsberghe.

*Le Ministre des finances et des travaux publics.*

P. de Smet de Naeyer.

## Observations:

1° La première modification concerne l'appel que le Gouverneur de la province peut interjeter d'office, *pour*

*défaut de la condition du besoin*. Dans la procédure d'instruction suivie jusqu'à présent, la décision favorable du Comité de patronage était en dernier ressort en ce qui concernait la question du besoin. Désormais le Gouverneur peut en appeler de la décision du Comité pour chacune des cinq conditions requises en vertu de l'art. 1er de l'A. R. du 20 Octobre 1900.

Il convient de remarquer en outre qu'auparavant, l'appel était ouvert au Gouverneur « pendant le mois de la réception des dossiers ». La disposition nouvelle ne mentionne aucun délai : « cet appel sera formé aussitôt qu'il sera possible ».

2° La seconde modification se rapporte aux décisions prises par les Commissions provinciales d'appel. Ces décisions étaient irrévocables et en dernier ressort. Désormais ces décisions ne sont susceptibles d'aucun recours *au profit de l'intéressé* qui n'aura pas été admis au bénéfice de l'allocation annuelle.

3° Toutefois, les décisions favorables prises par les Commissions provinciales d'appel, tout comme les décisions favorables émanées des Comités de patronage, peuvent être annulées ultérieurement, si elles concernent des personnes qui manifestement ne posséderaient pas *toutes* les conditions prévues à l'article 1er de l'A. R. du 20 Octobre 1902 susmentionné. Un nouveau comité est donc institué à cet effet par le présent arrêté : c'est le Conseil des mines, une administration qui se rattache au Ministère de l'industrie et du travail. Cependant l'annulation prononcée par ce Comité sera révocable au cas où la décision annulée est réformée par un Comité de patronage ou une Commission provinciale d'appel. Car le Conseil des mines peut, s'il le juge opportun, après avoir annulé une décision, renvoyer l'affaire devant un collège autre que celui qui a prononcé la décision, mais appartenant cependant à la même catégorie. La décision qui interviendra à la suite de ce renvoi sera susceptible des mêmes voies

d'appel que la première, d'après la nature du Collège dont elle émane. Néanmoins, si l'Office du travail appelle de cette nouvelle décision au Conseil des mines, et si celui-ci annule une seconde fois la décision favorable, cette sentence est irrévocable et en dernier ressort. Le présent arrêté estime, en effet, que les droits des requérants sont suffisamment sauvegardés dans la procédure nouvelle, et décrète que l'affaire « ne pourra plus être renvoyée devant un autre Collège » (1).

A. C.

---

(1) Voici quelques renseignements complémentaires donnés dans une *Circulaire* adressée par le Ministère de l'industrie et du travail *aux Gouverneurs :*

Bruxelles, le 30 juillet 1902.

MONSIEUR LE GOUVERNEUR,

J'ai l'honneur de vous faire parvenir des exemplaires de l'arrêté royal du 25 juillet 1902 modifiant celui du 20 octobre 1900, pris en exécution de la loi du 10 mai 1900 sur les pensions de vieillesse.

Dans une circulaire du 20 mai dernier, adressée aux présidents des comités de patronage et qui vous a été transmise, j'annonçais que si l'allocation de 65 francs était accordée ou maintenue à des catégories de personnes qui manifestement ne se trouvent pas dans le besoin, le Gouvernement prendrait des mesures en vue d'obvier à une extension injustifiée de la loi.

Afin d'assurer une application plus stricte et uniforme des arrêtés et instructions intervenus en exécution de la loi précitée, il a paru nécessaire, Monsieur le Gouverneur, d'augmenter vos attributions, en vous conférant le droit d'interjeter appel pour défaut de la condition relative au besoin ; en outre, une juridiction nouvelle est investie du pouvoir d'annuler au besoin les décisions contraires aux dispositions légales et réglementaires.

Votre administration aura donc à examiner désormais les demandes d'allocations de 65 francs, même en ce qui concerne les ressources et les charges des intéressés. Notamment, il pourrait y avoir lieu de contrôler les rapports des administrations communales, là où il aura été constaté que leurs avis auraient été trop généralement favorables aux impétrants.

Les dossiers des hospitalisés devront faire l'objet d'un examen spécial dans le sens de mes circulaires des 5 février et 20 mai 1902, dont vous trouverez ci-joints des exemplaires.

# Jurisprudence administrative

**Legs aux pauvres — Clause déterminant les membres d'une confrérie comme devant en bénéficier de préférence — réputée non écrite.**

Une personne avait légué aux pauvres de sa commune des objets d'une valeur de 765 frs environ, stipulant que cette somme devait être distribuée de préférence « aux pauvres femmes qui font partie de la confrérie de la Sainte-Famille ».

Un arrêté royal du 24 Mars 1901, autorise le Bureau de bienfaisance à accepter le dit legs ; quant à la clause de préférence, il dispose comme suit :

« En ce qui concerne la clause du testament précité aux termes de laquelle les secours dont la distribution est prescrite doivent être attribués de préférence aux femmes indigentes faisant partie de la confrérie de la Sainte-Famille :

Considérant qu'on ne peut reconnaître aux particuliers le droit de déterminer les catégories de personnes appelées à bénéficier, soit exclusivement, soit de préférence à toutes autres, de secours à distribuer par un établissement public que si la qualité de ces personnes est par elle-même une cause déterminante d'indigence ;

Considérant que, dès lors, la clause dont il s'agit doit être reputée non écrite par application de l'article 900 du Code civil, en tant qu'elle stipule le droit de préférence susdit en faveur de personnes appartenant à une confrérie ».

---

Les dossiers qui ont déjà été transmis à mon administration seront examinés par l'Office du Travail conformément à la nouvelle disposition de l'art. 12 de l'arrêté précité.

La présente circulaire est communiquée par mes soins aux commissions d'appel et aux comités de patronage.

Je vous serai obligé, Monsieur le Gouverneur, de bien vouloir la faire paraître dans le *Mémorial administratif*.

*Le Ministre,*
Bon Surmont de Volsberghe.

*
* *

**Bureau de bienfaisance et fabrique d'église. — Legs à une institution privée. — Nullité. — Assistance aux services religieux fondés. — Simple désir. — Réclamation des héritiers. — Transaction.**

Laeken, le 11 Décembre 1901.

LÉOPOLD II, Roi des Belges,

*A tous présents et à venir*; Salut.

Vu l'expédition, délivrée par le notaire Vuylsteke, de résidence à Courtrai, du testament olographe en date du 4 août 1899, par lequel M. Constant Claeys, ingénieur en la dite ville, a disposé notamment comme suit:

« Art. VI. A l'orphelinat des sœurs Verrue, chaussée d'Aelbeke lez-Courtrai, je lègue une somme de dix mille francs, dont les intérêts serviront à l'entretien d'orphelines, à la condition que chaque année les pensionnaires de cet établissement assisteront quatre fois à une messe à mon intention aux époques à déterminer par la supérieure de cet établissement.

« Art. VII. Dans les mêmes conditions qu'à l'article VI ci-dessus, je donne à l'hospice Saint-Joseph, à Courtrai (soit à l'hospice des vieillards), aussi une somme de dix mille francs, dont les intérêts serviront à l'entretien de vieilles personnes.

« Art. VIII. Au bureau de bienfaisance de la ville de Courtrai, je donne tout le restant de mon avoir, à la condition de faire célébrer annuellement en l'église paroissiale de Saint-Martin, à Courtrai, un service funèbre pour le repos de mon âme: ce service consistera en une messe chantée avec trois prêtres. Il sera, en même temps, fait une distribution de mille pains aux pauvres par les soins du bureau de bienfaisance. Le restant du revenu de la somme léguée servira au bien-être des pauvres, soit pour habillements d'hiver, soit autrement, d'après la décision du bureau de bienfaisance. »

Vu les délibérations, en date des 4 novembre 1899 et 4 février 1900, par lesquelles le bureau de bienfaisance de Courtrai et le bureau des marguilliers de l'église de Saint-Martin, en la même ville, sollicitent l'autorisation d'accepter les dispositions testamentaires précitées, chacun en ce qui le concerne, le dit bureau de bienfaisance demandant également à pouvoir accepter, en sa qualité d'administrateur spécial de l'hospice Saint-Joseph, à Courtrai, le legs de 10,000 francs, destiné à cet établissement;

Vu les réclamations, dirigées par les trois héritiers légaux du testateur ou en leur nom, contre l'acceptation du legs universel fait au bureau de bienfaisance de Courtrai;

Vu la délibération, en date du 2 septembre 1901, par laquelle le bureau de bienfaisance de Courtrai soumet à Notre approbation une convention transactionnelle, conclue le 8 août 1901 avec deux des dits héritiers légaux et le représentant du troisième, décédé, dans le but de « mettre fin aux contestations énoncées tant dans les déclarations actées dans l'inventaire que dans la réclamation des héritiers, du 27 novembre 1899 et à toutes les contestations, quelles qu'elles soient, nées ou à naître par suite des mesures prises par le bureau de bienfaisance en vertu de la disposition du testament de M. Claeys, l'instituant légataire universel ou par suite de l'acceptation du legs universel... »;

Vu les avis du conseil communal de Courtrai, de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial de la Flandre occidentale, en date des 4 décembre 1899, 23 mars, 17 septembre et 12 octobre 1900, 7 et 18 octobre 1901;

En ce qui concerne le legs de 10,000 francs, fait à l'orphelinat des sœurs Verrue, chaussée d'Aelbeke lez-Courtrai;

Considérant que cet établissement est une institution privée, ne jouissant pas de la personnification civile et

comme telle incapable de recevoir par testament; qu'en conséquence, le legs dont il s'agit est nul et accroît au legs universel en faveur du bureau de bienfaisance de Courtrai; (1)

Quant au legs de 10,000 francs, destiné à l'hospice Saint-Joseph, établissement pourvu de la personnification civile et représenté par le bureau de bienfaisance de Courtrai, administrateur spécial en vertu de l'acte de fondation du 2 février 1838 et de l'article additionnel de la loi du 30 juin 1859;

Considérant que le testateur soumet cette libéralité aux mêmes conditions que le legs à l'orphelinat des sœurs Verrue et que, d'après ces conditions, les pensionnaires de l'établissement légataire doivent assister quatre fois par an à une messe;

Considérant qu'une telle clause est contraire à l'article 15 de la Constitution, qui défend de contraindre n'importe qui à concourir aux actes et cérémonies d'un culte quelconque; qu'au surplus, étant dépourvue de sanction, elle ne peut être considérée que comme l'expression d'un simple désir; (2)

Vu les articles 900, 910, 937 et 2045 du Code civil, 59 du décret du 30 décembre 1809, 76-1°, 3° et paragraphes derniers de la loi communale, l'article additionnel de la loi du 3 juin 1859, ainsi que le tarif du diocèse de Bruges, approuvé par Nous le 22 février 1880;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

---

(1) Sur le sort des dispositions testamentaires au profit d'un établissement privé, dépourvu de la personnification civile, voir *Collationes Brugenses*, T. III, p. 49 ss. — *Het Vlaamsch Bestuur*, 1e jaar, bl. 149. — Cfr. Mgr Waffelaert, *De Justitia*, T. I, n. 551.

(2) Décision analogue relativement à une clause d'un acte de donation en vertu de laquelle certaines personnes devraient, un jour déterminé, aller prier sur la tombe de la famille du donateur. A. R. du 2 Août 1901. — De même quant à la clause stipulant la présence de délégations d'établissements hospitaliers au service anniversaire de la *de cujus*. A. R. 6 mai 1901.

*Nous avons arrêté et arrêtons :*

ARTICLE 1er. Sauf la restriction résultant de l'article suivant, le bureau de bienfaisance de Courtrai est autorisé à accepter le legs universel prémentionné, aux conditions prescrites et notamment à charge de payer chaque année à la fabrique de l'église de Saint-Martin, en la même ville, la somme de 27 fr. 75 c. pour l'exonération du service anniversaire fondé dans cette église.

ART. 2. La convention transactionnelle prémentionnée est approuvée.

ART. 3. La fabrique de l'église de Saint-Martin, à Courtrai, est autorisée à accepter la rente perpétuelle, qui devra lui être servie en vertu de l'article 1er ci-dessus.

ART. 4. Le bureau de bienfaisance de Courtrai est autorisé à accepter pour l'hospice Saint-Joseph, en cette ville, le legs contenu dans l'article VII du testament précité et ce aux conditions imposées, en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois.

Notre Ministre de la justice est chargé de l'exécution du présent arrêté.

LÉOPOLD.

Par le Roi :
*Le Ministre de la justice,*
J. VAN DEN HEUVEL.

***

**Fabrique d'église. — Legs.**

—

LÉOPOLD II, ROI DES BELGES,
*A tous présents et à venir,* SALUT.

Vu l'expédition, délivrée par le notaire Demaret, de résidence à Beaumont, du testament olographe, en date du 4 janvier 1900, par lequel Mme Adolphine François,

épouse de M. Arnold Arnould, propriétaire à Boussu-lez-Walcourt, dispose notamment comme suit :

« ... Je donne et lègue à ..... l'usufruit, sa vie durant, de tous les biens meubles et immeubles que je délaisserai à mon décès...;

« ... Je donne et lègue à la fabrique de l'église de Boussu-lez-Walcourt, tous mes autres biens immeubles non désignés ci-dessus, aux charges, conditions formelles que j'impose à la dite fabrique, savoir : la fabrique de l'église de Boussu-lez-Walcourt entretiendra convenablement à ses frais et à perpétuité la chapelle dédiée à Notre-Dame de Lourdes bâtie sur ma prairie située près de la place publique du dit Boussu, ainsi que le caveau et monument funéraire que j'ai fait élever au cimetière de notre commune à la mémoire des membres de ma famille et où je serai inhumée, et, en outre, de faire célébrer chaque année, à ses frais et à perpétuité, dans l'église du dit Boussu vingt messes chantées pour le repos de... mon âme et de celle de mon époux et pour le repos de l'âme de mes parents défunts. Si je fais à la fabrique de l'église du dit Boussu les dons et legs ci-dessus, c'est parce que je veux et entends que des messes soient célébrées à perpétuité pour moi et les miens et que ma chapelle précitée ainsi que le caveau et le monument funéraire de ma famille soient toujours et constamment bien entretenus et que je pense que personne autre que la dite fabrique ne remplira aussi bien qu'elle toutes mes intentions et mes volontés à cet égard... » ;

Vu la délibération en date du 23 janvier 1902, par laquelle le bureau des marguilliers de l'église de Boussu-lez-Walcourt sollicite l'autorisation d'accepter ce legs ;

Vu les avis du conseil communal de Boussu-lez-Walcourt, de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, en date des 25 et 30 janvier et 18 avril 1902 ;

Vu les pièces de l'instruction et le procès-verbal d'expertise, en date du 15 janvier 1902, d'où il résulte que le legs précité comprend les immeubles situés à Boussu-lez-Walcourt... d'une contenance totale de

31 hectares 62 ares 80 centiares et d'une valeur de 62,538 francs;

Vu les requêtes en date des 5 et 15 juillet 1901 par lesquelles des héritiers légaux de la testatrice réclament contre ce legs;

Considérant que l'importance du dit legs, la situation de fortune des réclamants et la proximité du degré de parenté qui les unit à la *de cujus* justifient une dérogation à la volonté de cette dernière; (1)

En ce qui concerne la clause en vertu de laquelle l'administration fabricienne avantagée est tenue d'entretenir à perpétuité la chapelle bâtie sur une propriété de la testatrice:

Considérant que l'observation de cette clause aurait pour effet d'attribuer un caractère perpétuel à un oratoire qui n'est ni une chapelle, dans le sens légal du mot, ni une annexe;

Que dès lors la dite clause ne peut être considérée que comme l'expression d'un simple désir; (2)

Vu les articles 900, 910 et 937 du Code civil, 59 du décret du 30 décembre 1809, 76-3° et paragraphes derniers de la loi communale, ainsi que le tarif du diocèse de Tournai, approuvé par Nous le 12 mars 1880;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

*Nous avons arrêté et arrêtons:*

Art. 1er. Les réclamations susvisées sont accueillies.

Art. 2. La fabrique de l'église de Boussu-lez-Walcourt est autorisée à accepter à concurrence d'un tiers le legs qui lui est fait, aux conditions imposées en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois. (3)

---

(1) Voir Mgr Waffelaert, *De Justitia*, T. I, n. 559, coll. n. 587.

(2) C'est une nouvelle application de la Jurisprudence libérale inaugurée par M. Bara. Voir la critique de cette jurisprudence dans *Collationes Brugenses*, T. III, p. 595 sv., et T. V, p. 524 *note*.

(3) La condition imposée d'entretenir un caveau et monument funéraire n'est pas rejetée, parce que dans l'espèce elle ne constitue qu'une charge accessoire d'un legs principal en faveur de la Fabrique. Voir *Collat. Brug.* T. I, p. 564 svv. — *Revue cathol. de droit*, T. II, p. 83.

Notre Ministre de la justice est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Ostende, le 23 juin 1902.

LÉOPOLD.

Par le Roi :

*Le Ministre de la Justice,*

J. VAN DEN HEUVEL.

# Fabriques d'église

Les conseils de fabrique sont tenus de se réunir en séance ordinaire, le Dimanche 5 Octobre prochain (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809).

Rappelons aux marguilliers et spécialement au trésorier, qu'ils sont obligés, en vertu de l'art. 41 du décret cité, de visiter, au commencement de l'automne, les bâtiments affectés au service du culte et de pourvoir aux réparations urgentes. Voir *Collationes* T. IV, p. 483, T. VI, p. 148.

# Ex S. Congr. Indulgentiarum

I

**Conceditur sanatio pro erectione invalida Stationum Viæ Crucis, a die 7 April. 1894 usque in præsens.**

*Beatissime Pater,*

Frater Petrus ab Arce Papæ Procurator Glis Ordinis Minorum, prævio S. Pedis osculo, exponit quod anno 1894 sub die 7 Aprilis S. Congr. Indulgentiarum benigne sanavit omnes defectus ubique locorum incursos in erectione Viæ Crucis Stationum.

Cum autem non obstantibus divulgatis opellis modum erigendi Viam Crucis respicientibus, hic illic non omnia

observata fuerunt ad validitatem erectionis requisita, ne fideles absque eorum culpa Indulgentiis pio Exercitio adnexis priventur, humilis Orator humiliter expostulat a Sanctitate Tua, quatenus omnes Viæ Crucis erectiones a die 7 Aprilis 1894 hucusque ubique locorum ob quoscumque defectus invalide factas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 27 Mai 1901.

S. Card. CRETONI, *Præf.*
† Franciscus Sogaro, Archiep. Amid., *Secr.*

II

**Conceditur Indulg. recitantibus jaculatoriam: N. Domina Lapurdensis, ora pro nobis.**

LEO PP. XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Oblatis Nobis ab Antistite Tarbien. precibus benigne annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. ejus auctoritate confisi per præsentes omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui quolibet anni die piam invocationem *Nostra Domina Lapurdensis, ora pro nobis* contrito saltèm corde ac devote recitent, in forma Ecclesiæ solita de numero dierum pœnalium centum expungimus, atque insuper iis largimur hac partiali indulgentia liceat, si malint, functorum vita labes pœnasque expiare.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus vero ut harum litterarum authenticum exemplar tradatur ad Congregationem Indulgentiis sacrisque reliquiis præpositam, utque præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo, personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem

prorsus fides adhibeatur quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV Junii MDCCCCII Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quinto.

Pro. Dno Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

Præsentium litterarum authenticum exemplar traditum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam.

In quorum fidem....

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 28 Junii 1902.

L. ✠ S.

JOS M. Cancus COSELLI, *Substitutus.*

# Consultationes.

## I

Q. In diœcesi Brugensi gaudent confessarii facultate absolvendi a casibus quibuslibet Episcopo vel Romano Pontifici reservatis et a censuris annexis, in gratiam:

1°/ « Pœnitentium qui cupiunt ad sacram mensam accedere, die qua *congregatio* aut *sodalitas*, cujus sunt membra, *communionem generalem* instituit »;

2°/ « Alumnorum vel alumnarum *collegiorum* aut *convictuum,* qui *in corpore* ad S. Synaxim accedere solent, etiamsi forte extra sacellum domus confiteantur ». *Libellus*, p. 22.

Quæritur autem utrum confessarii hac eadem facultate polleant in favorem 1°/ alumnorum vel alumnarum *scholarum dominicalium,* die qua, statuta hora, communionem generalem instituant oportet; 2°/ in favorem *pupillorum orphanotrophii* qui in corpore ad S. Synaxim accedere solent.

**Respondetur.**

Utrumque dubium censemus in partem affirmativam esse solvendum, ac opinamur pœnitentes de quibus quæritur comprehendi sub allata duplici facultate absolvendi a reservatis. Reverà

A/ Generalis (1) facultas a censuris et peccatis reservatis absolvendi, quemadmodum facultas dispensandi, est *latè* interpretanda, ac proinde verba concessionis non sunt stricto sensu sumenda.

Porro licet forsan sub nomine *sodalitatis* pressius loquendo non veniat schola dominicalis, nulla tamen vis est facienda verbis ut sodalitatis nomen ipsi conveniat et meritò tribuatur. Sodalis namque, unde sodalitas derivatur, apud Forcellini, *Lexicon,* dicitur « qui rerum leviorum lætiorumque particeps est, ut convivii, studiorum, venationis... ». A fortiori id valet pro orphanotrophio, quod optimo jure dicetur *convictus* seu locus in quo plures simul vivunt; nec difficultatem facit vox « *alumni* », cum nativo suo sensu perfecte applicetur pupillis in orphanotrophio alitis et educatis.

Cæterum ipse modus loquendi Episcopi ostendit ipsum amplam intendere concessionem, siquidem in utroque tenore, præter vocem « congregatio, collegium », quæ magis determinatæ et arctioris sunt significationis, consulto videtur addidisse vocem largioris et magis indeterminati sensus, « sodalitas nempe et convictus ».

B/ Accedit quod, uti ipse suggerit consulens, eadem ratio militet pro schola dominicali communionem gene-

---

(1) Contendit consulens facultatem, de qua in dubio proposito, esse strictæ interpretationis; sed forsan non sufficienter attendit distinctionem, quam faciunt canonistæ passim, inter facultatem absolvendi vel dispensandi *generalem*, pro casibus et personis indeterminatis, et mandatum aliquod *particulare* absolvendi vel dispensandi in casu determinato et individuo. In altero nempe casu, non autem in priori, strictam adhibendam esse docent interpretationem. Confer, inter plures, Putzer, *Comment. in Facultates Apostol.*, nº 5-8; Zitelli, *De Dispensationibus matrimon.*, p. 52-54.

ralem instituente quæ pro stricte dicta congregatione. Nimirum, uti jam notavimus, apud *Collat.*, VI, p. 336, « scopus concessionis fuit ut membra sodalitatis, defectu jurisdictionis confessarii, non impediantur a communione generali cum sodalibus instituenda, et ita periculo exponantur infamiæ incurrendæ vel communionis sacrilege peragendæ ». Jamvero hæc ratio applicatur integra cuicumque communioni generali instituendæ a membris ejusdem corporis moralis, cujuscumque indolis ac naturæ illud esse contingat.

Plane idem est scopus alterius concessionis ab Episcopo factæ in gratiam alumnorum collegii, qui in corpore ad S. Synaxim accedere solent; ac simul liquet, dicto attento fine, paris conditionis esse pupillos orphanotrophii, in quo mos est in corpore communicare.

Non ignoramus monitum Auctorum ob identitatem rationis imprudenter passim extendi privilegium vel facultatem ultra casus in tenore relatos; sed, uti vidimus sub 1°, interpretatio proposita non excedit limites interpretationis *comprehensivæ*, inter quos limites meritò invocatur rationis paritas ad determinandum facultatis vel privilegii sensum et extensionem.

A. D. S.

II

Q. Titius vicepastor advocatur apud moribundum catholicum, qui suicidium attentavit, quemque reperit sensibus plane destitutum. Illum conditionate absolvit cique sacramentum Extremæ Unctionis administrat sub conditione « si es dispositus ». Quæritur an et quare recte egerit Titius?

**Respondetur.**

1° Quod spectat **absolutionem**: Regulariter possunt absolvi hujusmodi moribundi, etiamsi nullum pœnitentiæ signum dederint, imo in ipso peccati actu corruerint. Licet namque dolorosa confessio externa videatur

ad ipsam sacramenti constitutionem pertinere, non potest cum certitudine dici quod in infirmo sensibus destituto prorsus nulla præsto sit externa manifestatio, licet forte non percepta, contritæ confessionis.

Etenim « præsumi potest illos interne mentis compotes (esse) saltem per aliquod intervallum (et) habere vel habuisse contritionem et voluntatem confitendi, quam etiam (externe) significare voluerint aut nunc velint motu aliquo corporis, suspiriis, anxia respiratione etc.... (1) » Sufficit autem aliqua probabilitas de valore sacramenti, ut, attenta suprema necessitate in qua versatur moribundus, conferri possit absolutio, non obstante periculo nullitatis cui exponitur. Sacramenta enim sunt propter homines, et in extremis extrema sunt tendanda.

Absolvere debet sacerdos *sub conditione*, saltem mente concepta, « si capax es », ut protestetur se nolle sacramentum administrare, si contingat illud nulliter suscipi.

2°/ Quoad **Extremam Unctionem:**

a/ *Regulariter* non est deneganda Extrema Unctio hujusmodi moribundis, licet in ipso peccati actu sint sensibus destituti. Uti enim modò diximus, optime fieri potest ut interne ratione utantur, et ut, in limine æternitatis positi, ad meliorem frugem redierint et actum attritionis elicuerint; quæ dispositio sufficit ut hoc sacramentum fructuose suscipiatur et salutares suos fructus operetur.

Monet quidem Rit. Rom., Tit. V, cap. 1°, n. 80. « Impœnitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur » penitus esse denegandam Extremam Unctionem; sed loquitur de illis qui inungi pertinaciter

(1) Bucceroni, in commentario, *De Moribundorum absolutione*, n. 12, scribit: « Ego ipse dum hunc commentarium conficerem, morti proximus indifferentia illa signa interne ordinabam ad exteriorem manifestationem interioris doloris et desiderii confessionis et absolutionis, pluribus fratribus meis sacerdotibus præsentibus, qui tamen illa non advertebant ».

renuerint vel qui in ipso mortis agone in peccando perseverent.

Dicitur: *regulariter*, quia ratio est habenda scandali et offensionis populi, ob quam vitandam interdum esset abstinendum ab administratione, saltem publica, Extremæ Unctionis.

b) Minus laudabiliter se gessit Titius vicepastor in addenda conditione: « si es dispositus ».

Intelligitur sane appositio conditionis in casu dubii circa præsentiam conditionis *ad valorem* necessariæ, puta si dubitatur num adhuc vivat inungendus, vel, pro amente, num aliquando usum rationis habuerit. Atvero aliud est quando, validitate sacramenti in tuto posita, de *sola fructuositate* ambigitur, ut in casu proposito (1); bona namque dispositio subjecti, in hoc sacramento, secus ac in Pœnitentia, ad solam fructuositatem requiritur, et ad illius dispositionis præsentiam imprudenter alligaret minister suam intentionem conferendi sacramentum.

Revera sacramentum Extremæ Unctionis, validè et infructuose collatum, reviviscit, obice remoto, ac proinde moribundus qui valide inungitur non attritus de mortalibus, semper potest, eadem in infirmitate, fructum sacramentalem consequi statim ac ad attritionem pertingit. Porro, collato sacramento sub conditione « si es dispositus », via præcluditur ad illam salutarem sacramenti reviviscentiam, a qua potest pendere salus æterna; cum hoc modo inunctus, si momento quo sacramentum confertur indispositus existit, sacramentum susceperit invalidum, adeoque ad omnem reviviscentiam ineptum.

A. D. S.

---

(1) De solo defectu intentionis recipiendi sacramentum, quæ ad validam susceptionem requiritur, posset esse dubium; quod dubium passim negligi potest, cum sufficiat intentio habitualis implicita, quæ sufficienter continetur in professione vitæ christianæ, adeoque merito supponitur in infirmo catholico, donec certis rationibus in contrarium præsumptio elidatur.

III

Q. In nostris regionibus frequenter contingit operarios, melioris fortunæ spe allectos, oras petere transmarinas et signanter in Americam transmeare. Quæritur autem quomodo sint tractandæ hujusmodi personæ, quando ad confessionem accedunt profecturæ, notatim si agitur

1°/ de filiis-familias qui migrare intendunt, invitis licet parentibus;

2°/ de conjugatis qui discedunt relictis prolibus et uxore, eaque non rarò prorsus renitente.

R. *Ad I*m. Quoad **filios-familias**.

Profecto illicite agunt et mortaliter peccant contra obedientiam *minorennes*, qui, in re tam gravi, formali parentum voluntati resistere non verentur.

In hisce namque quæ pertinent ad disciplinam vitæ et curam domesticam, uti docet S. Thomas, 2a 2ae, qu. 10, art. 5, filius tenetur obedire patri quamdiu sub potestate paterna manet.

*Majorennes* vero adeoque sui juris effecti, possunt, salva obedientia, a parentibus quantunvis invitis ad exteras regiones discedere; sed reverentia auctoribus vitæ debita exigit ut hoc non fiat nisi prævie petito illorum consilio, utque a cœptis desistant coram *justa* parentum oppositione.

Porro justa erit parentum oppositio quotiescumque vident filios, nulla cogente necessitate, inconsideranter patriam deserere, incertam fortunam prosequentes, animam et corpus continuis periculis exponentes.

*Ad IIm*. Quoad **conjugatos**:

1° *Consentiente comparte*, possent discedere *ad tempus*, saltem si aliunde sustentationi uxoris et prolium sufficienter providetur. Dicitur *ad tempus*, quia si intenderet vir, uxore relicta, in Americam abire ibidemque *perpetuo* manere, recessus æquivaleret separationi a toro et cohabitatione, ad quam nequit procedi nisi

proportionata de causa canonica et prævie obtenta licentia Episcopi. Cf. *Collat.*, I, p. 633 et seq.

2°/ *Invita comparte*, id non liceret. Non requiritur quidem consensus uxoris ad quamcumque viri absentiam, puta causa officii vel commercii instituendam. Atvero hujusmodi absentia supponitur relative brevis, dum in casu de quo quæritur sermo fit de absentia passim diuturna et per plures annos protrahenda, adeo ut, illæsis juribus matrimonialibus, adeoque absque uxoris consensu, institui nequeat.

Excipe casum quo urgenti omnino necessitate cogetur maritus ad patriam deserendam, v. gr. ad magnam infamiam effugiendam quam apud concives incurrerit, vel ad victum procurandum pro numerosa familia, quam in propria regione sustentare nullatenus valeat.

Atvero, in hujusmodi adjunctis, potius uxor esset obliganda ad virum sequendum, si absque nimio incommodo hoc fieri potest. (1)

**Nota.** En principia juxta quæ casus propositus videtur solvendus, sedulò tamen attenta et prudenter applicata regula servanda circa bonam fidem, in qua regularitur sunt relinquendi pœnitentes si monitio prævidetur nociva vel non profutura.

A. D. S.

## IV

Q. Titia pœnitens confessario dolens exponit se carnaliter esse conversatam cum Titio conjugato, qui, ardenti ipsam ducendi desiderio abreptus, propriæ

(1) Juxta articulum 214 Cod. Civ. : « La femme est obligée d'habiter avec le mari, et de le suivre partout où il juge à propos de résider : le mari est obligé de la recevoir et de lui fournir tout ce qui est nécessaire pour les besoins de la vie, selon ses facultés et son état ». Quæ legis dispositio videtur applicanda etiam casui quo vir in alienam regionem recedere intendat, siquidem proposita clausula, hanc hypothesim excipiens, a legislatore fuit consultò rejecta. Supponitur tamen quod mulier virum suum convenienter possit sequi, ibique honestam pro suo statu ducere vitam.

uxoris mortem machinavit. Anxius autem hæret confessarius utrum Titia, ratione dicti adulterii, obnoxia sit casui in diœcesi Brugensi reservato.

**Respondetur.**

Adulterium, in diœcesi Brugensi, juxta novissimam disciplinam inde ab anno 1899 vigentem, duplici ratione reservatur: a « quoties est *impedimentum criminis* dirimens matrimonium »; et b « quando constituit adulterium *concubinarium*, sive adulterantes eamdem sive diversam domum inhabitent ».

Proinde 1° inquirendum est utrum luxioriosa Titiæ cum Titio conversatio non importet, attentis principiis apud *Collationes*, IV, pp. 27 et seq. propositis, *concubinatum*, seu modum vivendi maritaliter et uxorio modo: quo casu reservationi foret obnoxia Titia pœnitens ex capite adulterii concubinarii.

2°. Qua seposita hypothesi, videndum est utrum non sit locus reservationi ex eo quod adulterium constituat *impedimentum criminis*. Ad hoc autem postulatur ut adulterio accedat sive matrimonii promissio vel attentatio sive conjugicidium alterutro machinante.

Porro relicta hypothesi promissionis vel attentationis matrimonii, de quibus tacent exposita, patet in casu impedimentum oriri ex adulterio conjuncto cum uxoricidio a Titio patrato.

Ad hoc autem ut Titia ex hoc capite incurrat reservationem, oportet ut vel in ipso conjugicidio existiterit complex (et tunc reservationi esset obnoxia etiam ratione homicidii, utpote quod in diœcesi nostra Brugensi pariter inter casus reservatos numeratur); vel ut, *tempore quo adulterium admiserit*, futuræ *machinationis Titii fuerit saltem conscia*.

Quod, seposita omni positiva in mortem inferendam cooperatione, requiratur hæc altera conditio, ex principiis generalibus in materia Reservationis liquet. Reservatio namque non est adnexa adulterio Titiæ nisi in quantum conjungitur cum conjugicidio a Titio

adulterii complice patrato. Jamvero ut reservatio alicui delicto adnexa incurratur, non satis est ut elementa, ad casum reservatum requisita, adsint *objective et materialiter*, sed opus est ut a delinquente peccatum sit admissum *formaliter tale quale reservatur*, adeoque non sufficit in casu conjunctio *materialis* adulterii Titiæ cum uxoricidio Titii, sed requiritur conjunctio, ut ita dicam, *formalis*, supposita scilicet penes Titiam adulterantem scientia circa machinationem futuram Titii.

Porro notetur a reservatione non excusare ignorantiam legis irritantis matrimonium inter hujusmodi reos contrahendum, quia impedimentum criminis, juxta communem Auctorum sententiam et S. Sedis praxim afficit etiam ignorantes. Cujus ultimi asserti ratio est quod hoc impedimentum matrimonii dirimens est quidem ab Ecclesia inductum in pœnam et vindictam delicti, sed simul, imo principaliter, in bonum commune et conjugum tutelam. Cf. Van den Berghe, *De Legibus*, n. 139; Feye, *De Impedimentis Matrimonii*, n. 456; De Becker, *De Sponsal. et Matrim.*, p. 164-165; Theol. Mechl., *De Matrimonio*, n. 81, collato n. 66, et alios multos, qui ibidem citantur, Auctores.

A. D. S.

# Libri dijudicantur.

**De Eigendom volgens het goddelijk en volgens het menschelijk recht** door FRANS DRYVERS, pr. (La propriété d'après le droit divin et le droit civil) — 1 vol. in-12 de 267 pp. Werchter, P. Dryvers et fils 1901, Prix 2 fr.

Mettre en lumière les fondements sur lesquels repose la propriété individuelle, la considérer d'abord en dehors de l'état social, montrer que le droit de la propriété

individuelle est ancré dans la nature humaine et partant un droit naturel; indiquer ensuite les normes et limites que l'autorité légitime peut et doit lui tracer dans la société, telle est la tâche que l'auteur s'est proposée dans le travail que nous présentons au lecteur. Cette tâche n'était certe pas facile, étant donné le caractère abstrait de la doctrine fondamentale sur le droit de propriété et la multiplicité des questions complexes et brûlantes que l'application de cette doctrine soulève dans la pratique. Nous avons hâte cependant de dire à l'honneur de M. Dryvers qu'il a consciencieusement rempli le programme qu'il s'était tracé. Son étude est scientifique: l'auteur part toujours de principes préalablement établis auxquels il rattache les déductions et les applications relatives à la nature du domaine, aux relations entre le travail et le capital, au développement de la petite propriété paysanne, à la fixation du juste salaire, au travail des femmes et des enfants, au repos dominical, aux associations professionnelles, à l'assurance contre les accidents et l'invalidité, au chômage, à l'assistance et à la bienfaisance etc. On peut voir, à cette simple énumération que M. Dryvers affronte les questions les plus vitales et les plus difficiles qui se débattent aujourd'hui sur le terrain économique et social. Quoique toutes les opinions émises ne s'imposent pas à l'assentiment du lecteur, elles sont en général proposées avec netteté et discutées avec méthode. On sent percer dans tout l'ouvrage le très louable désir de contribuer à l'amélioration de la condition morale et matérielle des populations ouvrières. Aussi le style, toujours simple et clair, est chaud et coloré.

Il nous est impossible d'examiner en détail certaines solutions proposées par l'auteur à plusieurs questions d'ailleurs librement controversées. Voici cependant quelques observations de détail.

La réfutation du collectivisme aurait été plus avantageusement exposée dans la première partie de l'étude.

On ne peut, en effet, justifier pleinement le droit de propriété *privée en droit naturel,* qu'en prouvant la *nécessité* même de la propriété *privée*, individuelle, dans l'état présent de l'humanité (1). — Il est regrettable aussi que l'auteur n'ait pas défini et précisé davantage le collectivisme (p. 66 ss.), car à certains endroits le problème s'élargit outre mesure, au point que des institutions essentielles et des services inhérents à toute société bien constituée semblent être des fonctions du collectivisme économique (p. 72 ss.) — Incidemment (p. 71) M. Dryvers énonce une loi générale en vertu de laquelle il existerait, dans le système économique actuel, une corrélation quasi parfaite entre le développement de la population et les moyens d'existence (2).

Enoncée en termes aussi généraux, cette loi démographique prête le flanc à bien des critiques. Nous sommes loin de nier l'influence des conditions économiques sur les mouvements de la population, mais l'élément économique n'est pas le seul qui doive entrer en ligne de compte ici : le facteur moral est d'une importance capitale dans l'espèce. Pour ne citer qu'un seul exemple, il serait bien malaisé de démontrer que la baisse persistante de la natalité en France est due à des circonstances économiques mauvaises ! Les moyens d'existence y sont si peu précaires qu'elles provoquent chez les populations environnantes un mouvement incessant d'immigration. Il faut d'ailleurs se méfier des données de la science statistique qui est encore à ses débuts. Les moyennes qu'elle fournit sont si souvent trompeuses et ne permettent généralement pas d'observer et de mesurer l'influence de multiples causes accidentelles qui agissent dans un milieu donné. La

---

(1) Voir *Exposé sommaire des principes généraux de la Science Sociale* par S. G. Mgr Waffelaert, Bruges 1894, p. 133 ss.

(2) « In het huidige stelsel is er altijd ten naaste bij verhouding tusschen het getal geboorten en de bestaanmiddelen ».

présente observation s'applique au même titre à la statistique que publie l'auteur (p. 146) concernant la mortalité à Bruxelles en 1894 : la différence considérable qu'accuse le chiffre des décès dans les quartiers pauvres et les quartiers aisés de la ville, ne tient pas seulement à la différence des conditions de logement. Nous admettons que l'insalubrité et la mauvaise hygiène de l'habitation peuvent exercer une influence considérable sur la mortalité : mais la simple statistique est un instrument grossier et dangereux qui ne permet pas de démêler la part d'influence qui, incontestablement, revient à d'autres causes.

M. Dryvers porte un jugement trop sévère sur la loi belge du 10 Mai 1900 concernant les pensions de vieillesse, eu égard surtout à l'extrême complexité du problème, que nul autre Etat d'ailleurs, n'a, jusqu'à présent, résolu d'une manière aussi satisfaisante. Certes, comme toute institution humaine, la loi sur les pensions de vieillesse n'est point parfaite, et il n'est pas douteux, qu'instruit par l'expérience, le législateur n'y apporte certaines modifications utiles et désirables. Toutefois, ce n'est pas une loi injuste : du moins l'argumentation de M. Dryvers sur ce point ne nous a pas convaincu (1).

---

(1) Pour prouver l'injustice de la loi, M. Dryvers allègue 1° que la loi, par le système des primes d'encouragement, favorise davantage ceux qui se trouvent le moins dans le besoin — ce qu'il tâche de faire ressortir par quelques exemples : 2° que les bourgeois riches peuvent bénéficier des primes allouées par les pouvoirs publics, à condition qu'ils s'affilient à une société mutualiste reconnue. — Nous n'entreprendrons pas ici de justifier longuement les dispositions légales. Toutefois nous ferons remarquer 1° que M. Dryvers semble supposer à tort dans les exemples allégués que les parents pauvres doivent opérer des versements considérables pendant les années où de lourdes charges de famille pèsent sur eux : la pension peut être constituée en partie dès la plus tendre enfance par des versements minimes, régulièrement continués dans la suite. Les personnes visées par l'auteur se trouvent dans des situations exceptionnelles et anormales : elles ne peuvent, il est vrai, que bénéficier dans une faible mesure des faveurs du régime normal de la loi. Ce sont là des

Observons en terminant, que l'auteur est trop sobre en fait d'indications et de références bibliographiques. Notamment, il lui aurait été facile de s'appuyer, bien plus fréquemment qu'il ne l'a fait, sur l'autorité de l'Encyclique Rerum Novarum, autorité si précieuse dans ces problèmes épineux.

---

anomalies inhérentes à l'introduction soudaine de dispositions aussi générales que celles qui nous occupent. Aussi, pour apprécier avec justesse et équité la loi en question, il faut faire abstraction de ces anomalies que la loi la plus parfaite ne pourrait d'ailleurs faire disparaître complètement. Le législateur, au surplus pour remédier dans une certaine mesure à ces inégalités, a institué un régime transitoire (art. 8 et ss) en faveur des personnes d'âge avancé qui ne pourraient bénéficier qu'imparfaitement des faveurs du régime normal. Nous ne voulons point prétendre, que, dans l'espèce, les dispositions transitoires se rapprochent, autant que faire se peut, des règles de la justice distributive ; nous osons même espérer que des améliorations seront apportées au régime actuellement en vigueur. Cependant, il serait impossible de trouver une formule répartissant les subsides légaux avec une exactitude mathématique. — 2° Il est vrai que ce ne sont pas seulement les ouvriers proprement dits qui sont appelés à bénéficier de la loi ; l'Etat accorde sa sollicitude et son appui financier, en vue d'assurer le pain de leurs vieux jours, à ceux qui, vivant en général de leur travail, doivent faire des efforts quotidiens pour subvenir à leurs besoins et à ceux de leur famille, qu'ils s'appellent ouvriers, domestiques, artisans, boutiquiers, cultivateurs, petits employés etc. : n'est-ce pas d'ailleurs, dans ces catégories que se recrute, lorsque le moment de la vieillesse ou de l'incapacité est venu, le plus fort contingent des nécessiteux qui tombent à la charge de la bienfaisance publique ? (Voir *exposé des motifs* de la loi, p. 7). Ce système vaut infiniment mieux que la classification professionnelle, qui, dans nombre de cas, aurait abouti à des inégalités choquantes. La loi admet, il est vrai, au bénéfice des primes, les membres des mutualités reconnues, quelle que soit leur situation de fortune, et certes, sur ce point, les abus sont possibles. Cependant, étant donné le contrôle de l'opinion publique, et l'esprit d'équité qui anime les mutualités, ils seront peu nombreux et seront d'ailleurs compensés par les avantages du système adopté.

M. Dryvers estime d'autre part que le système de la liberté subsidiée sera inefficace et que bien des travailleurs ne s'affilieront pas. Toujours est-il que les résultats acquis sont très encourageants. Avant de préconiser avec l'auteur le système de l'affiliation obligatoire, nous aimerions mieux faire ressortir la nécessité de l'éducation populaire de la prévoyance, pour tirer du système de la liberté subsidiée, tous les avantages qu'il peut procurer. Le tempérament national belge ne s'accommoderait d'ailleurs pas aisément du régime obligatoire proposé par M. Dryvers, et ce régime se heurterait, dans la pratique, à de réelles difficultés.

Somme toute, les réserves que nous venons de faire et quelques autres qu'on y pourrait ajouter, n'empêchent pas l'étude publiée par M. Dryvers d'être une œuvre excellente, à conseiller à tous ceux qui s'intéressent aux études sociales sérieuses. Personne ne lira l'ouvrage sans acquérir des vues nouvelles au sujet des importantes questions économiques et sociales du temps présent, et sans se sentir plus disposé à coopérer, dans la mesure de ses forces, à leur solution.

A. C.

*
* *

**Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum** illustravit J. A. Van Steenkiste, 4ª editio; 4 tomi in 8° cum paginatione continua (pp. 1860), Brugis, ap. C. Beyaert, 1903 — pretium 20 fr.

Quartam jam edit operis sui editionem eruditissimus auctor, qui annis 1862-1882 S. Scripturam in Seminario Brugensi interpretatus est, et merito eam vocat haud parum adauctam, quum habeat densiorem textum et 120 paginis sit tertia editione extensior.

In præfatione (pp. 5-18) quam scripsit *festo die S. Amandi 6 Februarii 1903* suam methodum ipse describit: mens ei non fuit « nudum conscribere commentarium.... Sed aurifodinam spiritualem sacerdotibus suppeditare. Etenim non solum continuam persecuti sumus explicationem Evangelii secundum Matthæum, sed data opportunitate varias annexuimus disputationes scripturisticas, plurimasque conclusiones morales et accomodationes homiliticas. »

Pluribus videbitur introductio (pp. 19-58) insufficienter retractata et hodiernis controversiis adaptata. Utile tamen videtur breviter exponere conclusiones auctoris relate ad quæstiones criticas. Indagando quomodo tres synoptici (Mt. Mc. Luc.) ad invicem se habeant, varias refert sententias: Marcum abbreviasse

Mattheum, Lucam autem utroque usum esse; tres evangelistas independenter ab invicem adhibuisse aliquod evangelium primitivum, nunc deperditum; eos ex traditione orali hausisse; ipse vero primam et tertiam conjungit sententiam. Adstruit deinde authentiam evangelii eamque contra varias objectiones defendit; Matthæus scripsit suum opus aramaice probabilius ante annum 42 pro judæo-Christianis Palæstinensibus, quod opus circa annum 67 in linguam græcam translatum fuit. Mirum videri potest auctorem nullam mentionem facere cujusdam objectionis quæ communiter affertur contra authentiam: videtur enim non Marcum excripsisse Matthæum, sed e converso primum evangelium hausisse tum a Marco tum ab aliquo evangelio deperdito; non pauci, etiam catholici respondent Matthæum esse auctorem hujus scripti deperditi, consequenter vero et partialiter nostri primi evangelii (v. g. Ill^mus^ Battifol, *Six leçons sur les Évangiles,* 1899).

In 3^a^ editione tædium aliquando ingerere poterat multiplicitas adnotationum moralium vel archæologicarum, recapitulationum, omnigenorum excursuum, ceteroquin valde utilium. Huic defectui triplex et optimum quidem remedium nunc apposuit auctor: omnes dissertationes ad calcem commentarii, in tomo tertio remisit, plurimas adnotationes secundarias minoribus characteribus imprimi fecit, verba tandem præcipua crassioribus litteris excudi curavit, ita ut primo intuitu videat lector festinus quid omittere possit, ubi quærere debeat.

Ad ipsam rem quod attinet, paucæ tantum nobis occurrerunt differentiæ, utramque tamen editionem ex integro conferre non potuimus. P. 109 quartam refert hypothesim quam non penitus rejicit: stella quæ Magis apparuit antea jam existebat sed nunquam visa fuerat, subito refulsit per aliquod tempus et deinde extincta fuit. P. 704 mutavit sententiam et jam tenet cum Knabenbauer scribam ex animo hostili posuisse quæstionem: *quod est mandatum magnum* (Matth. XXII, 36).

Pariter p. 729, derelicta opinione S. Hier. et aliorum, cum eodem Knabenbauer æstimat Christum Matth. XVIII, 37, *quoties volui congregare,* etc., loqui de propriis suis conatibus pro conversione Judæorum et proinde Jesu divinitatem ex hoc textu demonstrari non posse. P. 849 interpretationem communiorem Luc. XXII, 32: *et tu aliquando conversus*, etc., quam in 3ª editione mere proposuerat, nunc variis et solidis argumentis demonstrat. Olim dubitabat auctor utrum necne admittenda esset traditio nonnullorum Patrum Adamum in Calvariæ loco sepultum esse; nunc autem p. 1575 dubio feliciter deposito, negativam amplectitur sententiam.

Ardua agitatur quæstio quomodo componendi sunt textus Evangelistarum ubi contradictiones adesse videntur. Verbi gratia Matth. X, 10 *neque virgam;* Mc. VI, 8 *nisi virga tantum*. Auctor (p. 367) rejicit sententiam Beelen qui Matthæum ita intelligit: *neque baculum alterum*, et optime difficultatem solvit dicendo sensum generalem utriusque textus eumdem esse, scil. Apostoli in paupertate officium perficiant, licet fatendum sit Christum non sub hac forma generali proposuisse sententiam suam, sed sub forma prout vel apud Mt. vel apud Mc. occurrit. Nonne eamdem methodum adhibere potuit in historia negationis Petri? Propter minutam quamdam differentiam textuum, auctor (p. 941 sqq.) statim duplicat factum et sic octo negationes admittit; tamen Christus Petro dixerat: *Ter me negabis* et unusquisque ex Evangelistis nonnisi tres refert negationes. Existimamus scriptores inspiratos voluisse docere Petrum ter negasse sicut Christus prædixerat, non vero hanc vel illam negationem ancillæ vel servo vel militi vel pluribus directam esse.

Tomo III, (pp. 1301-1628) continentur varii appendices: I. Jesus tamquam homo consideratus, quod attinet ad corporis formam et vulgarem vitæ rationem; II. Testimonia antiquitatis profanæ: III. Tabula syno-

ptica: IV. 55 dissertationes et excursus scripturistici; V. de mensuris etc. Tomus IV tandem (pp. 1629-1860) exhibet 14 indices varios qui certe in opere tam prolixo et omnigenis adnotationibus referto utilissimi erunt. Specialem mentionem meretur index 13us (pp. 1673-1729) qui novus est: series continua et numerosissima (306) homiliarum in Evangelium.

Dubium esse nequit in hoc opere concionatores reperturos esse verum armarium promptuarium seu aurifodinam: non tantum verum sensum ibi videbunt plurimorum textuum qui sæpe falso sensu in cathedra allegantur, sed præterea pulcherrimas Patrum dictiones, expositiones morales et schemata concionum, quibus omnibus usi vere *verbum Dei* nuntiabunt et centesimum fructum referent (1).

A. D. B.

---

(1) Liceat corrigere errorem quemdam qui legitur p. 1845: « Jo. 19, 4 in textu originali legitur ἔδησαν ἐν ὀθονίοις, posuerunt non ligaverunt in linteis ». Omnes tamen codices omnesque editiones habent ἔδησαν; proinde Vulgata hic non corrigenda est, sed bene vertit *ligaverunt*.

Collationes Brugenses

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. VII, pag. 497.)*

## PARTIS II^æ^

### CAPUT SECUNDUM.

**Exponitur ipsa prædefinitio æterna præsentis ordinis gratiæ, qui ordinem naturæ complectitur supernaturaliter perfectum.**

289. Cum Deus ab æterno contempletur in se ipso omnes possibiles creaturas, omnes earum possibiles actiones, omnemque possibilem creaturarum ordinem, id est, destinationem possibilem sub ductu Providentiæ ad finem Deo dignum; hunc quoque præsentem ordinem, quem reapse executioni mandari libere decrevit, totum prius, id est, natura antecedenter ad omne decretum absolutum, ut possibilem præscivit: creationem scilicet angelorum, hominisque in hac terra, variis creaturis prævie ornata, tamquam sede probationis, reliquarum simul totius universi partium propter rationalem creaturam producendarum. Præscivit angelos ad ordinem supernaturalem ac divinum a se evehi posse; hominem quoque, natura propagabilem, in hac natura iisdem donis divinis posse ornari cum eadem natura ad posteros generatione transmittendis: ut tum angeli, tum homines finem gloriæ Dei et supremæ beatitudinis propriæ in visione Dei ac participatione beatitudinis ipsius divinæ Trinitatis prosequerentur.

Præscivit porro Deus, si hæc decerneret, angelorum partem e beatitudine sua culpa excisuram, et irreparabiliter quidem propter puram in peccando malitiam et naturam in malo obstinatam; hominem quoque lapsu-

rum, a diabolo deceptum, ideoque reparabiliter. Præscivit ordinem ita turbari se permittere posse, quem et præsciebat in majorem, imo et *summam*, ut videbimus, manifestationem gloriæ suæ reparabilem.

Ast quomodo ordo reparabilis ac reparandus?

Ad restituendum hominem in pristinum statum, etiam absque satisfactione, potentiam quidem sibi non defuturam præsciebat Deus, nec a parte hominis impedituram, sicut in angelo, malitiam, quoniam infirmior homo et a diabolo deceptus; justitiam vero divinam obstare, quin id fieret absque satisfactione, forte visam iri. Jamvero homo satisfacere plane impotens apparebat. Præterea, nonne absolute obstabit divina scientia atque sapientia, quasi Deus esset a diabolo deceptus ac coactus opus suum reficere?

Atvero, præsciebat Deus possibilem reparationem, eamque talem cui nec divina justitia obstaret, quoniam, etsi non ex rigore justitiæ, futura tamen erat reparatio ex intrinseca sua dignitate non solum æquivalens et condigna, sed superabundans, imo infinita; neque obstaret scientia, quia lapsus causa futurus erat majoris, imo et summæ manifestationis gloriæ Dei ac beatitudinis creaturæ; nec adeo obstaret sapientia, quia non refecturus erat Deus opus suum, naturam propagabilem pristino statui restituendo, sed personis singulis, manentibus lapsus pœnalitatibus, quibus ad majora erigerentur, redditurus erat dona amissa et superabundantem fini consequendo aptitudinem ac gratiam; totum denique ordinem, sanctam civitatem electorum Angelorum et hominum non reparaturus tantum sed completurus ineffabili manifestatione gloriæ suæ absolute summa in persona salvatoris.

290. Cum igitur ordo ab Angelis turbatus, ex horum parte irreparabilis esset, ex parte hominis reparabiliter peccantis rationem perfectam præsciebat Deus reparandi Angelorum simul et hominum civitatem, his pro Angelis lapsis subintroeuntibus; et hæc ratio erat, ut

diabolus profundissime humiliaretur ac confunderetur, homo quam maxime exaltaretur et beatus fieret, Deus summe vindicaretur, et ita tandem esset *vere summa* Dei glorificatio in præsenti ordine, ut explicabitur.

Et hæc quidem præcognita ut possibilis reparatio in eo erat quod persona divina rationalem naturam creatam in unitatem suæ personæ assumeret; quæ quidem natura, ratione suæ dignitatis ex unione cum persona divina, par esset omnia superabundanter præstare quæ perfecta reparatio expeteret.

Sed quamnam Deus assumeret naturam, angelicam an humanam? Non angelicam, non aliam ac humanam, quæ, utpote spiritualis simul ac corporalis, universam creaturam tamquam microcosmos repræsentat; eamque a primo homine peccante propagatam, ut in hac ipsa repararet homines. Atvero, hæc natura infecta erit peccato? Sed poterat persona divina naturam assumere, ex genere quidem lapso propagatam, sed ex virgine absque semine virili, quæque hoc ipso non haberet peccatum.

Et quænam persona divina naturam humanam ex virgine assumeret? Perfecta ratio erat ut Filius seu Verbum Dei incarnaretur: ut Verbum Dei, manifestatio Dei ad intra, splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, etiam fieret in natura visibili manifestatio Dei ad extra omnium summa ac perfectissima, revelans Dei magnitudinem ac perfectiones, etiam verbis et exemplis viam Dei docens, iter ad beatitudinem cœli rursus aperiens; ut ipse Filius unigenitus filios Dei faceret adoptivos, ipse primogenitus et caput omnium hominum et angelorum.

291. Modum quoque redemptionis præsciebat Deus perfectum: ut scil. Filius Dei assumeret naturam passibilem, et ideo quam maxime passibilem ut *summum* daret exemplum obedientiæ, charitatis, humilitatis, patientiæ cæterarumque virtutum, consummando omnia *per mortem ipsam* quam maxime probrosam ac dolorosam, qua simul satisfactio esset plenissima, meritum

superabundans, simulque et malitia peccati et perfectiones divinæ quam maxime elucerent, justitia, sapientia, potentia, misericordia, necnon Redemptoris charitas erga homines, volentis *ita* satisfacere et mereri pro homine, licet minima actio esset superabundanter sufficiens; ut tandem essent omnia *summa:* præprimis sacrificium Salvatoris seu actus ipse redemptionis esset actus humanus vere omnium possibilium perfectissimus, tum secundum actum externum, quoniam nemo charitatem majorem habet quam ut animam suam ponat pro amicis suis, imo potius inimicis, tum secundum actum internum, quoniam, si nihil charitate perfectius, summa fuit charitas illa divina Redemptoris erga Deum Patrem et fratres suos homines sese pro horum salute immolantis. Ut tandem, inquam, essent omnia summa, et pro summa humiliatione Redemptorem Deus sublimissime exaltaret et donaret illi nomen, quod est super omne nomen, ita ut maxima possibilis esset gloria Dei in Christo suo, cœlestis regni supremo Principe.

Modum tamen redemptionis celandum præscivit Deus diabolo, si enim diabolus et asseclæ ejus hunc scivissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent: celandus ergo erat modus redemptionis, ut diabolus vere deceptus ipse quasi operaretur salutem hominum, quos perdiderat, suamque propriam confusionem, machinando Christi passionem ac mortem. Et hic nova invenitur ratio non restituendi naturæ humanæ sed personis dona amissa, nec restituendi donum integritatis, ut natura propagaretur orbata donis inesse debitis et, ex consequenti, Deo volente non impedire, præpararetur et consummaretur passio Salvatoris.

292. Totum hunc ordinem ut possibilem præcognitum videbat Deus esse optimum, in quo omnia in suo genere sunt summa, et tandem ad absolute summum referuntur, Filium nempe Dei incarnatum, ordinis ad momentum turbati reparatorem et perfectorem. Et revera cum finis operis ad extra in quocumque ordine

sit gloria Dei externa ex beatitudine potissimum creaturæ rationalis, cujuscumque ordinis possibilis fastigium absolute perfectum apparet in ordine præsenti, in persona nempe Christi, Filii Dei incarnati. Ipsum nempe Verbum Dei, manifestatio et gloria Dei ad intra, naturam humanam, quæ totam quasi creaturam, corporalem et spiritualem, repræsentat, cum divina natura in unitate personæ copulando, certe manifestationem divinitatis et communicationem divini boni in se continet, qua major cogitari nequit.

Quæ enim major esse potest communio Dei cum creata natura, quæ proin major et perfectior manifestatio divinarum perfectionum ad extra, quæ rursum glorificatio Dei formalis major quam in Christo et a Christo Deo-Homine, cujus sacrosancta humanitas, et jure quidem nativo, fastigium est ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ, cujus omnes actus infinitæ dignitatis sunt et unus tum interne tum externe summus, quo redemptionem consummavit, ut vidimus? quæ dignitas inter puras creaturas, non jure jam sed privilegio, major est dignitate Virginis Matris Dei, quæ sanctitas ei comparanda quæ consequitur hujusmodi dignitatem? summa quoque in genere suo perfectio regni Christi, tum in terris seu ecclesiæ militantis, tum præsertim in cœlis seu ecclesiæ triumphantis: profecto supernaturalis sanctitas in genere suo summa est, quamquam gradus infinitos habet: ast rursum ipsa varietas graduum, sicut sanctitatis in statu viæ, ita et beatitudinis in termino, pulchritudinem universi seu totius regni Christi efficiet. Et ecclesia ipsa Christi in terris societas est perfecta in genere suo; fontes in ea gratiæ seu sacramenta in suo genere perfecta, inter quæ unum rursum absolute summum, nempe Eucharistia, quæ ut sacramentum et sacrificium est continuatio actus summi Redemptoris. Virtutes supernaturales in suo genere summæ, quarum absolute summa est charitas, qua unimur Deo. Quæ quidem omnia explicationem ulteriorem ac sedulam continuamque nostram meditationem merentur.

Perfectam ergo rationem habuit Deus inter omnes possibiles ordines hunc præsentem ordinem decernendi, cum ordo sit optimus et Optimi sit optima adducere; summe rationabile fuit hanc communicationem summam divini boni, hanc summam divinæ perfectionis manifestationem, perfecta libertate ex amore gratuito exsequi, in qua finis ultimus totius operis ad extra est maxima glorificatio Dei externa ex summa beatitudine creaturæ, primario quidem et absolute in persona capitis Christi Salvatoris, consequenter vero et participative in membris ejus, in glorioso civium cœlestium cœtu. Itaque omnia in hoc ordine ad Christum vergunt: creatio, elevatio, permissio lapsus, omnia propter Christum, ut per summam ejus humiliationem, simul reparetur, perficiatur ac consummetur ordo turbatus, simulque Ipse summa gloria exaltetur, ita ut merito dici possit Christus ut homo finis cui seu cujus gratia totius operis, quemadmodum est causa meritoria reparationis post lapsum, et glorificationis in regno cœlesti.

293. Hunc igitur ordinem, quem reipsa evolvi videmus, Deus, natura antecedenter ad omne decretum absolutum seu prædefinitionem, ab æterno sub decretis conditionatis præscivit, ut exposuimus, idque ita ut singulæ creaturæ, singulæ causæ earumque effectus singuli essent suo certo ordine præordinata, prout, natura consequenter ad decretum prædefiniens et vi ejusdem prædefinitionis, sese aliquando in tempore invicem excipere deberent. Porro, decretum hoc æternum prædefiniens totius universi actualis, ordinis naturæ atque gratiæ ac gloriæ, natura posterius præscientia et præordinatione, est unicum, cadens in totum ordinem universi præscitum et præordinatum, quamquam juxta diversa objecta distingui possint diversæ partes hujus universalis providentiæ et prædefinitionis: ita solet in specie considerari prædestinatio sanctorum, quæ est pars, eaque præcipua, dictæ providentiæ et prædefinitionis.

Et in ipsa prædestinatione rursus diversa objecta considerari possunt seu partes, puta prædestinatio ad gloriam seorsim sumptam; qua de re acriter et in infinitum quasi disputaverunt theologi, antiquis Scholasticis recentiores, patronumque S. Thomam præsertim invocarunt utriusque opinionis oppositæ sectatores. Multi autem nobis videntur confuse locuti, et eo ipso in vanum quæstioni elucidandæ allaborasse. Nec enimvero diffitemur, si quædam dissipandis tenebris et propellendis quæ accumulatæ fuerunt nubibus afferri possunt, ipsam tamen divinam prædestinationem in se tandem involvere mysteria atque arcana divini consilii.

294. Ab ipso Doctore angelico ponitur quæstio: « Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis (1). »

Respondet autem: « Dicendum, quod cum prædestinatio includat voluntatem, sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. Dictum est autem supra (2), quod non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi, sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quærere, utrum Deus præordinaverit se

---

(1) 1, q. XXIII, art. 5.

(2) 1, q. XIX, art. 5, qui ut heic insertus habeatur. Corpus articuli recitavimus supra n. 182, ubi notavimus hujus doctrinæ momentum in ordine ad prædefinitionem rerum explicandam. Ex hac doctrina hoc singulariter attendi vellemus, quod, sicut Deus uno intuitu apprehendit principium et ejus conclusionem, ita uno actu vult finem et media ad ipsum, non vero prius finem quam media, nec vicissim, quamvis velit esse et ordinet media in finem. Unde in hac quæstione prædestinationis Deus non vult prius gloriam quam gratiam et merita, nec vicissim, sed uno decreto vult utrumque, quamquam vult ut gloria sit præmium, et merita sint media ad gloriam.

daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua. »

Sedulo attende quam caute loquitur S. Thomas, non dicens utrum Deus prædestinaverit, sed: « præordinaverit se daturum effectum prædestinationis ». Quæ quidem duo non unum sonant, ut postea clarius apparebit: præordinare enim est sub præscientia ordinare, et natura præcedit decretum prædestinans.

Ita posita quæstione, primo rejicit S. Doctor errorem Origenis de meritis præexistentibus in alia vita; item errorem pelagianum, quasi merita naturalia, vel initium boni operis, quod sit ex nobis, sint ratio effectus prædestinationis. Deinde, propius ad rem accedendo et de merito supernaturali agendo, adducit aliam opinionem: « Unde fuerunt alii, qui dixerunt quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis: ut intelligatur quod ideo Deus dat gratiam alicui, et præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia. Sicut si rex det alicui militi equum, quem scit eo bene usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, et id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem quod id quod est gratiæ est prædestinationis effectus, et hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio et ex prædestinatione: sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum. Unde et id quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione. »

295. Antequam pergamus ad solutionem S. Thomæ, paulo hic sistimus ad quædam advertenda. Et primo quidem, doctrinam a nobis supra traditam de natura et indole actus salutaris hoc rursum confirmari a S. Do-

ctore, in eo quod ponat idem esse quod est ex gratia et quod est ex libero arbitrio: licet enim ad strictiorem argumentationem ex hypothesi ea distinguere consentiat, satis tamen insinuat ex sua sententia ea non distingui. Secundo, hucusque S. Thomam agere de effectibus prædestinationis in communi seu ex toto, qualiter solet de prædestinatione loqui, et merito; nam, modus iste loquendi magis objectivus est et ex parte Dei revera unum est decretum prædestinationis totius ordinis gratiæ et gloriæ; nos autem de effectu aliquo particulari et de parte prædestinationis, subjective ex consideratione mentis, loquimur ad rem facilius concipiendam et explicandam. Hoc tamen ex dictis S. Thomæ jam deducitur prædestinationem ad gratiam seorsim sumptam non esse ex præscientia alicujus meriti, nec boni usus gratiæ.

Tertio, adverte jam aliquod discrimen inter prædestinationem et reprobationem, quamquam uno eodemque decreto alii prædestinantur, alii reprobantur. Docuit nempe Angelicus neque id quod est gratiæ, neque quod est liberi arbitrii esse rationem prædestinationis, quoniam id quod est gratiæ est manifesto prædestinationis effectus, nec id quod est liberi arbitrii ab eo est distinctum, vel saltem non est distinctum ab eo quod est ex prædestinatione. Ex quo merito inferimus, e contrario, id quod est culpæ et solius liberi arbitrii, contra Dei beneplacitum, cum non sit ex gratia neque ex prædestinatione, esse posse rationem reprobationis; et reipsa esse, cum rationabile sit neminem damnari nisi propter culpam commissam, adeoque nec reprobari nisi ex præscientia culpæ permittendæ.

Idem et Cajetanus (1) advertit: « Nec est, *ait*, idem judicium de reprobatione et prædestinatione: quoniam in reprobo est aliquid extra totum reprobationis effe-

(1) In 1, q. XXIII, art. 5. — Et lege, cum hoc comment., hujus art. 5 apud S. Thomam, ad 3m.

ctum, scilicet culpa; non sic autem est in prædestinato, in quo totum ordinans ipsum in vitam æternam est prædestinationis effectus ». Et infra : « In reprobatione sunt tria : permissio peccati, ipsum peccatum et æterna punitio; nec hæc tria sunt effectus reprobationis divinæ, quemadmodum omne ordinans in vitam æternam erat effectus prædestinationis : propter quod non possumus hic recte dicere totum effectum reprobationis vel partem, ut distinximus de effectu prædestinationis, sed debemus cautius loquendo dicere totum quod est in reprobatione vel id quod est in ea ex virtute reprobantis. Et nunc scito, quod apud D. Thomam ut patet super 9 epist. ad Rom. diversa est sententia de causa prædestinationis, et reprobationis : quoniam ultimus effectus reprobationis, scil. punitio, habet causam ex parte reprobati, scil. culpam, cujus nullo modo Deus est auctor; prædestinationis autem ultimi effectus, scil. beatitudinis, licet sit aliqua causa in nobis, scil. meritum, id tamen totum est a prædestinante. Et sic si de effectu toto utriusque, scil. reprobationis et prædestinationis, est sermo, nulla de peccato quæstio inseri debet, sed de his tantum quæ a reprobante et prædestinante sunt, quæ bona oportet esse; et de his dicitur quod divina bonitas eorum causa est. Si autem est sermo de toto eo quod in reprobo invenitur, sic aliquid est a Deo atque divina bonitate, aliquid vero nec a Deo nec propter divinam bonitatem, imo aversio est ab illa, ut patet de peccato mortali. Et ideo licet præscientia meritorum non concedatur causa prædestinationis, tamen demeritorum causa quodam speciali modo est reprobationis : quia propter demerita præscita nec a se præparata statuit Deus a se quosdam perpetuo puniendos, ut sua bonitas etiam in tali justitia participetur. Atque sic modi illam participandi a sua sapientia statuti impleantur. » Addit paulo infra : « Non ideo Deus permittit peccata, ut puniat, sed permittit et punit propter relucentiam justitiæ suæ; et quia hoc est totus

reprobationis effectus, idcirco reprobationis ratio divina justitia merito dicitur. »

296. Nunc jam accedimus ad solutionem ipsius S. Thomæ, an et quo sensu præscientia meritorum sit causa prædestinationis. « Dicendum est ergo, quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari, et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius: posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi [i. e. ex toto]. Et sic impossibile est quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum... Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem, et ex qua procedit sicut ex principio primo movente. »

Hæc nobis videntur clara, et nonnisi disputationibus confusis posterorum obscurata, dummodo bene retineatur 1° Deum prædefinire *ordinem*, scilicet qualem, natura antecedenter ad decretum absolutum prædefiniens, *præscientia* sua et sub decretis conditionatis *præordinavit*. Et in particulari de prædestinatione sanctorum loquendo, ita ut præordinaverit gratiam et merita esse causam gloriæ, et gloriam esse præmium meritorum: de reprobatione autem loquendo, ita ut gratiæ datæ ad meritum resistentia et peccatum permittantur, et propter præscitum peccatum punitio

præordinetur; non ideo tamen permittatur peccatum, ut puniatur, sicut datur gratia ut sit meritum et præmium: nam, ex parte prædefinientis, omnes effectus nonnisi boni esse possunt.

Adeoque 2° Deum in decreto absoluto et unico, natura consequente præscientiam præordinantem, intendere eumdem *ordinem* præscientia præordinatum; nequaquam vero intendere distinctim ab altero unum alterumve effectum seu finem et media, sed, ut repetamus quod summi momenti est, *ordinem* inter effectus. Non ergo, de prædestinatione agendo, prius gloriam quam merita, aut vicissim, intendit Deus, sed prædictum ordinem inter gratiam seu merita et gloriam; quamquam vi ejusdem ordinis velit in executione *prius esse* merita quam præmium.

3° Unde vides quam caute et accurate loquatur D. Thomas, dicendo *præordinare*, et constanter adhibendo voces *præscientia*, *præscire*, *præscitus* effectus; numquam vero uti voce *prævidere*, *prævisum*. E contrario, quam incongrue moderni loquuntur de *prædestinatione ante* vel *post prævisa* merita, quasi esse possit aliqua scientia *visionis* meritorum, adeoque consequens decretum absolutum gratiæ ac meritorum, ante vel post decretum gloriæ. Qui certe loquendi modus, etiamsi minus stricte visionem pro scientia forte aliqui sumant, confusioni ansam præbet. Quodsi vere prævisionem intelligant, manifesto falluntur et nihil explicant.

297. Igitur, hæc si rite attendantur, apparet solutio D. Thomæ clara et completa, plene convincens intellectum. Nempe 1° de prædestinatione loquendo ad gratiam seorsim, bonus usus gratiæ præscitus non est ratio prædestinationis, sed sola divina bonitas, quamquam bonus ille usus est præscitus et gratia datur in finem salutis. Ita et in reprobo, quamvis malus usus gratiæ sit præscitus, nihilominus datur gratia in salutem. Aliis verbis, ut repetit S. Thomas, cit. art. 5, ad 1m: « usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis. »

2° Agendo de prædestinatione ex toto, sola ratio est divina bonitas.

3° De prædestinatione vero ad gloriam seorsim consideratam, dicendum est effectum gratiæ et inde meriti, qui natura antecedenter ad decretum totius prædestinationis est præscitus, esse rationem alterius effectus item præsciti, scil. præmii seu gloriæ: unde, cum reipsa decretum fertur prædestinationis, præordinatio ad utrumque effectum, cum eodem ordine ad invicem, fit prædestinatio, ita ut hoc sensu dici possit et debeat: prædestinationem ad gloriam esse ex præscientia et præordinatione meritorum ad præmium. Nullus sermo esse potest de prædestinatione *post* merita *prævisa*.

Breviter utrumque, nempe sub 2° et 3° dictum, complectitur S. Thomas, ibid. ad 2m: « Prædestinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipsam divinam bonitatem. In particulari autem unus effectus est ratio alterius. »

4° De reprobatione loquendo, item ex toto considerata, ex parte reprobantis sola ratio est divina bonitas, ex qua præordinatur gratia, et permissio abusus ejusdem seu peccati, et punitio æterna, quæ omnia bona sunt; est autem in reprobo ex sola parte sua peccatum, quod præscitur sed non præordinatur, nec enim permittitur peccatum, ut puniatur; et sicut solum peccatum commissum est in tempore causa punitionis, sic peccatum præscitum est sola causa præordinationis æternæ ultimi effectus præsciti scil. supplicii, quæ, decreto unico universalis prædefinitionis, quod pro sanctis est prædestinatio, fit pro aliis reprobatio.

Et heic lege S. Thomam, ibid. ad 3m: « Dicendum quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum et reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quod divina bonitas, quæ in se est una et simplex, multiformiter repræsentetur in rebus, propter

hoc quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est quod ad complexionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum et quædam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur... Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo: et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Et hæc est ratio quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus, *ad Rom.*, IX.... »

296. Dicet forte aliquis, si hæc omnia de prædestinatione et reprobatione tam plana sunt, et tam facile explicantur, jam non video cur de mysterio divinæ prædestinationis loquendum sit, et Patres ac theologi omnes ad arcana divini consilii appellare debeant. Ast, qui hæc dicit, attendat S. Thomam in recitatis verbis in genere loqui de quorumdam prædestinatione et aliorum reprobatione, atque legat quæ apud S. Doctorem immediate sequuntur: « Sed quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem, etc. »

Hoc est arcanum divinæ voluntatis et antecedens prædilectio prædestinatorum. Quare enim Deus hunc ordinem quem præscivit et præordinavit, in quo ego salvus essem, iste reprobus, elegit et decrevit, potius quam alium quem præsciebat et præordinare in præscientia sua poterat atque decernere, in quo ego essem reprobus, iste salvus? Hoc mysterium divini consilii.

Audiamus et Seraphicum (1) de eodem argumento, *in 1. dist. 41*, a. 1, q. 2: « Cum quæritur, utrum æternum

(1) Hujus sancti Doctoris integra doctrina de prædestinatione, si rite colligatur et penitus inspiciatur, omnino conformis, ut putamus, invenietur cum ea quam exposuimus et ex D. Thoma hausimus.

Dei propositum, sive electio, vel reprobatio in Deo motivam rationem habeat, hoc non intelligitur quantum ad voluntatem divinam, vel ejus actum qui Deus est: sed quantum ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem. Et si quæratur ratio causalis, vel meritoria, respondetur quod dari non possit. Si autem quæratur ratio congruitatis, et decentiæ: respondent quidam quod ipsa Dei voluntas sibi ipsi est ratio, nec est alia ratio quare istum elegit, nisi quia placet: et hæc est sufficiens per omnem modum, quia est causa causarum, et ratio rationum: et eo ipso quod placet, ideo rectum est propter summam ipsius voluntatis rectitudinem, quia non tantum est recta, sed etiam regula. Sed cavendum est, ne, dum voluntatem Dei magnificare volumus, potius voluntati ejus derogemus. Si enim non esset alia ratio, quare Deus istum elegit, et illum non, nisi quia placet, certe jam non occulta dicerentur divina judicia, sed manifesta, cum quilibet hanc rationem capiat, nec dicerentur mirabilia, sed potius voluntaria. Et propter hoc est dicendum quod propositum illud æternum, sicut dicit Augustinus, et habetur in litera, et voluntas illa est rationabilissima, et rationem habet, et sicut ab æterno fuit, ab æterno rationem habuit, non aliam propter essentiam, sed propter connotatum. Quid autem sit illud in electione hominum vel reprobatione, nobis non est omnino notum, nec omnino ignotum. Propter hoc notandum quod quædam sunt opera, quæ exeunt a voluntate divina cum alio ad hoc ordinato ordine necessitatis, sive necessitatem sumamus in causando, sive in merendo, vel disponendo, ut pluere, et remunerare, sive damnare, et salvare, et respectu talium divina voluntas habet rationem in generali, et speciali. Unde si quæratur, quare Deus vult pluere, respondetur, propter nostram utilitatem. Similiter habet rationem in speciali, ut si quæratur, quare vult Deus pluere in hieme, non in æstate: tunc respondetur, quia vapores aquosi magis in hieme abundant, quam in æstate.

Similiter si quæratur, quare magis voluit salvare Petrum, quam Judam: Respondetur quod iste habuit bona merita, ille vero mala. Quædam autem sunt opera, quæ sunt a divina voluntate cum alio ad hoc ordinato ordine congruitatis, sicut est nostra gratificatio, vel justificatio, quæ est a divina voluntate cum operatione, et præparatione lib. arb. et hoc, quia qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Et hoc dictum est secundum congruentiam. Adiutores enim Dei sumus. Attamen Deus sine præparatione, et cooperatione justificat, ut patet de sanctificatis in utero, et ut dicunt de Paulo, et respectu talium operum habet rationem voluntatis in generali, et habet in speciali: sed in generali certam, in speciali occultam. Si enim quæritur, quare Deus vult justificare: Respondetur ad misericordiæ suæ ostensionem. Et si quæritur, quare non vult omnes homines justificare voluntate beneplaciti, dicendum quod hoc est propter justitiæ suæ ostensionem. Unde August. de Civit. Dei: Si remanerent omnes in pœnis justæ damnationis, non appareret misericors gratia redimentis. Rursus: Si omnes transferrentur de tenebris ad lucem, in nullo appareret severitas ultionis; in qua propterea multo plures quam in illa sunt, ut sic appareret quid omnibus debebatur. Si quæratur in speciali, quare magis vult justificare unum quam alium duobus similibus demonstratis: quia multæ possunt esse rationes congruentiæ: ideo non est certitudo a parte rei. Et ideo cum cognitio nostra pendeat a certitudine rei, nullus certam potest invenire rationem, nisi habeat per revelationem illius cui dubia sunt certa. Et quia non fuit nobis expediens ad salutem ista cognitio, sed utilior fuit ignorantia propter humilitatem: ideo Deus noluit revelare, et Apostolus non fuit ausus inquirere: sed ostendit defectum nostræ intelligentiæ cum exclamavit: O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus, etc. (*Rom.*, XI, 33-34). »

*(Continuabitur).*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Decembris.

—

I

Explica parabolam de virginibus (Matth. XXV, 1-13).

II

Supposita ex Revelatione cognitione SS. Trinitatis, demonstra ex ratione illud dogma non inveniri posse solo lumine naturali rationis.

III

Explica et proba ex ratione thesim Probabilistarum: ubi agitur de sola honestate actionis, licet sequi opinionem vere ac solide probabilem faventem libertati, etiam in concursu probabilioris faventis legi.

IV

Præmissa distinctione scandali in directum et indirectum, regula generali determina

1° Quis sit reus scandali directi. Explica.

V

2° Quis sit reus scandali indirecti. Explica.

VI

Determina obligationem parochi juvandi spiritualiter subditos graviter infirmos.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *Quid intelligitur per* **regnum Dei** *seu* **regnum cœlorum** *cujus Christus tam sæpe mentionem facit in sermonibus suis et in parabolis?*

R. Regnum Dei fuit præcipuum prædicationis Christi objectum: publica ejus vita exorditur apud synopticos per hoc nuntium: *appropinquavit regnum Dei* (Mc. I, 15) et in passione Joannes refert hanc affirmationem: *regnum meum non est de hoc mundo... Rex sum ego* (Jo. XVIII, 36, 37); est etiam in variis scholis gravissimum objectum disputationum hodiernarum (1). Inquiremus de usu et sensu litterali verborum, præsertim vero de natura ipsius rei.

Regnum quod Christus prædicavit, a Marco et Luca constanter appellatur *regnum Dei*, a Matthæo vero constanter tribus locis exceptis (2) vocatur *regnum cœlorum*. Inquiri potest utra expressio a Christo usurpata sit et probabilis videtur sententia Dalman (3) secundum loquendi modum utpote magis judaicum et hebraizantem primitivum esse, primum vero ab evangelistis adhibitum esse tamquam pro græcis lectoribus magis intelligibilem.

Quæritur etiam utrum idem omnino sit sensus utriusque expressionis, quod contra nonnullos affirmandum videtur, nam evangelistæ procul dubio totam vim

---

(1) Barth, *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu*, Gutersloh, 1899.
(2) XII, 28; XXI, 31, 43.
(3) *Die Worte Jesu*, Leipzig, 1898, p. 77.

harum expressionum cognoscebant et ceteroquin constat a Judæis vocem *cœli* frequenter usurpari ad designandum Jehova cujus nomen enuntiare nefas erat. Ad priorem terminum quod spectat, significat proprie et immediate regnum subjective sumptum, seu potestatem regiam ejusque exercitium (*royauté* vel *règne*), consequenter vero regnum objective spectatum seu personas vel loca subjecta *(royaume)*.

Inquirentes nunc in quo consistebat regnum Dei, accurate distinguere debemus quid Judæi, quid Christus de illo sentiant. Etenim conceptus ille neque a Jesu, neque a Joanne Baptista (Matth. III, 2) introductus est, sed ab iis ut quid notum supponitur. Populus de prompserat ideam quam de *Regno* habebat tum ex antiquis scriptis propheticis Veteris Testamenti, tum præcipue ex apocryphis recentioribus; inde concipiebat regnum ut politicum et materiale: politicum dico, scil. exspectabat restaurationem regni Israel, cui reliquæ omnes potestates mundanæ omnipotenti Dei verbo subjiciendæ sunt, omnes ethnici vel ad Jehova convertentur et nationem Judæorum ingredientur vel exterminabuntur; materiale deinde: homines in illo regno fruentur immunitate a quibusvis miseriis, summa pace nunquam turbata, vita interminabili, deliciis omnigenis. Hujusmodi locutiones quæ sensu metaphorico a prophetis applicabantur regno Dei, facile a plebe sensu litterali intellectæ fuerunt.

Jesus vero induxit ideam regni religiosi et spiritualis, quod duplex haberet stadium, inchoationis scil. et consummationis. Regnum suum non opposuit potestati civili quam sibi assumere recusavit (Jo. VI, 15), cui tributum solvere præcepit (Matth. XXII, 17 sqq.) et a qua regnum suum clare distinguit (Jo. XVIII, 36), sed peccato et diabolo peccati principio: proinde expulsio dæmonum demonstrat regnum jam incepisse: Matth. XII, 28: *si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei*. Regnum a Christo indicari

ut jam conditum et præsens multi textus demonstrant, v. g. Luc. XVII, 20: *Interrogatus a pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione* seu oculis conspici nequit,... *Ecce enim regnum Dei intra vos est;* quod non significat regnum esse in cordibus Pharisæorum quos alloquitur, sed esse in medio eorum.

In sermone montano Christus legem qua novum regnum regeretur proclamavit seu conditiones morales statuit sub quibus regnum ingredi licet; ipsam vero regni naturam declaravit in parabolis (Matth. XIII et locis parallelis). Et primo quidem essentia regni proponitur ut attissimum mysterium: Luc. VIII, 10: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis;* Matth. XIII, 17: *Multi prophetæ et justi cupierunt... audire quæ auditis et non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis.* Et quia tam sublime erat mysterium, propterea elegit formam parabolicam in ejus expositione ut rudis populi intellectui sese accomodaret. Porro parabolæ ostendunt regnum Dei non per omnipotentem Dei interventum fundari et perfici, sed nasci in cordibus hominum juxta uniuscujusque cooperationem (parabola de semine apud tres synopticos), diuturno progressu evolvi et perfici (2ª parabola de semine apud solum Marc.), donec ex una parte universalem in mundo obtinuerit extensionem (de grano sinapis) et ex alia parte intimam uniuscujusque vitam compenetraverit et transmutaverit (de fermento). Malum autem semper irrepet in regnum Dei neque ante judicium extremum removebitur (de zizaniis).

Tandem, liceat quandoque difficile sit determinare de quonam stadio regni sermo sit quia regnum terrenum quasi in germine continet cœleste regnum, sicut gratia est semen gloriæ, nihilominus non desunt textus in quibus certo de stadio consummationis agitur v. g. Matth. VII, 21: *Non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum sed qui facit volun-*

*tatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* « Hoc loco, ait Maldonatus, manifestum est agi de præmio quod non in Ecclesia, sed in cœlo datur; quasi dicat, non itur ad cœlum verbis, sed factis. Et in versu sequenti de ultimo judicio agi constat, cum alii in cœlum admittendi, alii ab eo excludendi sunt ». (1)

A. D. B.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas:* Si ens infinitum continet omnem perfectionem, nulla dari potest perfectio præter illud, consequenter nec ullum ens. Atqui ens infinitum continet omnem perfectionem. Ergo præter ens infinitum nulla datur perfectio. Ergo quidquid est vel esse potest est ipsum ens infinitum.

R. Dist. Maj. Si ens infinitum *continet omnem perfectionem* hoc sensu quod est *in se omniperfectum*, cui nempe non deest alicujus generis nobilitas, nulla dari etc. *nego*. Si ens infinitum *continet omnem perfectionem*, hoc sensu quod ipsi inest *quælibet possibilis perfectio*, subdist: si quælibet perfectio ipsi inest *formaliter*, nulla dari... etc, *conc.;* si quælibet perfectio ipsi inest *eminenter et virtualiter*, nulla dari... etc, *nego*.

Contrad. min. Atqui ens infinitum *continet omnem perfectionem* hoc sensu quod est *in se omniperfectum*, *conc.*; ens infinitum *continet omnem perfectionem*, hoc sensu quod ipsi inest quælibet perfectio, subdist: inest ipsi *formaliter* quælibet perfectio *nego;* inest ipsi *eminenter et virtualiter* quælibet perfectio *conc.*

Sub datis distinctionibus, nego utrumque consequens et consequentiam.

Et explico: ens infinitum considerari potest, ab-

(1) Plura legi possunt in *Revue Bibl.* 1899, p. 346, sqq. (R. P. Rose, *Études évangéliques*).

stractione facta a qualibet determinata perfectione ut ens *in se omniperfectum,* scilicet ipsa perfectionis plenitudo absoluta et sub hoc respectu non excludit alias perfectiones possibiles utique participatas et limitatas et consequenter ab ipso ente infinito distinctas. Sed præterea ens simpliciter infinitum in perfectione habet etiam infinitam operandi virtutem, ideoque potest *producere alia entia* « quæ similitudine divinæ (sc. infinitæ) bonitatis in esse constituuntur » (1). Iterum si ens infinitum omnes *productas* perfectiones in se contineret *formaliter* (et non *eminenter*) nempe si omnes participatæ perfectiones et entitates *secundum propriam formam et proprium esse* inhærerent enti infinito, nulla præter ipsum dari posset perfectio aut entitas. Sed hoc jam non sequitur si ens infinitum *eminenter* et *virtualiter* continet omnes perfectiones: *eminenter*, h. e. in summo gradu et sine ulla limitatione: nempe quidquid perfectionis est in entitate participata est in ente infinito sine ulla limitatione, et est *realiter* ipsum esse subsistens; *virtualiter* h. e. ut in virtute causæ: nempe ens infinitum est causa *exemplaris efficiens* omnium perfectionum participatarum (2).

Quod autem ens infinitum continet eo modo omnem perfectionem quo exposuimus in distinctione minoris facile constat: nam, uti supra, p. 514, exposuimus, ens infinitum est *in se ipso* esse subsistens, ideoque est in se omniperfectum, nempe in summo gradu habens quidquid habet rationem perfectionis; ideoque *eminenter et virtualiter* continet omnem perfectionem participatam; etenim si datur ipsum esse subsistens nihil aliud potest habere rationem entis nisi inquantum sit limitata quædam imitatio ipsius esse subsistentis: consequenter esse subsistens in se eminenter habet quidquid habere potest

(1) S. Thom. II, D. XVII, Q. I, a. 1, ad 6.

(2) Perfectiones quæ in Deo sunt *formaliter*, nempe perfectiones simplices, tamen in Deo sunt *eminentiori modo* quam in creaturis: cf. *Collat. Brug.*, supra, p. 232.

rationem perfectionis et entitatis; deinde quum ens infinitum sit etiam in virtute operandi illimitatum sequitur ab ipso causari posse quamlibet perfectionem et entitatem: consequenter quælibet perfectio continetur virtualiter in ipso; tandem participatas perfectiones et entitates non posse contineri formaliter (h. e. formaliter tantum, non formaliter simul et eminenter) in ente infinito patet ex hoc quod participatæ perfectiones et entitates sunt essentialiter contingentes, limitatæ, quum ens infinitum sit essentialiter necessarium, illimitatum: consequenter *aliud* est esse *entis* infiniti, *aliud* est *esse* perfectionis participatæ, et consequenter non solum realiter ab invicem distinguuntur sed in infinitum distant.

Notemus in difficultate supra exposita confundi conceptum *totius* cum conceptu *infiniti*. *Totum* dici potest illud extra quod nihil est in illo ordine in quo dicitur: unde qui concipiunt ens infinitum ut *totum* perfectionis et perfectionum, concludunt extra illud totum nullam dari perfectionem. Sed *infinitum* negat limites *in se* in eo ordine in quo dicitur infinitum: igitur infinitum de se non negat alia entia præter ipsum limitata in eo ordine in quo dicitur infinitum (1).

J. V. D. M.

## III

Q. *Quomodo et quare peccat agens cum conscientia practice dubia?*

R. Agens cum conscientia practice dubia hic intelligitur agens cum *dubio proxime practico*, quod scilicet « proxime versatur circa actionis hic et nunc ponendæ moralitatem formalem seu in ordine ad subjectum hic et nunc acturum » (2). Qui modus loquendi, prout np.

(1) Cf. Remer, *Summa Prælectionum Philosophiæ Scholasticæ*, Prati. 1895. T. II, Theologia naturalis, Q. V, n. 82, p. 364.

(2) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, p. 92.

dicitur conscientia dubia, quamvis forte improprius (1), apud theologos recentiores est communiter receptus.

Jamvero qui operatur cum dubio circa honestatem formalem actionis hic et nunc ponendæ semper *peccat, et quidem ea specie peccati tum theologica tum morali, de qua dubitatur:* « videlicet erit mortale vel veniale prout fert dubium et erit peccatum vel detractionis vel furti vel sacrilegii etc. prout objectum, de quo dubitatur, est tale » (2).

*Probatur assertum*, prius ostendendo *cur peccet* qui agit cum conscientia practice dubia : non licet se exponere periculo violandi etiam materialiter legem, quando quis tenetur ad hoc periculum cavendum. Atqui agens cum conscientia practice dubia tum se exponit periculo violandi materialiter legem, tum obligationem habet cavendi illud periculum. Ergo.

Sola *minor* probatione indiget, et quidem quoad alteram dumtaxat ejus partem: qui enim agit, dum nescit utrum actus sit legi conformis an difformis, profectò se committit periculo, ne actus sit a lege difformis. Probandum igitur illum teneri ad cavendum tale periculum seu peccare non præcavendo illud periculum: qui habet conscientiam dubiam scit profectò se in ignorantia legis versari. Atqui qui novit se versari in ignorantia legis, tenetur, antequam agat, de lege inquirere, et reus est, si cum possit, negligat ignorantiam depellere: qui enim tenetur ad leges servandas, tenetur etiam ad eas cognoscendas atque adeo inquirendas. Ergo qui agit cum conscientia dubia peccat, ignorantiam non depeliendo seu periculum transgressionis materialis non præcavendo (3).

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. I (1896), p. 222 sqq., Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale*, T. I, p. 151 sq.

(2) Ballerini-Palmieri, *l. cit.*, p. 152; S. Alph. L. I, n. 22.

(3) Cfr. Ballerini-Palmieri, *l. cit.*, p. 154 sq. — Ibidem p. 153 bene notat insufficienter probari assertum apud multos simpliciter adducentes principium: qui se exponit periculo peccandi, peccat.

Ex his patet etiam ratio, cur peccet *ea specie peccati de qua dubitat.* « Etenim quisque præcavere tenetur eas legis violationes, quas novit, ex ignorantia sua sibi comperta ac vincibili sequi posse atque adeo reus tenebitur violationis cujuspiam in individuo, quam, cum possit, negligit avertere. Ita v. gr. medicus relate ad periculum ægroti, cui medicinas præscribat, antequam curaverit dubium depellere de morbi natura. Talis autem est conditio operantis cum conscientia practice dubia; novit enim obligationem præcavendi legis violationem, novit ex sua ignorantia instare violationis periculum ac prævidet etiam mala in specie seu individuo ac sciens obligationem idcirco depellendi ignorantiam, nihilominus culpabiliter periculum illud subit. Reus est igitur hujus specialis violationis et quidem reus est, sive ista violatio reipsa adsit, sive non adsit; uti v. gr. si medicus ille fortuitò bene ægrotum curet » (1).

Æstimare quis posset modo descriptam inordinationem a plerisque, præsertim rudibus, ignorari; at, etsi homines communiter illam penitus introspicere non sint idonei, satis tamen, ut reatus possit ab ipsis incurri, apprehendunt quid culpæ sit in actu operantis cum conscientia practice dubia, sicut percipiunt quid culpæ sit in agente cum vincibili legis ignorantia, ad quam revocatur casus dubiæ conscientiæ, ut ex supra probatis patet. Ita famulus, qui dubitat, an aliquid sit contra heri voluntatem, profectò ab omnibus censetur reus, si, cum possit, negligat inquirere voluntatem heri et subortum dubium contemnat (2).

H. M.

---

(1) Ballerini-Palmieri, *l. cit.*, p. 155.
(2) Cfr. Ballerini-Palmieri, *ibid.*

## IV

*Q. Indica generatim quomodo conscientia efformari possit practice certa.*

R. Duplici modo conscientia efformari potest practice certa, nimirum 1° **directe**, *inquirendo veritatem*, et sic removendo ipsum dubium speculativum, ita ut conscientia fiat tum speculative tum practice certa: vel 2° **indirecte**, *per principia* quæ vocant *reflexa*.

*Explicatur*: 1° **directe**. Cum conscientia sit conclusio syllogismi, saltem virtualis, cujus *major* est lex seu principium juris, *minor* vero factum cui lex applicatur, certa erit conscientia si utraque præmissa certo cognoscatur. Unde inquirendo veritatem utriusque præmissæ, directe efformare poterit homo conscientiam suam certam. Porro media inquisitionis indicari solent tum *propria agentis consideratio*, utique ipsius statui et conditioni proportionata, tum *interrogatio peritorum et consilii exquisitio*, quibus accedere debent *oratio* et *remotio impedimentorum*, quæ sunt passiones et concupiscentiæ (1). Hisce mediis adhibitis cum morali diligentia sæpe obtinebitur certitudo moralis, saltem late sumpta: « sæpe tamen, pro humana infirmitate, invincibiliter perseverabit dubium sive de ipsa lege, sive de applicabilitate facti ad legem, ita ut directe judicium de moralitate actionis in particulari non possit esse nisi incertum » (2). Verum in hoc casu conscientia adhuc potest efformari practice certa, videlicet

2° **Indirecte**. Dubio quidem speculativo per se respondet dubium practicum, sicut certitudini speculativæ practica respondet certitudo, hoc tamen non semper contingit: fieri enim potest quod « ratio aliqua specialis accedens cogat variare judicium practicum » (3), ratio

(1) Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 274.

(2) Bouquillon, *ibid.*, n. 276.

(3) Sanchez, *De Matrim.*, lib. II, disp. 41, n. 5; cfr. Bouquillon, *ibid.*, [illegible]

nempe quæ quidem dubium in se non solvit, sed ostendit quid practice liceat. Hujusmodi rationes vocari solent *principia reflexa*, et certitudo sic obtenta vocatur à moralistis *indirecta* et *reflexa* (1).

Jam paucis indicemus methodum solvendi indirecte dubium in re morali: imprimis seponendum est dubium *irrationabile,* quod tunc contingit, quando quis motiva dubitandi sibi fingit aut plus æquo eisdem inhæret et sic irrationabiliter suspendit assensum, quod cave ne confundas cum dubio negativo; est proprium scrupulosis, et est simpliciter contemnendum et eo ipso resolvitur (2). Deinde recolatur qualis requiratur in moralibus certitudo ut tutò agere possit homo: « communiter, ait Cl. Bouquillon, docent theologi cum S. Thoma, in rebus moralibus non requiri certitudinem *demonstrativam* et *fixam*, sed sufficere *probabilem* et *conjecturalem* » (3); imo « jamdiu apud theologos, in rebus controversis, *probabilitas notabiliter major,* in qua licet voluntarie aliquomodo conquiescere, pro morali certitudine habetur » (4). Unde seponitur casus quo alterutra pars, sive obligatio sive libertas, sit *certo et notabiliter probabilior;* imo seponi non raro poterit casus quo alterutra pars est *unice probabilis:* practice enim probabilitas solitaria non raro pertinget ad quamdam moralem certitudinem late sumptam in qua licet conquiescere (5). Quæ certitudo, uti patet, non obtinetur ope principii cujusdam reflexi, nisi nomine principii reflexi intelligatur, modo loquendi improprio et confusioni inducendæ aptissimo, ipsa ratio cur in agibilibus sufficiat hujusmodi certitudo, scilicet quod perfectior plerumque obtineri nequeat (6).

---

(1) Cfr. Bouquillon, *l. cit.*, p. 489, nota 3.

(2) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, p. 157 sq., apud quem invenies p. 88 sqq. expositas diversas dubiorum species.

(3) *l. cit.*, n. 267, coll. n. 256 Cfr. *Collat. Brug.*, T. I, p. 225 sq.

(4) Bouquillon, *l. cit.*, n. 256.

(5) Bouquillon, *l. cit.*, n. 277. Ubi scite advertit (in nota 6) non posse solitariam probabilitatem *universaliter* haberi pro certitudine morali. Cfr. etiam Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *l. cit.*, n. 179 et 271.

(6) Bouquillon, *l. cit.*, p. 500, nota 1.

His sepositis, quomodo *indirecte* deponi potest conscientia incerta? Intendimus hic simpliciter indicare processum, relinquentes principia solutionis pro variis occurrentibus dubiis fusius exponenda ac demonstranda in responsis sequentibus. Difficultas est præcipue in solvendo dubio *positivo*, sive stricto, quod est suspensio assensus, sive lato, quod est opinio: « dubium enim *negativum*, cum non repugnet certitudini morali late sumptæ, non impedit quin libertas vel obligatio haberi censeantur, perinde ac si illud ortum non fuisset, adeoque merito negligi potest ac debet: quod principium expresserunt theologi formula a jure deprompta: « in dubio melior est conditio possidentis » legis sc. vel libertatis » (1). Dubium autem *positivum* potest esse vel speculativum vel practicum. Dubium *speculativum* per se transit in practicum: interdum tamen impeditur ille transitus, interveniente lege quadam superiore, puta charitatis, religionis, justitiæ etc. Quodsi hoc ipsum vere dubium sit, utrum np. licite fiat ille transitus, recurrit tunc indirecte solutio per principia probabilismi (2). Ex dubio speculativo, si indirecte solvi non potuerit, sponte enascitur dubium *practicum* et vera incertitudo de objectiva moralitate actionis particularis. Videndum igitur an forte non adsit medium quo ipsum dubium remote practicum possit indirecte solvi, ita ut ex eo non sequatur dubium proxime practicum seu conscientia practice dubia, quacum, ut diximus, numquam licet agere. Jamvero varia media solutionis seu varia systemata proposuerunt theologi, inter quæ præplacet systema Probabilismi, quod ope principii certi: « obligatio incerta est obligatio nulla » indirecte solvit omne dubium positivum de honestate actionis particularis (3).

H. M.

---

(1) Bouquillon, *l. cit.*, n. 277.

(2) Bouquillon, *l. cit.*, p. 5[illegible]2 sqq.; Ill[s] ac Rev[s] Waffelaert, *l. cit.*, n. 193 sqq.

(3) Bouquillon, *l. cit.*, n. 286.

V

Q. *Explica conditiones requisitas ut obliget correptio fraterna.*

R. Cùm præceptum correptionis fraternæ sit affirmativum, non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis tantum et positis quibusdam conditionibus. Conditiones autem requisitæ ut obliget enumerantur tres scil. *necessitas*, *utilitas* et *possibilitas*.

**Explicatio.** 1/ **Necessitas**, quæ sane non intelligitur sensu lato, adæquate et omnibus attentis: secus enim esset sola conditio requisita reliquas omnes includens, cùm evidenter tunc solummodo facienda sit correptio fraterna quando est necessaria. Necessitas igitur hoc sensu restricto et speciali intelligitur, quod *certo constet adesse materiam correptionis* (1). *Ad hoc autem tria simul requiruntur:*

a/ *Moraliter certo constet proximum peccasse.* Unde non sufficit dubium, suspicio, timor aut incertus rumor; quia, cum correptio pudorem ingerat et sit odiosa, juste proximus conquereretur, si argueretur de peccato (2) quod non constat; dein sæpe imprudentes correptiones ex dubiis et incertis indiciis causant graves tricas et acres diuturnasque dissensiones. Imò factum peccati debet sponte et absque inquisitione innotescere, nisi tamen corripiens sit superior. Inquirere enim in vitam aliorum

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annot. in Tract. de Vir. theol.* Brugis 1900, n. 471.

(2) Propter quodnam peccatum correptio fraterna fieri debeat, exponitur proprio loco ubi de materia correptionis fraternæ. Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, n. 466 ss. Scil. omne peccatum *mortale formaliter commissum* est de se materia gravis et necessaria correptionis; veniale autem probabilius et sub levi sed rarius et fere per accidens, saltem pro privato correptore, ut patet ex conditionibus ad obligationem requisitis et in hac quæstione explicandis. Potest tamen in specialibus adjunctis pro superiore vel etiam pro privato adesse obligatio certa et gravis, quando nempe agitur de gravi damno communitatis vel proximi.

ad finem correptionis non est hominis privati sed superiorum; imo etiam apud illos inquisitio sane moderata esse debet: quare correptio stricte fraterna de casibus cuilibet obviis intelligitur, seu iis in rebus, quarum notitia nobis haurienda offertur (1).

b Requiritur quod *proximus moraliter certò seipsum nondum emendaverit vel sponte, quin corripiatur, sit emendaturus*, sed in peccatum relapsurus vel in eo mansurus prævideatur. Etenim eleemosyna, etiam spiritualis, danda est solummodo indigenti. Hinc si peccator sit timoratæ conscientiæ, ità ut merito credatur advertisse suum lapsum et velle ex animo resurgere, non est obligatio.

c *Nullus adsit alius æque vel magis idoneus qui moraliter certo et tempestive sit correpturus.* Ità si superior probabiliter correpturus sit, cessat obligatio inferioris vel ejus qui delinquenti æqualis est. Quodsi alii idonei officio desint, ad quemlibet aptum obligatio devolvitur.

2 *Utilitas* correptionis duo comprehendit: *primum* eam probabiliter non esse nocituram, impellendo nimirum delinquentem ad nova et graviora peccata (2); — *secundum*, omnibus attentis, adesse spem, non quidem certam sed probabilem, eam esse profuturam sive statim sive post aliquod tempus (3). Requiri spem emendationis manifestum est: cessante enim fine, cessat ratio operandi propter finem; finis autem correptionis fraternæ est emendatio proximi. Quodsi incertum remaneat utrum profutura sit an nocitura correptio, ab ea abstinendum est (quia præceptum negativum non no-

---

1 Cfr. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, Edit. IX, T. I, n. 613. Præterea talis inquisitio privatis foret onus intolerabile et multis scandalis, odiis et dissensionibus occasionem præberet.

(2) Hinc si corrigendus credatur tantum pudore afficiendus, aut futurus imposterum minus amicus, aut ad tempus exacerbandus, sed postea corrigendus, nec melior occasio expectari possit, omnino est corripiendus. Cfr. Billuart, *De Charitate*, Dissert. VI, Art. II. Vide tamen 3am conditionem.

(3) Cfr. Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.* Brugis, 1878, n. 472.

cendi proximo magis obligat quam præceptum affirmativum ipsi bene faciendi), nisi secus prævideatur proximus in statu peccati lethalis moriturus: tunc enim spes modica salutis prævalet periculo gravioris damnationis.

Ex hac conditione apparet raro urgere obligationem corripiendi peccatores *ignotos,* quia propter ignotam illorum indolem, vix adesse potest spes probabilis fructuosi exitus, imo aliquando exitus pejor timeri debet.

3 **Possibilitas** correptionis consistit in hoc quod fieri possit *absque nimio incommodo corrigentis:* charitas enim cum hujusmodi gravi incommodo non obligat. Incommodum autem illud pensandum est habita ratione necessitatis proximi, gravitatis delicti, probabilitatis fructus, necnon tituli unde oritur corrigendi obligatio. Ità si proximus delinquens correptione omnino indigeat, et magna affulgeat spes emendationis, corripiendus est etiam cum notabili corrigentis incommodo. Certum est non excusare periculum levis cujusdam indignationis quod sæpe adest: alias vix unquam corrigendi obligatio existeret.

*Nota.* Ab auctoribus quibusdam additur quarta conditio: *opportunitas* scil. in hoc sita quod eligatur tempus, locus etc. debita. Verùm hæc conditio ad præcedentes facile reducitur, ut ex traditis satis patet.

**Ex dictis resolves quoad praxim:**

1° Præceptum correptionis fraternæ graviter sæpe obligat *superiores* tùm quia duplici titulo charitatis scil. et officii seu justitiæ ad illam tenentur; tùm quia inquirendo correptionis necessitatem facilius perspectam habere possunt; tùm etiam quia auctoritate aliisque subsidiis utilitatem correptionis commodius procurare valent; tùm denique quia ad corripiendum haud ægre possibilitatem opportunitatemque inveniunt.

2° Quoad correptionem *inter privatos,* ex ipsa natura conditionum *simul* requisitarum sequitur, raro de gravi

obligatione corripiendi adeoque *subjective* de gravi negligentia constare. Ubi autem a parte rei tres conditiones simul verificatæ obligationem *objective* imponunt, valet tamen sequens resolutio practica Ballerini: « Si quis propter timorem, verecundiam, pusillanimitatem (quod in inferioribus maxime et in simplicioribus solet evenire) aut non se stricte obligatum advertit, vel se (quod frequentius erit) non idoneum existimat ad fratris delictum *emendandum*, quamvis ejusmodi timor et existimatio inanis sit, hic a gravi culpa excusatur (1) ». — Rarius adhuc *inferior* tenetur ad corripiendum superiorem.

3° In specie, *peccator* per se ad correptionem tenetur, licet per peccatum præcedens impedimentum quoddam afferatur ut notat S. Thomas (2): hujus enim monitio, nedum efficax sæpe nociva foret, præsertim si in ea materia corripiat peccator in qua ipse manifeste deliquit. — Item pro *scrupuloso* obligatio urgebit in solo casu extraordinario et omnino patenti, quia talis non recte judicat de proximi peccatis ac de correptionis utilitate, ità ut sæpe imprudenter ageret et haud levi incommodo obnoxius foret si in casibus ordinariis se obligatum esse putare deberet (3).

A. C.

## VI

*Q. In quibusnam missis infra aliquam Octavam dicenda sunt Præfatio et* **Communicantes** *huic octavæ propria, et quonam tono Præfatio est cantanda in iisdem missis cum cantu celebratis?*

R. I. *Quoad præfationem octavæ dicendam.* Præmit-

(1) Ballerini-Palmieri, *Opus theol.*, vol. II, p. 152.
(2) 2ª 2ᵉ, q. 23, a. 5 in corp.
(3) Cfr. Lehmkull, *l. c.*

titur rubrica 2, tit. XII, *Rubr. gen.* Missalis: « Præfationes dicuntur, ut in ordine Missæ annotatum est: et quæ... infra octavas propriæ assignantur, dicuntur etiam in Dominicis et festis quæ illis temporibus celebrantur; nisi illa festa propriam præfationem habeant ». Ex hac rubrica aliisque citandis sequitur præfationem propriam octavæ dicendam esse 1° in missa quæ celebratur de octava vel de die infra octavam; rubrica enim specialis in ordine missæ præfationibus præfixa, illas assignat, non tantum festis quibus sunt propriæ, sed etiam diebus octavæ illorum festorum.

2° In missa Dominicæ occurrentis infra octavam, quando missa ipsius Dominicæ est celebranda.

3° in missis conformibus officio festorum duplicium vel semiduplicium quæ infra octavam celebrantur, « nisi tamen illa festa propriam Præfationem habeant », quæ in casu est recitanda. Ita v. gr. si infra octavam B. M. V. occurrit festum Apostoli, in missa hujus festi dicenda erit non Præfatio de Beata sed de Apostolis. Præfatio autem propria octavæ dicitur etiamsi « occurrat festum ex majoribus non habens propriam præfationem... quamvis de ea nulla fiat commemoratio ». *Rub. 3, l. c.* Exempli gratia, festum S. Joachim (dup. 2 cl.) infra octavam Assumptionis occurrens, excludit commemorationem hujus octavæ, admittit tamen ejus præfationem.

4° In missa quæ aliquando celebranda est de feria majori vel vigilia infra octavam occurrentibus, dicitur præfatio octavæ propria, si in ea missa fit commemoratio octavæ; si autem hæc commemoratio omittitur, casu scilicet quo duæ missæ conventuales celebrantur, una de festo duplice aut semiduplice vel de octava, et altera de feria vel vigilia, non adhibetur præfatio octavæ, sed alia de tempore vel communis. Hoc patet ex rubricis specialibus Missalis positis ad 14 et 15 decembris pro casu quo feria IV Quatuor temporum occurrat infra octavam (14 dec.) vel in ipsa die octava (15 dec.) Im-

maculatæ Conceptionis B. M. V.; declaratur etiam decreto 5 Maii 1736 (1).

5° In missis votivis seu non conformibus officio diei, quæ infra octavam præfatione propria gaudentem celebrantur, dicitur etiam hæc præfatio octavæ, dummodo ipsa missa votiva non habeat propriam, juxta rubricam, tit. XII, n° 4 (2) et decr. generale 30 Junii 1896 (3). Hæc autem regula valet etiam pro missa votiva solemni pro re gravi et publica Ecclesiæ causa, in qua non nisi unica dicitur oratio sine commemoratione octavæ: « Præfatio dicatur *(in missa votiva solemni)* juxta Rubr. Miss. Tit. XII, n° 4, ita quidem ut infra quamcumque octavam etiam privilegiatam, Præfatio dicatur missæ votivæ propriæ, si habeatur, cum *Communicantes* de octava. » Ita decr. cit.

Casu quo duæ vel plures simul celebrantur octavæ, quæ singulæ suam præfationem propriam habent, in missis in quibus, ut supra, præfatio octavæ adhibenda est, sumitur ea propria octavæ *digniori*, seu illius octavæ de qua fit vel faciendum est die libera officium de die infra octavam.

« In missis defunctorum quocumque tempore semper dicitur Præfatio communis ». *(Rub., l. c., n° 4).*

II. Oratio *Communicantes* propria assignata pro festo ejusque octava, dicitur per totam octavam in omnibus missis quæ non sunt *de Requie*, etiamsi nulla fiat commemoratio octavæ juxta decr. N° 1333 ad 8 quo declaratur « *Communicantes* de Ascensione non omitti in festis 1 et 2 classis, quæ occurrunt infra octavam Ascensionis, licet de ea non fiat commemoratio »; et dicitur quidem in missis tum festivis, tum votivis

(1) N° 2319, *reliq. dub.*, 26.

(2) « In missis votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant, si vero non habeant, dicitur Præfatio de Tempore vel Octava, infra quam contigerit hujusmodi missas celebrari; alioquin, Præfatio communis ».

(3) N° 3922, § II, 3.

infra octavam celebratis, etiamsi Præfatio de octava non dicatur sed alia propria missæ. Ita juxta decretum 16 Junii 1663 (1), quo respondetur, casu quo celebranda sit missa votiva infra octavam, recitari debere « Præfationem de missa votiva dum propriam habeat, et *Communicantes* de infra octavam, quia est proprium de illo tempore infra octavam ». Idem statuit decr. 30 Junii 1896 supra citatum I, 5°.

III. Quonam tono Præfatio octavæ est cantanda in missis cum cantu celebratis? Duplex tonus habetur in Missali pro cantu Præfationum, solemnis et ferialis seu simplex. Tono solemni utendum est in omnibus missis cantatis officiorum quæ ritu saltem semiduplici celebrantur, scilicet in missis festorum duplicium vel semiduplicium, diei octavæ vel infra octavam, in missa Dominicæ, prout constat ex rubrica quæ diversis præfationibus in tono solemni notatis præmittitur. Item in missis votivis *solemnibus* pro re gravi et publica Ecclesiæ causa ab Episcopo vel de ejus consensu celebratis (2). Hæ missæ votivæ quæ unicam admittunt orationem sunt ritus duplicis et consequenter exigunt tonum solemnem, prout disponit rubr. l. c., n° 4: « quando aliqua missa votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur (*Præfatio*) in cantu solemni, ut in duplicibus »: et decretum gen. citatum 30 Junii 1896, § II, 3: « Præfatio (*in missa votiva solemni*) dicenda est in cantu solemni ». Etiam tono solemni cantatur Præfatio in missis votivis *privilegiatis*, seu missis divino officio non conformibus quæ ex speciali Sedis Apostolicæ gratia permittuntur vel etiam ejusdem auctoritate præscribuntur propter causam non semper publicam neque gravem sed convenientem seu rationabilem. Tales sunt, missa SS. Sacramenti in Oratione XI. Horarum vel Adorationis perpetuæ, missa votiva de

(1) N° 1265 ad 3.
(2) Cfr. Ill. Van der Stappen, *de rubricis missalis*, q. 206.

SS. Corde Jesu in feria VI, quæ prima in unoquoque mense occurrit. Hæ missæ votivæ privilegiatæ sunt ritus duplicis (1), ad instar votivæ solemnis pro re gravi.

Tono autem feriali cantatur Præfatio octavæ in missis de feriis majoribus vel vigilia, quæ occurrere possunt cantandæ infra aliquam octavam cum propria Præfatione octavæ, iis scilicet diebus quibus officium recitatur de die infra octavam et nonnisi unica missa est cantanda de feria vel vigilia, (supra I, 4°). Cum hæc missa sit ferialis, tonus Præfationis convenit ut sit ferialis. Idem tonus ferialis adhibetur in missis votivis privatis, quæ scilicet ex causa privata, nimirum speciali devotione aut desiderio sive celebrantis, sive ejus qui missam petit celebratur (2) in cantu. Hæ enim missæ, quamvis cantatæ etiam solemniter cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, sunt ritus simplicis et cantandæ in tono feriali. Ideo plures præfationes notantur tono feriali in missali cum rubrica addita: « *Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in missis votivis...* « de Sancta Cruce, de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de beata Maria, de Apostolis. Hic agi de votivis *privatis* patet ex rubrica 4 citata supra, qua præscribitur cantus solemnis pro votiva *solemni*; et ex decreto 20 feb. 1808 (3) quo decernitur in missa votiva de SS. Sacramento » *dummodo non sit solemnis* et pro re gravi, id est dummodo ea cantetur sine *Gloria* et sine *Credo*, Præfationem de Nativitate canendam esse tono feriali ».

Sed quid agendum si Præfatio alicujus octavæ adhi-

(1) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 207. Inter missas votivas privilegiatas etiam connumerari posset missa pro sponso et sponsa, quatenus privilegium habet ut in duplice celebretur. Ritus tamen ejus est simplex et consequenter tres saltem exigit orationes et cantum ferialem. Vide *Collat. Brugen.* 1896, p. 638 et seqq.

(2) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 208.

(3) N° 3168 ad 3.

benda in missa votiva privata, non inveniatur in Missali tono feriali notata? Casus occurrit pro missis votivis SS. Sacramenti, SS. Nominis Jesu et aliis quæ exigunt Præfationem de Nativitate et pro missis votivis propria Præfatione carentibus quæ celebrantur infra octavam Ascensionis vel feria sexta sequenti. Præfationes enim Nativitatis et Ascensionis non habent tonum ferialem in corpore Missalis. Quoad primam tamen, cautum est ab ipsa Congregatione Rituum quæ eodem decreto 29 febr. 1868 citato indulsit, « ut ad commoditatem Sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis et ultimo prorsus loco apponi possit Præfatio de Nativitate cum hac rubrica: « sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in missis votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine. » Hæc ergo Præfatio inveniri potest saltem in recentioribus editionibus Missalis (1). Quid autem si non reperiatur et quid agendum in missa votiva privata infra octavam Ascensionis, cujus Præfationis tonus ferialis nullibi describitur? Huic quæstioni respondent *Ephemer. liturg.* 1889, p. 332: Quod fieri potest fiat. Si peritia sua fretus feriali ratione valeat celebrans Præfationem canere, optime se geret: secus stet missali. Non enim obligari celebrans potest ad diversam ab ea, quam præ oculis habet, notationem exequendam ». (2)

H. V. D. W.



(1) Cfr. *Collat. Brug.*, 1896, p. 639.
(2) Cfr. Ill. Van der Stappen, l. c., q. 161.

# Dissertatio.

## De Consecratione pyxidis extra corporale positæ.

Non rarò contingit quod sacerdos ad altare accedens pyxidem afferat minoribus hostiis refertam, *intendens illam consecrare* in missa, quodque pyxidem *inadvertenter* ponat *extra corporale*, nec amplius per missam ad illam attendat. Passim anxiantur hujusmodi sacerdotes utrum minores hostiæ sint habendæ qua consecratæ, et possint populo distribui, an vero in alia missa sub conditione sint iterum consecrandæ.

Circa quam quæstionem practicam pluries interrogati, ut breviter mentem aperiamus, en quomodo, salvo meliori, eam solvendam opinemur. Nimirum:

1°/ Si *intrinsece dubia* est hujusmodi particularum consecratio, non possunt, excepto necessitatis casu, populo distribui, sed conservandæ sunt ut in alia missa iterum consecrentur sub conditione; « Si tamen non adsunt multæ hostiæ, a sacerdote sumi possunt post sumptum Sanguinem et purificationem, ante digitorum ablutionem, quod quidem magis placet S. Alph. (l. VI), n. 217 (1), quam earum conditionalis consecratio ». Lahousse, *Tractatus de Euchar. mysterio,* n. 92, ad 4$^{m}$.

2°/ Si vero *intrinsece certus* est dictæ consecrationis

(1) « ... Rationabiliter ait Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, lib. III, cap. XVIII, n. 6, ciborium denuò consecrandum; vel ut dicit Cont. Tournely in praxi illas particulas esse sumendas post Sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem: quia reliquiæ Sanguinis sunt certe sacramentum, sed hostiæ illæ in ciborio sunt dubiè. Censent autem Contin. Tournely et Croix posse eas etiam consecrari in alia missa sub conditione. Sed hoc mihi non placet, quia non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione cum jam sumi possint ». Alibi, in *Examen Ordinandorum*, n. 99, in simili casu simpliciter docet ciborium esse rursus sub conditione consecrandum.

valor, non debet nec potest iterari. Attamen, si sententiæ, minores hostias ceu invalidè vel saltem dubie consecratas habenti, quantumvis intrinsece improbabili, non deest probabilitas *extrinseca*, non esset culpandus sacerdos qui, *intrinsecam* hujusmodi sententiæ improbabilitatem non perspiciens, illa niteretur probabilitate *extrinseca*, eaque nisus iteratò consecraret sub conditione.

Jamvero quamplurimi Auctores contendunt, si non certò invalidam, ad minus *dubiam* evadere consecrationem hostiarum extra corporale, quin attenderit sacerdos, positarum, licet ad altare accesserit illas consecrare intendens (1). Ita plures citantur apud S. Alph., l. c., necnon apud *Vindiciæ Alphonsianæ*, pp. 380-384; quibus accedunt, inter recentiores, Gury, *Theol. Mor.*, II, n. 283; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, II, n. 125; Lahousse, op. cit., n. 92; Marc, *Institutiones Morales*, II, n. 1527; Aertnys, *Theol. Mor.*, II, n. 75; *Nouv. Rev. théol.*, 1902, p. 70 et seq. (2). Notandum est tamen hos Auctores non omnes eodem modo proponere casum, uti ex inferius dicendis innotescet.

Non est igitur negandum ampiam huic sententiæ

---

(1) « Plurimum disputatur de minoribus hostiis quas sacerdos initio missæ vel ante eam consecrare intendit, sed quæ, ipso inadvertente, remanserunt extra corporale, et quarum non amplius recordatur ». Lahousse, l. c., ubi eas iterum consecrandas esse docet. Ita etiam Tamburini, *De Sacrif. Missæ*, l. II, c. I, par. 3, cas. 4, n. 13 et 16: « Sacerdos celebraturus habet in sacristia intentionem consecrandi formulas; accidit autem ut illæ inclusæ in consueta pyxide collocatæ super altare fuerint a ministro, non autem super aram consecratam seu super corporale »; et, exposita utraque sententiâ, concludit rem esse dubiam et ideo, ait, « vel sub conditione in alia missa sunt consecrandæ, vel sumat idem sacerdos post assumptum calicem ».

(2) In contrarium citantur Leander et Præpositus, apud Diana, *Resolutiones Morales*, P. IX, Tract. VIII, resol. 64; Henno, *Theol. dogm., mor. et scholast.*, tom. II, *tr. de Euchar.*, disp. II, qu. VI, concl. 3, resol. 3; Gamachæus, quem memorat Bened. XIV, l. c.; Ballerini-Palmieri, *Opus theol.*, tract. V, n. 59-62; D'Annibale, *Summula*, III, n. 388, nota 39. Insuper Bucceroni, *Theol. mor.*, II, n. 516, et Gen. et *Instit. Theol. Mor.*, II, n. 174, ad 2°, valorem denegant argumentis S. Alph., sed hujus sententiæ adhærendum putant propter auctoritatem *intrinsecam*.

suffragari auctoritatem *extrinsecam*, sed valdè dubitamus de valore *intrinseco* argumentorum quæ a plerisque ex laudatis Auctoribus afferuntur; ac proinde, donec validiora opponantur rationis momenta, censemus *moraliter certam* esse particularum, de quibus quæritur, consecrationem. Revera en duplex quod adducitur argumentum :

**1m Argumentum.**

Sacerdos semper præsumitur non velle consecrare modo graviter illicito. Ergo omnis sacerdos præsumitur non voluisse consecrare pyxidem extra corporale repositam, cum sit actio graviter rubricas offendens. « Ratio est, ait S. Alph., l. c., cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, illam tu habuisse non præsumeris ».

**Respondetur.**

1°/ Præsumptionem cedere veritati, cum ex supposito constat de intentione a celebrante immediate ante missam explicitè efformata, absque mentione ulla restrictionis aut conditionis appositæ.

Aliud esset si sacerdos olim modo generali et semel pro semper ita restrinxerit suam intentionem consecrandi ut nunquam efficaciter velit consecrare cum gravi offensione rubricarum, et in specie quando hostiæ consecrandæ extra corporale ponuntur; tum enim intentio consecrandi alligaretur ad illius conditionis verificationem.

2°/ Insuper præsumptio falso laborat fundamento, et argumento nititur sophistico. Nimirum *ad Antecedens:* Quivis sacerdos præsumitur non velle actionem graviter peccaminosam, *Distinguo:* scienter et ad inordinationem attendendo, *concedo;* inscienter et inordinationem non advertendo, *nego*. Et *contradistinguo consequens:* Ergo quivis sacerdos præsumitur non velle consecrare ciborium extra corporale positum: advertenter et ad inordinationem attendendo, *concedo;* inadvertenter, uti in nostro casu, *nego*.

Hujusmodi præsumptioni posset forsan esse locus si sacerdos in accessu ad altare *advertisse ciborium esse extra corporale positum*; quo casu, nisi ob certò elicitam intentionem consecrandi præsumptio elideretur, juxta dicta sub 1°, sane intelligeretur in dubium posse vocari consecrationem.

In hunc sensum non immeritò forte explicares nonnullos auctores adversariis adnumeratos, uti Lacroix (1) et Contin. Tournely (2). Etiam Reuter, *Theol. Mor.*, Pars IV, tract. IV, cap. I, qu. 5ª, insistit, in hac utriusque hypotheseos distinctione, et dubiam censet consecrationem ciborii a sacrista, *advertente sacerdote*, extra corporale repositi, indubiam vero consecrationem ejusdem ciborii, casu quo sacerdos « ante intendisset hostias præsentes consecrare, *non advertens* esse positas extra corporale ».

Atvero in nostro casu, qualis in fronte hujus dissertationis describitur, in quo nempe supponitur celebrantem rite efformasse intentionem consecrandi, et pyxidem, ipso inadvertente, extra corporale fuisse relictam, argumentum a S. Alphonso allatum, quodque non pauci ante ipsum Auctores proposuerunt et post ipsum suum fecerunt, argumentum, inquam, illud utroque pede claudicat.

---

(1) « Si ciborium *te advertente* fuisset positum extra corporale, quamvis scivisses debere consecrari, si tamen consecrans non reflexisti te ad illas, probabilius videtur... non fore consecratas, quia noluisti consecrare extra corporale; hoc enim velle fuisset peccatum mortale, ergo videris tantum habuisse intentionem consecrandi, si assumeres in corporale ». *Theol. Moralis*, l. VI, p. 1ª, n. 458.

(2) « Aliter sentiunt (non esse consecratas particulas) bene plures si hostiæ vel inscio sacerdote in corporali positæ sint, vel extra corporale, *ipso advertente*, nec de illis rite collocandis deinceps cogitante... sunt tamen qui in utroque casu validam consecrationem admittant. Tutius nostro judicio sentiunt qui docent 1° hostias illas reverenter tractandas esse, quia rationabiliter dubitari queat annon consecratæ sint... 2° extra casum necessitatis curandum esse sacerdoti, de consecrationis hujus valore dubitanti, ut eas sumat post Sanguinem, aut si nunc plures sint, easdem vel ipse die postera conditionaliter consecret... vel ab alio sic consecrari satagat ». *De Euchar.*, P. I, cap. III, art. 2, sect. 1ª, concl. 2ª, qu. 3.

Cæteroquin si valeret argumentum, non videmus cur non posset applicari etiam casui quo sacerdos consecrans omiserit aperire pyxidem super corporale repositam, ita ut inde valor consecrationis evaderet incertus; quæ tamen conclusio passim repudiatur. Et sane licet consecratio pyxidis non discoopertæ non involvat inordinationem *gravem*, constituit tamen offensionem in rubricas, quam voluisse non est præsumendus bonus sacerdos.

Quinimo ipse Auctor A. H., apud *Nouv. Rev. théol.*, l. c., postquam vindicaverit argumentum S. Doctoris, illudque firmum consistere contenderit (1), huic, pagina sequenti, æquivalenter renuntiat. Nimirum in quæstione analoga utrum consecratæ censendæ sint hostiæ *extra aram* positæ, ubi S. Alph., post Bened. XIV, eadem ritens ratione, logice respondet negative (graviter namque illicitum est extra aram consecrare non secus ac extra corporale), ipse laudatus Auctor opinatur quod « le ciboire placé en dehors de la pierre d'autel pourra être considéré comme consacré, pourvu que pendant la consécration il se trouve sur le corporal » (p. 76); idque ideo quia, uti arguimus sub 1°, « l'intention présumée de ne pas consacrer d'une façon gravement illicite se trouverait annulée par l'intention virtuelle de consacrer le ciboire en question ». Ibidem.

**2m Argumentum.**

Etiamsi adesset intentio eaque absoluta consecrandi, non foret sufficiens nec efficax. Ex una namque parte ad consecrationem requiritur intentio *virtualis* nec sufficit habitualis, et ex alia parte non videtur in quo intentio illa virtualiter perseveret.

(1). « Nous pouvons conclure, nous semble-t-il, après tout ce qui précède que l'argument donné par S. Alphonse et par la plupart des théologiens anciens, garde sa valeur ».

« D'autre part, pergit Auctor A. H., l. c., p. 74, peut-on présumer avec quelque certitude que ce propositum (vel intentio consecrandi) perdure virtuellement, quand pendant la messe le celebrant perd entièrement de vue le ciboire en question? Pour la validité du sacrement l'intention habituelle n'est pas suffisante, c'est-à-dire celle qu'on a eue et qui n'a pas été retractée, bien qu'elle ne perdure plus dans une action quelconque. L'intention requise est au moins la virtuelle : virtualis autem dicitur quæ ex actuali præcedente relicta durat in aliqua actione vi illius incæpta et continuata. Cette intention se vérifie pour la messe si ex intentione... celebrandi vadas ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare... accedas, etsi interim omnia alia cogites. En vertu de cette intention la consécration de la matière principale du S. Sacrifice sera certainement valide. Peut-on en dire autant de la matière surajoutée, qui n'appartient point à l'essence de la messe? En quoi persévère l'intention de la consacrer, si on l'a eue positivement en commençant? »

**Respondetur.**

Illa intentio virtute perseverat, non secus ac ipsa intentio celebrandi, in omnibus ritibus et cæremoniis Missæ quæ peraguntur vi præhabitæ intentionis, quantumvis actualis intentio deficiat. Intentione enim consecrandi pyxidem assumuntur eo ipso particulæ in ea contentæ in materiam sacrificii celebrandi, sicut et ipsa hostia major, siquidem aliter consecrari nequeunt nisi sacrificaliter, seu in quantum materiam constituunt sacrificii offerendi. Omnes proinde ritus et cæremoniæ quæ ordinantur ad sacrificium perficiendum, æque ordinantur et diriguntur ad consecrandas hostias minores quam ad consecrandam hostiam majorem, cui, intentione consecrantis, in ordine ad sacrificium perficiendum, existunt intime conjunctæ seu quasi constituunt unam materiam.

Nec officit, uti immeritò contendit *Nouv. Rev. théol.*,

l. c., [1], quod ponantur extra corporale, ac adeo materiæ principali non uniantur *liturgice et facto:* hæc enim unio est materialis duntaxat et accidentalis, et sola unio efficax est unio *intentionalis* peracta *per intentionem celebrantis.*

**Conclusio.**

Censemus igitur hostias, de quibus quæritur, tutò posse haberi tanquam consecratas et populo distribui. Nulla enim videtur suppetere ratio seriò dubitandi de illarum præsentia morali, neque de existentia et virtuali perseverantia intentionis ministerialis ante missam elicitæ et validam consecrationem efficaciter operantis. Non esset tamen carpendus sacerdos, uti notavimus, cui intrinseca improbabilitas contrariæ sententiæ non est perspecta, si dictas particulas sub conditione iterum consecrandas curaret, attenta auctoritate extrinseca tot ac tantorum Doctorum aliter opinantium. Excipimus tamen ab hac nostra solutione, sicuti jam monuimus, casum quo sacerdos olim efformaverit intentionem generalem nunquam consecrandi hostias extra corporale positas: quam pravam ut omnes sequantur suadet Reuter, l. c.

A. D. S.

---

[1] « En quoi persévère l'intention de la (matière ajoutée) consacrer, sinon la sienne en commençant? Pas évidemment dans les rites même de la messe, à laquelle la matière ajoutée n'est pas liée en vertu de la liturgie. Mais si le prêtre en faisant l'intention de consacrer le ciboire, l'unit *de facto* à la matière principale du sacrifice, en le plaçant sur le corporal, comme le veut l'Église, alors on comprend que les actions dans lesquelles persévère virtuellement l'intention de consacrer la grande hostie, se rapportent aussi au ciboire, qui lui est liturgiquement uni ».

# Ex S. Congr. de Propaganda Fide.

## Utrum liceat extrahere e sinu matris fœtum ectopicum immaturum.

*Illust. ac Rev^me^ Domine,*

R. D. Carolus Lecoq, Decanus Facultatis Theologiæ in ista Universitate Marianopolitana, per litteras dici 12 Martii anni 1900 sequens dubium proponebat circa interpretationem resolutionum S. Officii quoad liceitatem extractionis chirurgicæ fœtus immaturi : « Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere fœtus ectopicos adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem ? »

Curæ mihi fuit fatum dubium solvendum transmittere eidem Supremo Tribunali S. Officii. Illi vero E^mi^ ac R^mi^ Patres Card. Inquisitores generales, in congregatione fer. IV die 5 vertentis mensis Martii, post maturam rei discussionem, sequens emanarunt responsum : « Negative, juxta Decretum fer. IV 4 Maii 1898, vi cujus fœtus et matris vitæ quantum fieri potest, serio et opportune providendum est; quoad vero tempus, juxta idem Decretum, Orator meminerit, nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis quibus ex ordinarie contingentibus matris ac fœtus vitæ consulatur. — Præsens vero decretum expediatur per Ordinarium. »

Hæc habui, quæ cum Amplitudine Tua hac super re, pro meo munere, communicarem : et precor Deum, ut Te diu sospitet.

Amplitudinis Tuæ

*Addictissimus Servus*
M. Card. Ledòchowski, *Præf.*
Aloysius Veccia, *Secret.*

20 Martii 1902.

*Ad Archiepiscopum Marianopolitanum.*

**Adnotationes.** Præsens solutio, a C. S. O. data et a S. Congr. de Prop. Fide transmissa, logice deducitur ex generali decreto Supremi Tribunalis Inquisitionis, diei 4 Maii 1898, quod relatum videsis apud *Collat. Brug.*, III, p. 491.

Ibidem nimirum docetur *laparotomiam* (1), ad extrahendos conceptus *ectopicos* (2), non esse licitam nisi « fœtus et matris vitæ, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur »; fœtus autem, ante sextum inde a conceptione mensem exsectus (3), vitæ extra sinum matris degendæ est undequaque incapax, ac proinde ejus ex sinu materno extractio est directe occisiva et verum constituit abortum directe procuratum, cujus illiceitatem jam diserte proclamavit S. Officium in decreto 24 Julii 1895 (4), et in memoriam revocavit in modò relato decreto 1898.

---

(1) Laparotomia est terminus genericus adhibitus pro quacumque sectione chirurgica partis anterioris abdominis. Cf. Littré, *Dictionnaire de médicine.*

(2) « *Ectopici-conceptus* ii dicuntur qui extra suum naturalem seu legitimum locum obtinent. Locus autem naturalis in quo, stante generationis lege, conceptus fiunt atque foventur, maternus est uterus seu matrix. Quare qui extrauterinus est ectopicus habetur. Fieri enim potest, cum natura per peccatum corrupta in multis sæpe deficiat, ovulum, semel a virili semine fœcundatum, in ovario aut oviductu sistere atque inhœrere, vel etiam in vicinas corporis partes aberrando foveri ». Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicæ*, ed. 1902, p. 452. Pro vario autem loco in quo contingit ovum fœcundatum versari ac evolvi, conceptio dicitur ovariana, tubalis vel abdominalis. Cf. Eschbach, *Casus de ectopicis seu extra-uterinis conceptibus*, 1894; *Nouv. Rev. théol.*, XXXI, p. 275 et seq.

(3) « Quant à la limite minima à établir au point de vue de la viabilité, elle est fixée par la loi au 180e jour...; mais cette viabilité médico-légale ne concorde pas tout à fait avec la viabilité médicale, puisque ce n'est guère qu'à partir du 200e ou 210e jour que le nouveau-né est réellement bien viable.

Malgré les perfectionnements apportés par Ternier dans ces dernières années à l'élevage des prématurés, c'est-à-dire des enfants nés avant terme, malgré l'emploi de la couveuse, du gavage, les enfants qui naissent au cours du 7e mois n'ont guère chance de vivre ». Ribemont et Lepage, *Précis d'obstétrique*, Paris, 1896, p. 126. Cf. Ill. ac Reverum Waffelaert, *De Justitia*, II, n. 92.

(4) Cf. *Collat.*, I, p. 88-90.

Profectò laparatomia, peracta in matre ectopice prægnante, postquam proles jam vitalis evasit, non est per se damnanda: tunc enim nihil aliud est quam partus acceleratio, quæ per se licita declaratur, « dummodò perficiatur justis de causis et eo tempore et modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris et fœtus vitæ consulatur » (1). Attamen, propter singularem quæ hujusmodi laparotomiæ inest difficultatem chirurgicam, peculiari prudentia est opus, nec ad illam est procedendum, uti monet laudatum decretum 1898, nisi « necessitate cogente ». Quæ cæteroquin necessitas passim aderit in casu, cum ex una parte ectopica prægnantia plerumque grave pro matre constituat periculum, et ex alia parte vix aut ne vix quidem locus esse possit naturali partui, adeo ut, præter descriptam operationem chirurgicam, nullum aliud præsto sit remedium salvandi matrem et vitæ consulendi prolis tam corporali quam spirituali.

A. D. S.

# Ex S. Congr. Indulgentiarum

## ORDINIS MINORUM CAPUCCINOR.

### Circa visitationem ecclesiæ pro Tertiariis sæc. S. Francisci ad lucrandas Indulgentias.

Minister Provincialis Ord. Minorum Cappuccinorum in Sabaudia huic Sacræ Indulgentiarum Congregationi exposuit Sodales Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci ad lucrandas Indulgentias eidem Tertio Ordini tributas teneri ad visitandum aliquam determinatam Ecclesiam. Jam vero, quum plures extent Sodales præfati Ordinis, qui in aliqua Communitate degentes moraliter impediuntur quominus

(1) Cf. decr. 1898, ad 1m.

praescriptam Ecclesiam visitent, ut istorum spirituali bono provideatur, sequentia dubia proposuit:

I. An tertiarii qui degunt in Seminariis, Collegiis, Hospitalibus, carceribus, aliisque similibus domibus, quae semipublicum habent Oratorium, Indulgentias acquirere possint, dummodo moraliter sint impediti, illud visitando, loco visitandi Ecclesiam parochialem, vel Ordinis, vel illam in qua erecta est Sodalitas aut Oratorium publicum Tertii Ordinis?

Et quatenus negative:

II. An expediat per generale Decretum praefatam gratiam concedere, ne Tertiarii in praedictis domibus degentes tanto thesauro priventur?

Eti Patres in Aedibus Vaticanis convocati die 15 Julii 1902 responderunt:

Ad Ium Providebitur in IIo.

Ad IIum Supplicandum SSmo pro gratia.

SSmus vero Dnus Nr Leo Pp. XIII audita praedictorum relatione ab infrascripto Card. Praefecto in Audientia diei 18 Julii ejusdem anni, Emorum PP. resolutiones approbavit et petitam gratiam benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 18 Julii 1902.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden. *Secr.*
Jos. M. Canus Coselli, *Subst.*

**Adnotationes.** In Summario authentico indulgentiarum Tertii Ordinis S. Francisci plures enumerantur indulgentiae tam plenariae quam partiales, sub conditione visitationis ecclesiae alicujus lucrifaciendae. (1)

Ubi permittitur visitatio cujuscumque ecclesiae vel oratorii publici, non sufficit tamen, absque speciali indulto apostolico (2), visitatio alicujus oratorii semipublici. Nam ad implendam hujusmodi conditionem,

(1) Vide *Collat. Brug.*, t. VI. pp. 611 sq., 621 et 623.

(2) Hujusmodi indultum concessum est pro diaecesi Brugensi Cfr. *Calendarium liturgicum*, p. 8.

publicum non est censendum oratorium sive in monasteriis, sive in seminariis aut aliis conventibus, canonice dedicatum, ad quod tamen christiana plebs publice non solet accedere » (1).

Ubi autem designatur ecclesia quædam determinata v. g. ordinis S. Francisci, aut parochialis, etc. ecclesia *hujuscemodi* necessario visitari debet.

Verum Tertiarii qui degunt in seminariis, collegiis, hospitalibus, carceribus aliisque similibus domibus quæ non publicum sed semi-publicum habent oratorium sæpe impediuntur quominus visitationem debitis stipatam conditionibus instituant:

a/ Si in oratorio hujusmodi domus debita licentia et auctoritate erecta fuerit Sodalitas Tertii Ordinis, poterunt satisfacere visitando proprium oratorium in quo est sedes sodalitii;

b/ Si secus, illi qui *ratione infirmitatis* a visitanda ecclesia debita impediuntur, possunt a confessario obtinere commutationem visitationis (2);

c/ Alii autem, qui alio impedimento v. g. servitii aut regulæ communis, detinebantur quominus ecclesiam extraneam visitarent, indulgentias lucrari non valebant. Ne autem deinceps hanc indulgentiarum jacturam pati debeant, concedit Romanus Pontifex decreto generali ut hi omnes qui, in præfatis domibus degentes, moraliter a visitanda ecclesia determinata impediuntur, satisfacere possint *visitando proprium oratorium semi-publicum*. Hoc autem in specie valet de indulgentia *Portiunculæ* nuncupata, toties quoties lucrifacienda die 2 Augusti (3).

C. C.

---

(1) Cfr. *Decret. Authent.*, n. 310.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, VI, p. 623-24.
(3) Cf. Ibid. p. 621.

# Consultationes.

## I

An nunquam licet usus incensi in missa cantata sine assistentia Diaconi et Subdiaconi?

Hæc quæstio olim disputata inter auctores jam soluta dicenda est ex decretis S. R. C. quæ prohibent incensationem, nisi habeatur speciale indultum (1). Quæ prohibitio etiam sustinetur, quando usus contrarius obtinet, et pro missis cum expositione SS. Sacramenti celebratis: ad dubium enim (2): « In missa quæ cum cantu celebratur, sed sine ministris sacris, omnes incensationes omittendæ sunt. *Usus* tamen *contrarius prævaluit in his regionibus*. Sed quatenus hæc consuetudo non sit tolerabilis, omittendæ ne sunt etiam in missa quæ cum expositione Venerabilis celebratur »? Respondet S. C.: « In missa quæ cum cantu, sed sine ministris celebratur, incensationes *omnes* omittendæ sunt; si vero, dum hæc missa cantatur, SS$^{mum}$ Sacramentum, super altare est expositum, incensationes *in missa* pariter omittendæ sunt; et SS$^{mum}$ Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum et antequam deponatur ». Item pro Diœcesi Cauriensi allegatur « *consuetudo fere immemorialis* quæ supprimi non posset sine offensione et scandalo populi » et « quæritur an saltem ubi sit prædicta consuetudo, tolerari possit usus incensi in missis quæ cantantur sine ministris sacris, si hi inveniri non possint »? Respondet autem S. C.: « Negative sine speciali indulto ». (3) Exceptio tantum admittitur pro missa Præsanctificatorum fer. VI in Parasceve pro incensa-

(1) Decr. *Urbis*, 19 Aug. 1651, (nº 937) ad 3; 18 Dec. 1779, (nº 2515) ad 8.

(2) Decr. in Zacathecas 18 Martii 1874 ad I.

(3) 9 Junii 1884, nº 3611, ad 6.

tione Altaris et oblatorum, juxta *Memoriale Rituum Benedicti XIII* pro minoribus ecclesiis: quæ incensatio tanquam ritus specialis huic officio proprius censeri debet, non in exemplum deducenda, eo vel magis quod idem Memoriale in aliis missis cantatis, ex. gr. Fer. V in Cœna Domini et Sabbati Sancti, nusquam de incenso adhibendo mentionem habeat —. [1]

H. V. D. W.

II

Q. Titius parochus ægrotus jam non valet missam celebrare: coadjutorem habet, qui singulis dominicis binare debet: hic primam missam privatam dicit in sacello monasterii eumque, juxta votum parochi, applicat pro grege, quin tamen ab illo stipendium recipiat: Summum Sacrum deinde cantat in ecclesia ad intentionem quamlibet, e suggestu, populo mirante, prius annuntiatam, hujusque missæ percipit stipendium. Quæritur **utrum legitimus sit ille modus agendi.**

**Respondetur.**

Multiplici ex capite damnandus est ille modus agendi:

1 *Quoad modum adimplendi obligationem celebrandi pro grege.* Evidenter excusatur Titius ab obligatione, quatenus est *personalis:* deinde, cum missa reapse applicetur gregi, satisfit obligationi, prout est *realis*, ac proinde ex hac parte locus non est restitutioni seu missæ suppleri non debent: sed non impletur obligatio, quatenus est *localis* et quatenus *solemnitas* jure diœcesano exigitur: scilicet læditur et materia in casu dici nequit levis virtus obedientiæ, cum violetur præceptum ecclesiasticum tum generale, quod præscribit missam pro populo esse celebrandam *regulariter in ecclesia parochiali*, tum particulare, quod determinat *solemne sacrum* esse offerendum pro grege. Porro nulla in casu

(1) Ill. Van der Stappen, de Rubricis Missalis, q. 478.

apparet causa, quæ excuset parochum illas circumstantias præcepti regulariter omittentem. Vide *suprà* p. 526 sqq. — Adde *scandalum* apud parochianos, uti patet ex expositis a consulente.

2° *Quoad stipendii determinationem:* profectò eluditur *indirecto modo* prohibitio Ecclesiæ recipiendi stipendium pro altera missa in casu legitimæ binationis. Cfr. *Collat. Brug.*, T. III, p. 457 sqq., coll. p. 339 sqq. In casu enim proposito percipitur utriusque missæ a legitime binante celebratæ stipendium, cum de facto parochus sibi retineat stipendium quod tenetur solvere pro prima missa, celebrata pro grege, et nihil refert quod ipse celebrans unum dumtaxat percipiat. Attamen non est facienda restitutio offerenti stipendium, siquidem huic non fiat injuria (1); sed defraudatur opus scholare, cui integrum stipendium pro altera missa perceptum impendi debet.

Ex dictis satis patet coadjutorem parocho talia imperanti vel consulenti obtemperare nec debere nec posse. Porro res sic componantur: celebretur summum Sacrum pro grege, et parochus solvat stipendium illius; missæ verò privatæ intentio sit libera, vel si non sit libera, stipendium integrum scholis catholicis impendatur, ad tramites indulti Pontificii die 28 Octobris 1901 pro diœcesi Brugensi ad triennium renovati (2).

H. M.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, T. III, p. 464, ubi etiam notatur nullam pœnam specialem a jure statutam esse contra dictæ prohibitionis violatores, sed arbitrio Episcopi esse relictam.

(2) Epist. ad Clerum adnexa litteris Quadrag. 20 Jan. 1902. Cfr. *Collat. Brug.*, T. III, p. 462 sqq., T. VI, p. 494 sq.

# Libri dijudicati

J. Opdedrinck. **Het Mirakelbeeld van Onze Lieve Vrouw vereerd in S. Janskerk, te Poperinghe**, K. Van de Vyvere-Petyt, te Brugge. Prijs: 2.50 fr.

In ecclesia S. Joannis, in oppido Poperingensi maxima veneratione colitur imago quædam Virginis Deiparæ, ob factum memoratu plane dignum celeberrima.

Jacquemina Bayart, uxor Rassonis Van Hove, « *die Dominica 11 Martii anni 1479* » (veteri stylo) prolem quamdam edidit mortuam quæ in parentum horto sepulta fuit. Vehementer dolebat mater prolem baptismi gratia caruisse, qua ut gaudere posset, una cum aliis Deum deprecata est. Instantia parentum, « *mercurii die sequenti, quæ erat 14 dies ejusdem mensis* », opera alicujus honestæ et piæ feminæ, voto emisso, corpusculum e sepulchro extractum est. Et « quia tam labiorum rubedine quam oculorum apertione et aliis veris indiciis et signis dicta proles vitam habere dicebatur, ad ecclesiam S. Joannis... delata est et, antequam baptizaretur plura vitæ signa iterato monstravit, tam emissione sanguinis ab umbelico, quam oculorum apertione, manuum extensione et sudoris emissione, in eadem ecclesia S. Joannis *ante altare B. Mariæ Virginis*, ubi per spatium unius horæ et amplius reposita exstitit ante baptismum; tandem... tanquam vitam habens baptizata fuit et eidem nomen Jacobus impositum, et a pluribus ejusdem loci parochianis promiscui sexus de sacro fonte suscepta et ad domum parentum reportata, per horam vel circiter vixit ante ignem posita, sudores tam in fronte sua quam aliis corporis partibus emittens, et tandem colore mutato et in negredinem verso et resoluto expiravit. » (1) Parentes et fideles

(1) Ex litteris publicis approbationis infra citandis.

beneficium Beatissimæ Mariæ intercessioni acceptum constanter retulerunt.

Nonnullis forsan videri posset factum hoc accensendum esse permultis similibus narrationibus, quæ de B. Mariæ Virginis patrocinii miraculosis signis, passim in antiquis jam collectionibus manuscriptis aut editis leguntur (1) et quarum nonnullæ certe vel mythis vel legendis sunt adnumerandæ. Verum in præsenti casu factum illud mirabile nititur testimoniis et documentis publicis, coævis et quæ videntur omni fide digna. Mense enim Martio anni proxime insequentis 1480 (juxta veterem stylum), Johannes Monyssart, Decanus et Vicarius Generalis Ecclesiæ Morinensis, ad oppidum Poperingense venit ut veram de singulis informationem faceret, et, si reperta veridica forent, auctoritate Episcopi Morinensis approbaret. Auditis igitur et notatis, per tres dies, triginta septem testium depositionibus (quarum attestationes infeliciter hodiedum non fuerunt repertæ), perpensis deinde « physicorum, theologorum et jurisperitorum super præmissis omnibus consultorum relatibus et assertionibus », tandem, die 12 junii anni 1481, omnia præfata veridica esse declaravit et « pro miraculo » laudavit et approbavit, litteris publicis quæ originales adhuc asservantur.

Præstantissimi hujus documenti momentum non fugit auctorem qui merito imaginem illius lithographicam expressit, atque textum latinum et versionem flandricam adjecit. De valore et authentia hujus documenti dubium moveri nequit, licet tamen errorem chronologicum contineat notatu dignum. Notum est, usque ultra medium sæculum XVI^m^, tempora in Flandria et Gallia generatim notata fuisse juxta computum seu *stylum*, ut aiunt, *Paschalem,* qui pro pluribus mensibus ab hodierna computatione discrepabat. Annus enim civilis inchoabatur et consequenter anni numerus mutabatur

(1) De his cf. KAULEN v° *Marienlegenden* in *Kirchenlexikon*, t. VIII.

in Sabbato Sancto, post benedictionem cerei paschalis. Proinde omnes dies a 1ª Januarii ad officium Sabbati Sancti, medio ævo annumerabantur anno præcedenti, nunc vero anno sequenti. Proles igitur quæ stylo veteri dicitur nata 11 Martii 1479 ante Pascha, revera — quod non animadvertit auctor — nata est 11 Martii *1480* (1); inquisitio canonica instituta est, ante Pascha, mense Martio *1481*, et litteræ datæ sunt mense junio ejusdem anni 1481, *quindecim vix mensibus post eventum*. Et tamen error chronologicus invenitur: nam dies *11 Martii*, anno 1480, non erat *dies Dominica*, ut habet documentum, sed dies sabbati; item dies Mercurii non erat 14 Martii sed dies 15 (2).

Exinde nunquam cessavit plebs fidelis summa fiducia et veneratione colere imaginem Deiparæ miraculosam. Ecclesia et altare magnificentius exornata sunt; concessæ sunt permultæ piæ fundationes; peregrini, undequaque accurrentes, in memoriale domum referebant numismata vel cartaceas illas imagines in formam vexilli triangularis concisas quas olim in præcipuis sanctuariis divendere solebant; solemnis processio instituta et annue celebrata; determinatis per annum diebus cæremoniæ speciales et festivitates religiosæ agebantur; miraculosi eventus centenariæ commemorationes magna processione, solemni pompa et variis scenicis miraculi repræsentationibus celebratæ sunt annis 1680, 1778 et 1879. Hæc et alia diligentissimus auctor, qui per viginti annos historiæ Poperingensis documenta pervolvere et ex parte in optimam lucem edere curavit, dilucide, pie et — quod minimum non est — debito judicio critico ex documentis fide dignis collegit et exposuit. Pluribus imaginibus phototypicis illustratum opus et arti et scientiæ historicæ et pietati fovendæ aptissimum est.

---

(1) Merito igitur jubilæum prima vice celebratum fuit anno 1680.

(2) Minus adhuc hæc conveniunt anno 1479.

Quare libenti animo et plene subscribimus verbis clarissimi Godefridi Kurth : « Le travail de Mr Opdedrinck bien étudié, bien documenté, peut être considéré comme un modèle de monographie religieuse et contient des renseignements pleins d'intérêt pour l'histoire générale des mœurs et de la civilisation ». (1)

Utinam aliæ ecclesiæ et imagines quæ in nostra diœcesi celebriores coluntur, sacerdotem inveniant historiographum qui iisdem laudibus dignus habeatur! (2)

C. C.

---

Dans notre dernière livraison (p. 557 svv.) nous avons donné un compte-rendu de la nouvelle édition du Commentaire de **S. Matthieu** par Monsieur le Chanoine VAN STEENKISTE, Curé-Doyen à Bruges.

Voici en quels termes Sa Grandeur Mgr WAFFELAERT, Évêque de Bruges, recommande cet ouvrage :

Évêché DE Bruges — Bruges, le 26 Septembre 1902.

M. LE DOYEN,

Je connais de vieille date votre important travail sur S. Matthieu : c'est le fruit de longues années d'enseignement, et j'en apprécie tout le mérite.

Les recherches qu'a occasionnées la nouvelle édition et les nombreuses additions que vous y avez faites, rendront votre commentaire plus utile au clergé, à qui il a déjà rendu tant de services.

La **Series homiliarum in Evangelium**, qui forme une des principales sections du dernier volume, est destinée spécialement aux prédicateurs : ils y trouveront une ample moisson de sujets, des mieux choisis, pour leur homélies dominicales.

Agréez, Monsieur le Doyen, avec les vœux que je forme pour le succès de cette nouvelle édition de votre beau commentaire, l'expression de tous mes meilleurs sentiments.

† G. J. Évêque de Bruges.

---

(1) *Archives Belges*, 1e année, p. 114.

(2) Ad rem notat auctor p. 9 : « Tijdens de XVIIe eeuw, zochten eenige Paters Jesuiten de oorkonden op nopens kerken en kapellen waar mirakelbeelden van Onze Lieve Vrouw berustten. Eene verzameling van handschriften (nº 20,614) ter koninklijke bibliotheek, te Brussel, bewaard, bevat menige handvesten aangaande dit voorwerp. »

# Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII LITTERÆ APOSTOLICÆ QUIBUS CONSILIUM INSTITUITUR STUDIIS SACRÆ SCRIPTURÆ PROVEHENDIS.

## LEO PP. XIII

### AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vigilantiæ studiique memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque præstare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno MDCCCXCIII dedimus, quibus complura de studiis Scripturæ sacræ data opera complectebamur. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, præsertim cum horum temporum eruditio progrediens quæstionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temerariis, aditum januamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commonefecimus quæ cujusque pro facultate sua partes in hac caussa forent; accurateque persequuti sumus qua ratione et via hæc ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum hujusmodi documenta Nostra cecidere. Jucunda memoratu sunt quæ subinde sacrorum Antistites aliique præstantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad Nos maturaverint; cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quæ in hoc genere catholici homines re deinceps præstitere, excitata passim horum studiorum alacritate. — Verumtamen insidere vel potius ingravescere caussas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necesse est igitur illa ipsa jam impensius urgeri præscripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum diligentiæ etiam atque etiam volumus commendatum.

Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostræ subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiæ varietate tamque multiplici errorum forma, majus quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adjuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicæ. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiæ genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de caussis placet, certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Hujus Consilii præcipuam sedem esse addecet Romæ, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quæ Urbs magistra et custos est christianæ sapientiæ, ex eadem in universum christianæ reipublicæ corpus sana et incorrupta hujus quoque tam necessariæ doctrinæ præceptio influat. Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, hæc proprie habebunt suæ navitati proposita.

Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin imo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operæ in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio existere, inde etiam nobis quærenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligentiamque adhibeant. Idque præsertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturæ intelligentia ab externæ eruditionis apparatu sit in primis quærenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quæ fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum judicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiæ interpretandas tradidisse: « in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, eum pro vero sensu sacræ Scripturæ habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » (1): eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticæ leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinæ Scripturæ sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur præter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adjumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticæ disciplinam, quippe percipiendæ penitus hagiographorum sententiæ perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam judicii imbibant: siquidem in hanc sæpe recidit artificium illud criticæ, ut aiunt, sublimioris; cujus periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

---

(1) Conc. Vatic. sess. III, cap. II, *De revel.*

Tertio loco, in eam studiorum horum partem quæ proprie est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanæ hermeneuticæ leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla extiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiæ, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Jamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuæ caritatis terminos; neve inter disputandum ipsæ revelatæ veritates divinæque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare hujus disciplinæ progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, præcipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quæstiones; ad easque finiendas qua lumen judicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicæ Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum judicio relinquendum sit.

Quod igitur christianæ veritati conservandæ bene vertat, studiis Scripturæ sanctæ promovendis ad eas leges, quæ supra statutæ sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deligendis: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adjungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alios ex alia gente, viros quorum a doctrina sacra, præsertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quæ dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse.

Quæcumque vero res consultæ communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus juvandis laboribus supellex opportuna suppetat, jam nunc certam Bibliothecæ Nostræ Vaticanæ ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re Biblica collectam ex omni ætate copiam, quæ Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque præsidiorum valde optandum est locupletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris; atque ita peropportuno genere officii Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiæ navare operam velint.

Ceterum confidimus fore, ut his cœptis Nostris, utpote quæ christianæ fidei incolumitatem sempiternamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde faveat; ejusque munere, Apostolicæ Sedis in hac re præscriptionibus catholici, qui sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

Quæ vero in hac caussa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et jubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxx Octobris anno MDCCCCII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

A. Card. Macchi.

# DIVI BONAVENTURÆ

## DOCTORIS SERAPHICI

## Paraphrasis ascetica Orationis Dominicæ.

### Prævia notatio.

Cum Oratio Dominica sit quovis titulo omnium longe præstantissima, nihil mirum plures e Sanctis Ecclesiæ Patribus ac Doctoribus, multosque alios Theologos atque vitæ spirituales Magistros eamdem orationem, non obiter tantum, sed ex professo et fusius esse interpretatos; ut nihil dicamus de enarratoribus S. Scripturæ qui, quotquot in evangelia secundum S. Matthæum et S. Lucam scripserunt, eamdem orationem ibidem recitatam explicarunt.

E Patribus præclara in Orationem Dominicam commentaria conscripserunt Tertullianus et S. Cyprianus, e Doctoribus Angelus scholæ, S. Thomas Aquinas (1); sed nullus forte suavius quam S. Bonaventura, cujus devotissimam ac vere mellifluam paraphrasim (2), in gratiam dilecti Cleri, non sine optima spe fructus tum maximæ utilitatis tum voluptatis spiritualis, hic subjicimus, secus non ita facile à lectoribus nostris forte inveniendam.

Hanc tanta devotionis suavitate conspersam Seraphici paginam meditationi Cleri proponendam eo potiori jure censuimus, quod Orationem Dominicam præ cæteris populum christianum edocere omni cura ac diligentia debemus, eamque sæpius tum pueris in catechesi, tum fidelibus e cathedra sedulo exponere, ut cum rerum tam sublimium doctrinæque tam copiosæ, ea precandi formula contentarum,

---

(1) Hæc tria commentaria edidit Hurter, *SS. Patrum Opuscula selecta*, t. II; quæ quidem series opusculorum, clero utilissima, in multorum sacerdotum nostrorum manibus versatur, omnium vero manibus teri summopere optamus. — Ibidem, t. VII, p. 130 et sqq., brevem explicationem Orationis Dominicæ reperire est a S. Cyrillo Hieros. conscriptam.

(2) Invenitur inter Opera S. Doctoris, supplem. vol. III.

intellectu, adeoque et majori fructu meliorique affectu orare discant. Quin imo, cum nos ipsi tam sæpe quotidie hac oratione utimur, et omnes diei horas in Officio canonico eadem prece incipimus ac finimus, quam et in aliis horarum partibus non infrequenter repetimus, atque in ipso sacrosancto sacrificio offerendo recitamus, nonne est cur sæpius eamdem meditemur, quo reliquis etiam fidelibus attentius et quam perfectissime oremus cum Christo atque ore ipsius Christi:

1. *Pater noster*. O immensa clementia! O ineffabilis benignitas! O mira dignatio! O longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum caritatis divinæ (1)! Vilissimum lutum sum, detestabilis sanies, nequissima creatura; et tamen Deus Deorum (2), Dominus Dominantium et Rex Regum (3), se meum Patrem dicit. *Cum oratis*, inquit, *dicite: Pater noster* (4). Ex quo hoc dicit ipsa veritas, verissimum est. Et scio quod plus sine comparatione me diligit, quam pater carnalis, vel mater: immo quam ego ipse. De tanto ergo Patre elevabitur cor meum, ut aquila (5), et jam hæres cœli omnia inferiora contemnam. Quid ultra mihi de terrenis hominibus (6), qui sum filius Dei? Majus dedecus esset mihi appetere quantumcunque magnum honorem quam filio Imperatoris appetere latrinæ officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis, qui regni æterni sum hæres? Ignominiosius esset mihi de quantumcunque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenito Imperatoris de fimo equorum suorum. Quid ultra mihi de deliciis carnalibus et terrenis, qui hæres sum summi boni? Detestabilius esset mihi affici in quantumcunque allectiva creatura, quam filio Imperatoris in fœtidissima sanie.

---

(1) *Ad Ephes.*, III, 18.
(2) *Psalm.* XLIX, 1.
(3) *Apoc.*, XIX, 16.
(4) *Luc.*, XI, 2; *Matth.*, VI, 9.
(5) *Job*, XXXIX, 27.
(6) *Al.* honoribus.

2. Accedam ergo ad Patrem meum, quia nihil aliud mihi, quam ut habeam eum. Nunquid negligens ero? Nunquid pausabo? Nunquid aliis intentus ero? Certe eum inquam, omnibus postpositis, curram ad eum. Sufficit mihi, si habeam Patrem meum: et ideo toto corde intendam in eum. Non aliud aspiciam, nec aliud videbo, nisi Deum meum; quia oculus mentis meæ totus intendit in eum, quoniam nimis allexit animum meum.

3. Dicam ergo: *Pater noster*. O mel et favum in ore meo (1)! cum te Deum meum Patrem meum voco. O dulcedo indicibilis! O jucunditas inæstimabilis! O jubilatio mirabilis! audere te Patrem vocare. O exultatio! O admiratio! O medullarum modulatio! Pater meus es tu (2). Quid ultra procedam? Quid ultra dicam? Quid ultra petam? Pater meus es tu.

4. Sed ubi es, Pater mi, ubi es? Si ubique es, immo quia ubique es, quomodo tibi cœlum sedes est (3)? Sed ideo, o benignissime Domine, vis ut dicamus: *Pater noster qui es in cœlis*, ut nos a terrenis ad cœlestia elevet, nos maxime tua potentia, sapientia, et bonitas elevavit; et ut fiat, mi Pater, sit semper conversatio nostra (4); et ut a te cœlestia, non terrena petamus.

5. *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctificetur, Domine, nomen tuum, quod ab æterno in se sanctissimum est, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus et sentimus, totum ad sanctissimi tui nominis notitiam ordinemus, ut sic in nobis nomen tuum sanctum sit, et purum, et excussi, et purgati ab omni cupiditate, et vanitate, et ab omni inutili phantasia, te solum in omnibus agnoscamus; semper mentis nostræ oculos ad te lumen æternum incessanter dirigamus; et

(1) *Eccli.*, XXIV, 27.
(2) *Ps.* LXXXVIII, 27.
(3) *Act.*, VII, 49.
(4) *Ad Philip.*, III, 20.

semper te, qui in omnibus es, et a quo omnia sunt, in omnibus intueamur. O quam dulce lumen! O quam delectabile oculis, a te sole justitiæ nunquam mentis intuitum amovere! O quam dulcis, quam amabilis, quam admirabilis oculis nostris tuorum claritas radiorum! *Sanctificetur* ergo *nomen tuum.*

6. *Adveniat regnum tuum.* Nunc, Domine, regnum hujus mundi occupavit animam meam, immo totam dissipavit animam meam, totam laceravit, totam fœdavit, totam denigravit super carbones (1) sponsam tuam, dilectam animam tuam. Totum cor meum, totum animum meum, totum affectum meum vanitas, immo fœditas hujus mundi, allexit. Ideo nonnisi quæ mundi sunt, sentio; quæ carnis sunt, appeto: et sola terrena cogito, et affecto. Factus sum hujus mundi civis et sub hujus mundi principe studeo militare. Sed, Domine, nonne creatura tua sum? Ergo *adveniat regnum tuum,* ut princeps mundi hujus ejiciatur foras (2), et tu solus in me regnes, tu solus inhabites mentem meam. Totum me occupet regnum tuum; totum sibi vendicet desiderium meum; solum reficiat affectum meum. Quid quæro? Quid volo? Quid desidero? Cur vagor? Quo discurro? Quo distrahor? Sufficit mihi, Domine, regnum tuum. Ergo *adveniat regnum tuum.* Nihil de cetero cogitem; nihil desiderem; nihil affectem, nisi regnum tuum, regnum omnium sæculorum (3). Sit ibi refectio mea; sit ibi habitatio mea; sit ibi tota conversatio mea. Tu solus bonus; tu solus pulcher; tu solus amabilis; tu solus desiderabilis, animarum amator. Tu solus me regas; tu solus me allicias; tu solus cor meum habeas, animarum zelator. In te solum dulcoretur pectus meum; in te solum quiescat cor meum; tu repleas animum meum totum. Cum impetu ergo ascendam ad te centrum, et

(1) *Thr.*, IV, 8.
(2) *Jo.*, XII, 31.
(3) *Ps.*, CXLIV, 13.

regnum meum, animarum redemptor. Ergo *adveniat regnum tuum.*

7. *Fiat voluntas tua.* Hoc volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, ut in me, et de me, ac per me, non mea, sed tua voluntas fiat (1). Totus tuus sim; totus in tuum solum tendam honorem. Ad hoc natus sum, ut tuum solum requiram honorem. Jam non flectar ad meum oppositum; jam non proprium requiram commodum; jam non desiderem amicorum affectum. Non cogitem quid amarum vel dulce sit, quid honorificum vel vile, difficile vel leve, asperum vel suave; sed solum nitar in omnibus tuum beneplacitum adimplere, et cum impetu, et desiderio ferventi, et animi anxietate, curem perficere quæ tuæ sunt placita voluntati. Hoc solum mihi sit jucundum; hoc solum mihi suave; hoc solum mihi leve, delectabile, et amabile, in quantumcunque asperis, vilibus, difficilibus, et amaris, tuam requirere voluntatem. O gaudium, et jucunditas, et exultatio medullaris! et totum, et totaliter, et ubique exponere me ad omnem tui honorem, quem possim modo aliquo effectui mancipare. O utinam solus possem omnia tua ministeria, mi Domine, adimplere! Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus et visceribus concupisco, me totum impendere tuo honori, et divinæ tuæ satisfacere voluntati, quam quantumcunque cœlestibus et divinis lætitiis jucundari. Si enim pro te, mi Domine, totaliter lacerarer, et passiones, et mortes quascunque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, de eis magis gauderem, quam de quacunque delectatione, quam etiam in Patria possem habere; nisi fortasse in illa delectatione tantum aut plus cederet ad tui honorem: et hoc, non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem. Non enim factus sum ad meam vanitatem consolandam, sed ad tuam magnificentiam hono-

(1) *Luc.*, XXII, 42.

randam. Quid mihi majus? Quid mihi dulcius? Quid mihi amabilius, quam me totum in tuum honorem resolvi? O gaudium! o tripudium! o omne mihi jubilare solatium, quod possim aliquid, quantacunque difficultate, facere ad tuum honorem! Hoc est gaudium Angelorum, cœleste desiderium, Patriæ præmium, posse tibi totaliter obsequi, totaliter in te ferri, tuæ voluntati plenarie conformari, et tuum honorem, et magnificentiam admirari. Non dubito, Domine, immo certus sum, quod plus gaudent Angeli, et Animæ sanctæ, de magnificentia tui honoris, quam de magnificentia gloriæ suæ. Et ideo *fiat voluntas tua.*

8. *Sicut in cœlo et in terra. In cœlo,* id est, in cælestibus Spiritibus : *et in terra*, idest, in nobis hominibus; ut tuæ voluntati ferventer, libenter, et voluntarie obsequamur, et tuæ voluntati totaliter conformemur, secundum possibilitatem nostræ virtutis.

9. *Panem nostrum quotidianum da nobis.* Quamvis de materiali, et spirituali possit exponi; de sacramentali tamen pane maxime exponamus ad præsens. O inaudita Christi dignatio, et mira jubilatio mentis! Sanctorum præmium, Angelorum gaudium, Dei Patris Verbum, est nutrimentum meum. Lux mundi, Sol cœli, Sapientia Dei, est refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, cœli gloria facta est cibatio mea. Quid ultra affecto? Quid ultra allicere me potest? Absit a me, Domine, ut ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, circa aliud, quod est in toto mundo, afficiatur. Quomodo, obsecro, post tam nobilissimum, sufficientissimum, suavissimum, et dulcissimum cibum, potest cor meum circa vana, turpia, et immunda delectari? Quomodo, obsecro, potest cor meum, etiam ad momentum, ab isto nobilissimo cibo separari? Etsi semper non possim ipsum sacramentaliter sumere, saltem cor meum, ipsum spiritualiter non desinat ruminare. In veritate mirum, et plusquam mirum videtur, quomodo præ dulcore, et nimio amoris fervore, cor non deficit in hoc

cibo. Tu solus, bone Jesu, sis cibus meus, et refectio mea. Te solum esuriam, te avido, et insatiabili appetitu comedam; et semper sim famelicus tui. Quid te dulcius? Quid te suavius? Quid te amabilius, bone Jesu? Te solum volo comedere; te solum volo masticare; tu mihi solus dulcescas in corde. Si solus odor tuus deberet reficere totum mundum; quanto magis cibatio tua? Si in verbo, quod de ore tuo procedit (1), reficimur, et vivimus; quid est, te ipsum Verbum æternum ore percipere, et cordis dentibus masticare? Quomodo non sic cor meum delectatur in te, ut omnium obliviscatur præter te? Si omne terrenum, immo similitudo terreni, tantum aliquando cor meum occupat, ut obliviscatur tui; quomodo tua verissima præsentia me non tantum reficit, et inebriat, ut omnium mundanorum obliviscatur, et etiam mei? Hunc ergo *panem quotidianum da nobis*.

10. Sed *hodie*, Domine, *hodie da nobis* hunc panem, ut in præsenti, et semper præsentialiter eum habeamus. Sit semper præsens, saltem spiritualiter, hic cibus, ut nunquam sciat præteritum, vel futurum. Sed *hodie* dicis, bone Jesu, ut dicamus: Cur, quæso, tantum festinas esse nobiscum? Quare non differs usque cras? Quid enim in nobis vides? Quid in nobis sentis? Quid in nobis agnoscis, quod tantum es nostro inebriatus amore? Quid nobiscum lucraris? Quid in nobis reperis? Quem fructum de nobis habebis, quod nescis tardare? Si sic amor nostri te urget, ut differre nequeas, quin statim velis esse nobiscum, cum quibus nullum habes lucrum; nos qui sumus fœtidissima sanies, et indigni etiam tua creatura, quantumcunque vilissima, nominari: quomodo differimus esse tecum, ex quo tantum desideras, ut te summum bonum, speculum sine macula (2), Angelorum solatium impetremus? Tu ergo, bone Jesu,

(1) *Matth.*, IV, 4.
(2) *Sap.*, VII, 26.

differre non vis, ut ostendis; nec nos amplius differre volumus. *Hodie* ergo te petimus, ut *hodie* habeamus; nam instructio tua quid esset, si peteremus, et non impetraremus? Quia ergo te statim petimus, et desideramus, et hoc ipsum tu cupis; accede ad cor nostrum, quia ad te ascendit cor nostrum. En inebriatus es nostri, et nos tui amore. Te ergo ad nos, et nos ad te cum impetu ducit pondus amoris, ut jam omni mora sublata mutuus sit amplexus, et inter tua brachia deficiat anima nostra, absorpta amoris fervore. Sed adhuc admiror clementiam tuam, bone Jesu, quare dixisti *quotidianum*. Nunquid vis quotidie noster esse cibus? Nonne sufficit, si per unum diem habitas in nobis, et moraris nobiscum? Quid fecimus tibi? Quid ergo dicam de tanta benevolentia tua? Nescio; quia in illis thesauris clementiæ tuæ deficit animus meus, ut non possit parvam considerare scintillam; tanta est abyssus ejus. Et ideo nihil scit dicere, nisi ex quo sic semper vis esse nobiscum, nos quoque omni tempore simus tecum, et nunquam a te Sponso benignissimo, et cibo suavissimo recedamus. Et tu, Domine, nos conglutines tecum, ut nec a te possimus recedere, nec velimus. Ergo *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

11. *Et dimitte nobis debita nostra.* O mira Dei nostri erga nos dignatio! Ipsum contempsimus, et pro vilissima sanie commutavimus; et tamen nobis suadet, ut veniam petamus; quia vult nobis debita dimittere cum offensis; hoc autem noluit Angelis elargiri. Quomodo, quæso, bone Domine, potes nos amplius respicere, qui ita turpiter a nobis abjecimus te? Ergo ex quo tu ipse suades: *Dimitte nobis debita nostra; dimitte nobis*, quia jam pro nobis debitum ipse solvisti. Tu enim ipse nos doces, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra.* Hoc enim facere potes. Nonne jam pax facta est? Nonne jam pacis convivium celebratum est, et quotidie celebratur? *Dimitte* ergo *nobis debita nostra.*

12. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O bea-

tum proximi debitum! O felix offensa, quam allegare possumus coram Deo in remissionem debiti nostri! Non ergo, Fratres carissimi, contristemur, si nos offendunt homines, si nobis injuriantur, si nos affligunt, rapiunt et arripiunt nostra; sed in eis, quantum est in nobis, exultemus et gaudeamus: immo affectemus, et cupiamus; quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus remissionem debiti nostri. Non est dubium, quod magnæ virtutis, magnæque efficaciæ est allegatio ista, quod summus Advocatus et Judex noster nos docet: Dimittite, et dimittetur vobis (1). *Dimitte* ergo *debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

13. *Et ne nos inducas in tentationem.* Quid enim, Domine, prodest baptizari, et lavari a mortuo, si iterum tango mortuum (2)? Non sufficit mihi, Domine, ut peccata commissa dimittas, nisi etiam a peccatis imminentibus custodias; nam promptissimus sum ad peccatum, et nisi me custodias, irruam in peccata. Si ergo, Domine, ad probationem, et humiliationem, et exercitationem nostram vis, et permittis nos tentari; non tamen in tentationem nos permittas inferri. Quid enim, Domine, profuit Aman, quod super omnes Principes fuerit elevatus, cum postea inflatus superbia, suspensus fuit in ligno (3)? Quid etiam mihi prodesset quidquid in præmissis verbis petivi, nisi contra tentationes me conserves in bono? Ergo *et ne nos inducas in tentationem.* Vis, bone Jesu, ut sic petamus; quia permittis nos tentationibus multoties stimulari, ut ad te recurramus. Omnem modum et viam, qua possis ad te trahere nos, exerces; quia nos tecum cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos confugiam, ut ipse Pater me recipiat fugientem, et timidum, et ut dicam ei: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc vult, hoc desiderat, hoc expectat

(1) *Luc.*, VI, 37.
(2) *Eccli.*, XXXIV, 30.
(3) *Esth.*, VII, 10.

Pater meus, ut recurram ad refugium, et amplexum, et sinum ejus, ut totaliter de me diffidens, solum de ipso confidam. Ergo *et ne nos inducas in tentationem.*

14. *Sed libera nos a malo.* Verum est, Domine, quod sumus digni omni malo; quia te contempsimus omne bonum. Sed vide, clementissime Pater, infinitam misericordiam tuam, non detestabilem nequitiam nostram, et releva a nobis parvulis, et a nobis infirmis, importabile onus; et a malo opprimente, et distrahente, et retardante ad bonum, *libera nos* famulos tuos, ut libere possimus cultui tuo vacare: et maxime ab illo horribili et terribili malo æterno *nos libera,* ne desiderabili tua visione privemur, quod nunc horrent omnia ossa mea (1). Quid enim mihi prodesset tuam creaturam fuisse, nisi te habeam, et totus et totaliter in te ferar in vita æterna? Ergo *sed libera nos à malo. Amen.*

---

(1) *Job*, IV, 14.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Januarii 1903.

—

I

Explica Marc. II, 18-20: *Et erant discipuli Joannis et pharisæi jejunantes et veniunt et dicunt illi: Quare discipuli Joannis et pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus et tunc jejunabunt in illis diebus.*

II

Præmissa notione tum *significationis* tum *suppositionis* vocabuli, expone quid significet et pro quo supponere possit vocabulum *Deus*.

III

Quomodo dissentiunt Probabilistæ et Æquiprobabilistæ in solvendo dubio positivo de cessatione legis certæ.

IV

Vindica modum solutionis propositum a Probabilistis.

V

Proba in omni peccato scandali haberi speciem contra charitatem proximi.

VI

Quibusnam in missis omittitur commemoratio festi duplicis vel semiduplicis simplificati vel festi simplicis de quibus tamen commemoratio facta est in officio?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Quid significat expressio* **Filius hominis** *et quo jure applicatur in Evangeliis Jesu Christo?*

R. Sæpissime occurrit illa expressio in Veteri Testamento ibique significat non filium natum ex homine, sed per notum hebraïsmum illum qui habet attributa humanitatis, aliis verbis hominem; ordinarie connotatur conditio ejus abjecta, infirma et mortalis; v. g. Ps. 8, 5. *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Et ubi Dominus Deus Israel dignatur arcana revelare servo suo Ezechieli in visione gloriæ ipsum 80 fere vicibus alloquitur dicens: *fili hominis* (II, 1, etc.).

In Evangeliis autem 82 vicibus occurrit, sed alio prorsus sensu: solus Jesus eam adhibet (1) et nonnisi de se ipso ita loquitur (2). Ut patet, sensus ibi non est *homo* indeterminate nec etiam simpliciter *ego,* cur enim alii nunquam ita de se loquerentur? Quisnam ergo est sensus hujus nominis quod nobis quidem videri potest mysteriosum, sed tale non erat coætaneis Jesu siquidem sensum ejus nunquam explicavit? Difficultas evanescit si admittamus Jesum hanc expressionem adhibendo, tacite sibi applicasse visionem Danielis VII, 13 ss.; nam populus apud quem vivida tunc erat exspectatio Regni Dei, optime cognoscebat illam celeberrimam de eodem regno prophetiam et proinde intelligere poterat

(1) Jo. XII, 34 non est proprie exceptio: Judæi de Jesu dicunt: *Quis est iste filius hominis?* Valet: Quis est iste filius hominis de quo loqueris?

(2) Exceptionem possibilem Marc. II, 28 vide infra.

applicationem a Jesu factam. Jamvero hæc applicatio positive demonstratur ex eo quod Jesus bis explicitis verbis ad textum Danielis alludit. Matth. XXIV, 30: *videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate;* similia legimus Matth. XXVI, 64 nisi quod ibi clarius apparet Jesum de se ipso loqui: *Tu dixisti* (i. e. sum Christus Filius Dei); *verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dexteris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli.* Conferatur Dan. VII, 13: *Ecce cum nubibus cœli* (aliquis) *quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum* (Deum) *pervenit et in conspectu ejus obtulerunt eum* (adducitur ad Deum) *et* (Deus) *dedit ei potestatem et honorem et regnum et omnes populi..... ipsi servient.*

Determinata jam origine hujus nominis, sensus ejus quem intendebat Jesus definiendus est ex sensu prophetæ et ex interpretatione quæ vigebat apud coætaneos Christi; et ad prophetam quod attinet, distinguendus est sensus verborum et sensus visionis. Ille qui apparet similis est *filio hominis* seu juxta significationem ordinariam in V. T. *homini cuidam* (LXX bene vertunt modo indeterminato ως υιος ανθρωπου sine articulo), habet formam humanam. Disputatur autem quis ita designatur: alii intelligunt regem regni Dei, Messiam, alii plures personnificationem quamdam populi sanctorum seu regni objective sumpti, sicut *quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna* Deo hostilia (Dan. VII, 17). Hi duo sensus vix inter se differunt, nam ut merito notat R. P. Rose: En Orient, comme dans nos monarchies anciennes du reste, l'empire c'est l'empereur, le royaume est le roi, l'État est le moi étalé du prince omnipotent (1). Illa prophetia excitavit apud Judæos ardentem exspectationem Regni Dei et Messiæ et originem dedit multis scriptis apocryphis, v. g. IV Esdræ et libro Henoch in quibus expressio *filius hominis* non jam est terminus

(1) Revue Biblique, 1900, p. 177.

cujusdam comparationis, sed titulus; et jam non loquuntur de *aliquo qui similis est filio hominis*, sed de *Filio hominis*. Modus loquendi paululum mutatus erat, conceptus autem idem mansit quoad substantiam : ita designabant instauratorem novi regni (1).

Ex his sequitur Jesum illud nomen sibi applicando significare de se prophetasse Danielem, se esse conditorem regni Dei. Et tamen, quod mirum videri potest, ex una parte auditores ejus et ipsi discipuli non semper intellexerunt illum sensum Messianicum, et ex alia parte Jesus diu abstinuit ab explicita assumptione tituli Messiæ et prima vice legitur se ut Messiam clare manifestasse Matth. XVI, 17, idque coram discipulis tantum, imo *præcepit* eis *ut nemini dicerent quia* (= quod) *ipse esset Jesus* (vox *Jesus* non legitur in græco) *Christus* i. e. Messias.

Ratio ex eo desumenda videtur quod Jesus utens lingua aramaïca adhibebat vocem *barnash* quæ poterat quidem intelligi ut allusio verbis Danielis sed in communi sermone etiam occurrebat et quidem, ut tradunt hujus linguæ periti, cum variis suppositionibus, poterat enim supponere vel pro determinato homine vel pro aliquo homine vel pro quolibet. Imo nonnulli putant Marc. II, 28, vocem *filius hominis* sumi non tamquam allusionem ad Danielem sed in suppositione communi: quia sabbatum est propter hominem (27), ideo homo est dominus sabbati. Et Matth. IX, 6, verba: *habet potestatem filius hominis in terra dimittendi peccata*, dicta certo fuerunt cum allusione ad Danielem sed forsan intellecta a plebe juxta loquendi modum vulgarem, nam dicitur: *turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum qui dedit talem potestatem hominibus.*

---

(1) S. Joannes in Apocalypsi, quemadmodum non raro imitatur modum loquendi prophetarum V. T., ita etiam I, 13; XIV, 14, servavit expressionem Danielis: *similem filio hominis*, ὅμοιον υἱὸν ἀνθρώπου sine articulo; S. Stephanus adhibet modum loquendi posteriorem, Act. VII, 56: *Ecce video cœlos apertos et Filium hominis* (τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου cum duplici articulo) *stantem a dextris Dei.*

Addit R. P. Rose Judæos etiam quando intelligebant allusionem fieri ad conditorem Regni a Daniele prædictum, non ideo intellexisse ipsum esse Messiam exspectatum et conjicit Jesum vitasse denominationem Messiæ quia ratione habita idearum tunc vigentium, caracterem politicum necessario habebat (1). Non videmus tamen quomodo idem caracter non sit adnexus regi, conditori Regni Dei.

Præcipua quæ diximus compendiose habentur apud cl. Van Steenkiste, *Comment. in Matth.* 4ª ed. p. 319, ad Matth. VIII, 20.

A. D. B.

II

Q. *Explica notionem* simplicitatis *et indica quinam sint modi* compositionis *a Deo excludendi quatenus est Ens omnino simplex.*

R. I. Entia quæ prius nostræ cognitioni objiciuntur et a quibus omnis nostra cognitio originem habet sunt *composita*, scilicet pluribus constant. Quum autem ulterius consideramus partes e quibus aliquid constat, invenimus elementa quæ jam non pluribus constant: hæc vocantur simplicia. Simplex igitur opponitur composito: ut ens compositum dicit totum constans pluribus, ita ens *simplex* dicit aliquid *quod non ex pluribus constituitur;* ut compositio est unio plurium in uno quod his pluribus constituitur, ita *simplicitas* est *carentia unionis plurium in ente uno.*

Ideoque simplicitas est species quædam unitatis cui addit indivisibilitatem. *Unum* quippe dicitur ens indivisum; sed a se partes non excludit, et per divisibilitatem evadere potest multiplex: unde a se excludit multiplicitatem in actu, non vero multiplicitatem in

(1) Legatur ipsius articulus: *Études évangéliques*, III *Fils de l'homme et Fils de Dieu*, apud *Revue Biblique* T. IX (1900) p. 169, sqq.

potentia. Contrà *simplex* utramque multiplicitatem excludit » (1).

Sicut *unitas* ita et *simplicitas* secundum se est positiva rei perfectio; sed a nobis concipitur et declaratur *per viam negationis* (2).

Tandem nota esse contra rationem perfectæ simplicitatis non solum quod aliquid sit compositum in se, sed etiam quod in aliorum compositionem venire possit. Venire autem in compositionem alicujus nihil aliud est quam conjungi alteri principio in ordine ad constituendum tertium, quod sit diversum a suis componentibus et singulis seorsum acceptis perfectius. Inde distinguunt Auctores inter simplex *per modum partis* et simplex *per modum totius:* simplex per modum partis est id quod in se quidem non pluribus constat sed conjungitur alteri principio in ordine ad constituendum tertium: ita v. gr. anima humana in se quidem simplex est, attamen conjungitur materiæ primæ ut constituat hominem: ideo anima humana est simplex per modum *partis;* simplex per modum totius est id quod in se simplex est et non conjungitur alteri principio ad constituendum tertium: ita angelus est simplex per modum *totius*. Quum autem in ratione *partis* includatur imperfectio, ideo simplex per modum partis vocatur etiam simplex per modum *imperfectionis* vel potentiæ, et simplex per modum totius vocatur etiam simplex per modum *perfectionis* vel *actus* (3).

II. Quum simplicitas sit carentia compositionis, ut enucleetur notio simplicitatis omnino perfectæ, quatenus

---

(1) De Maria, *Theologia Naturalis*, Romæ, 1893, Tract. I, Q. II. a. 1, p. 32.

(2) Cf. Ills ac Rev. Waffelaert, *Meditationes Theologicæ*, in *Collat. Brug.*, T. IV, p. 135; De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rellarii, 1900, n. 205.

(3) Cf. Billot, *De Deo Uno et Trino*, Romæ, 1897, L. I, P. I, c. 2, p. 69; Remer, *Summa Praelectionum Philosophia Scholastica*... Prati, 1895, V. II, p. 254; Buonpensiere, *Commentaria* in I P. *Summæ Theologicæ*, Romæ, 1902, n. 182.

hæc in Deo invenitur, oportet ut inquiramus quinam sint varii modi compositionis a Deo excludendi.

Sed hîc imprimis occurrit distinctio facienda: compositio enim duplex est: nam alia est in re et dicitur *realis* seu *physica* quando nempe aliquod ens physicum pluribus constat partibus seu elementis; alia est in conceptibus nostris, et dicitur *rationis*, quando nempe mens nostra diversis conceptibus exprimit aliquid quod in se unum dumtaxat est et simplex. Prima compositio denotat imperfectionem in re, atque ideo a Deo prorsus arcenda; secunda non semper fundatur in imperfectione rei sed quandoque unice in imperfectione nostri intellectus: inde non omnis compositio logica repugnat divinæ simplicitati (1).

Nunc indicabimus *primo* varios modos compositionis *realis* quæ in creaturis, non vero in Deo inveniuntur, *deinde* varios modos compositionis *rationis* quæ repugnant divinæ simplicitati.

1. A Deo excludenda est compositio *realis*

a *ex partibus quantitativis* quæ corpori quatenus extenso et continuo insunt,

b *ex partibus essentialibus*, nempe ex materia prima et forma substantiali e quarum unione exsurgit una essentia composita,

c *ex essentia et existentia*, scilicet ex ipsa essentia et actu essendi seu esse quo essentia ponitur extra mentem et propriæ suæ realitatis fungitur actuali exercitio (2),

d *ex essentia et supposito:* licet variæ sint apud Auctores sententiæ ulterius explicantes quomodo se habeant ad invicem essentia et suppositum, tamen realis distinctio agnoscenda est inter suppositum et

---

(1) Quoad modum loquendi diversa occurrit apud Auctores significatio divisionis compositionis in physicam, metaphysicam et logicam. Cf. Jungmann, *De Deo Uno et Trino*, n. 106.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, supra p. 515.

essentiam, quatenus suppositum est *totum* cujus essentia est *pars* (1);

e) *ex substantia et accidentibus:* quatuor priores modi sunt compositionis *substantialis*, hic ultimus est *accidentalis:* consistit in hoc quod enti in suo primo esse sc. substantiali constituto accedit realitas quæ substantiæ inest ipsique esse quoddam secundarium tribuit.

2. Divinæ simplicitati repugnat compositio *logica*

a) *ex genere et differentia specifica:* hæc compositio, licet sit opus rationis, tamen locum habere nequit nisi quoad ens *finitum,* (2), et præsupponit aliquam compositionem realem (3),

b) *ex essentia et principiis individualibus:* talis compositio habetur v. gr. in homine inter essentiam humanam prout in omnibus est hominibus et principia individualia prout in tali determinato homine sunt, nempe inter materiam primam formamque substantialem et id quo formaliter habetur *hæc* materia et *hæc* forma. — Quidam Auctores contendunt hanc compositionem esse realem sed immerito, ut videtur: « neque enim individualia principia, seu, ut alii malunt, proprietates individuantes, puta *hæc* anima, *hæ* carnes, *hæc* ossa, a principibus quibus ipsamet natura communis constituitur, sunt ut res a re distincta, cum ex eadem omnino realitate quilibet homo sit et hic homo singularis et homo et animal et substantia et ens » (4).

Tandem divinæ simplicitati repugnat ut Deus veniat in compositionem cum alio: quia omne quod venit in compositionem cum alio est pars alicujus totius et proinde imperfectius toto.

---

(1) Cf. Ills ac Revs Waffelaert, op. c. T. III, p. 499 et sqq. et T. IV, p 132 et seq.

(2) Cf. Jungmann, op. c., n. 115.

(3) Cf. Billot, op. c., l. c , p. 68.

(4) Terrien, *S. Thomæ Aq. Doctrina sincera de Unione Hypostatica*, Parisiis, 1894, L. I, c. 8, p, 77; cf. Billot, op. c. l. c.

Singula quæ hic indicavimus exponuntur et demonstrantur a S. Thoma in I, Q. III.

J. V. D. M.

III

*Q. Expone quomodo dubium negativum resolvatur per principium, ut dicunt, possessionis.*

R. **Prænotandum**. Principium possessionis ex jure, ubi varia formula exprimitur, acceperunt Moralistæ (1), quod sic enuntiare solent: « In dubio melior est conditio possidentis ». Possessio nimirum, si sumatur *in propria sua significatione juridica*, eo ipso limitatur ad materiam justitiæ et dici consuevit de solis rebus corporalibus, minus proprie in eadem materia dicitur de juribus, et vocatur quasi-possessio. Moralistæ verò, *significatione quadam translata* usi, per fictionem quamdam quasi personificant legem et libertatem, eis veluti personis jurâ attribuentes: dicuntur np. possidere, sensu utique prorsus improprio, quum proprie lex obliget et libertas potius possideatur, dicuntur, inquam, possidere lex seu obligatio contra libertatem quamdiu est certa, libertas verò contra legem, quamdiu non constat de obligatione (2). Præscindentes nunc à quæstione maxime disputata circa *applicationem* magis minusve extensam istius principii possessionis, inquirimus quomodo dubium negativum ope ipsius resolvatur. In hoc enim satis conveniunt Auctores, diverso ceterum systemati morali faventes, istud principium valere saltem in casu dubii non pertingentis ad probabilitatem; quomodo autem valeat, utrum tamquam proprie dictum principium reflexum an per modum meræ formulæ, non ità concorditer nec etiam distincte explicant.

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. Mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 296.

(2) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 211; Bouquillon, *l. cit.*

Jamverò **respondemus**: Quando, post moralem adhibitam diligentiam, nulla apparet ratio gravis ad assensum trahendum sufficiens, sed solum conspiciuntur rationes leves vel nullæ, tunc standum est pro ea parte, sive obligatione sive libertate, quæ ante dubium erat moraliter certa (1). *Ratio* est quia dubium negativum non repugnat certitudini morali late sumptæ adeoque non impedit quominus libertas vel obligatio haberi censeantur, perinde ac si illud dubium ortum non fuisset (2). Aliis verbis imprudenter ageret qui ob rationes leves vel nullas sese determinaret ad actum ponendum vel omittendum; unde vir prudens meritò negligit hujusmodi rationes seu meritò spernit dubium negativum, quod eo ipso solvitur (3). Et hoc est quod exprimitur hac vel simili formula: « In dubio melior est conditio possidentis », quæ formula repræsentat potius quam efficit solutionem: videlicet hoc axioma recte applicatur ad solvendum dubium negativum « *per modum formulæ generalis* qua significatur, levem rationem attendi non debere contra legem aut libertatem moraliter certam » (4). Nec videmus quo jure hoc axioma a nonnullis traducatur tamquam verum principium reflexum, cum dubium negativum ipsum solvatur eo ipso quod sperni possit ac debeat. Vide *suprà*, p. 586 sq.

In dubio igitur negativo standum est pro ea parte quæ ante subortum dubium erat certa, et sic, rem theoretice spectando, facilis est solutio. Sed practice, in casibus np. particularibus, non semper facile est determinare quænam pars possideat. Interim, ad multas quæstiones rite expediendas, juvare possunt sequentes regulæ, ab

---

(1) Theol. Mechlin., *De conscientia*, n. 101, q. 3.

(2) Bouquillon, *op. cit.*, n. 277; Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 210, coll. n. 198.

(3) Theol. Mechlin., *l. cit.*; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 365.

(4) Bouquillon, *op. cit.*, ed 2a, n. 196; cfr. Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 212, ubi invenies quid sentiendum sit de similibus effatis moralistarum.

Auctoribus tradi solitæ: *manet libertas*, quando dubitatur utrum lex aliqua existat, vel certo existens aliquem casum comprehendat; item, in dubio facti fundantis obligationem: factum enim in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet; item, in dubio circa tempus obligationis inchoandæ; item, in dubio circa valorem actus positi: in dubio enim omne factum præsumitur recte factum; in dubio de modo, gravitate, extensione obligationis sive ex lege ortæ sive sponte contractæ, præferri potest quod est minus onerosum: in obscuris enim quod minimum est, tenendum; — contrà *manet obligatio*, quando constat de lege, sed dubitatur an adhuc vigeat; item, in dubio facti adimplentis obligationem vel circa tempus obligationis finiendæ (1). Quando omnibus consideratis non constat quænam pars possideat, recurrit indirecte solutio per principia Probabilismi: semper enim verum est nullam esse obligationem, qualecumque dubium angere nos possit, nisi de obligatione moraliter certò constet (2).

H. M.

## IV

Q. *Expone regulam juxta quam facienda est eleemosyna in necessitate proximi* **extrema et gravi.**

R. 1/ Proximo in necessitate **extrema** constituto sub gravi succurrendum est non tantum ex bonis superfluis, sed etiam, saltem aliquousque, ex bonis statui necessariis — 2/ Est pariter præceptum grave proximo in

---

(1) Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 214 sqq.; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 367 sqq.

(2) Ills ac Revs Waffelaert, *op. cit.*, n. 216; Bouquillon, *op. cit.*, ed. 1a, n. 378. Scite advertit cl. Auctor in 2a ed., p. 546, nota 4, principio possessionis solvi non posse ea dubia negativa facti in quibus habetur utriusque partis vera ignorantia, v. g. utrum necne dies hodierna sit dominica vel vigilia jejunanda. In hujusmodi casu obligatio erit vere dubia adeoque nulla.

necessitate **gravi** constituto subveniendi ex bonis superfluis status, imo ex iis quæ statui aliquo modo sunt necessaria et sine notabili detrimento detrahi possunt.

*Ratio* est quia ordo charitatis postulat ut proximo *extremam* necessitatem in bonis temporalibus patienti succurratur etiam cum notabili detrimento temporali proprio; — pariter postulat ut *grave* malum temporale a proximo avertatur quando absque notabili ejusdem ordinis incommodo id fieri potest (1).

**Explicatur** utraque regula:

1/ *Proximo* scil. cuicumque, nemine excluso dummodo sit in conditionibus requisitis, servato tamen semper ordine charitatis, *in necessitate* **extrema** *constituto*. Constituitur autem proximus in necessitate *extrema* (2) quando periculum mortis (aut alterius mali morti fere æqualis ut est periculum mutilationis, morbi insanabilis, carceris perpetui, gravissimæ infamiæ) ità proxime imminet ut moraliter loquendo sine alterius auxilio illud evadere non possit. Nec sane expectandus est articulus mortis, in quo non amplius prodesset eleemosyna.

*Sub gravi:* præceptum enim naturale divinum eleemosynæ de se sub gravi obligat (3); versatur autem hìc in materia gravissima, ut patet: tunc igitur vel nunquam præceptum eleemosynæ sub gravi urget.

*Succurrendum est:* tantum autem erogandum est, quantum requiritur ad illam necessitatem hìc et nunc sublevandam.

---

(1) Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *Annotat. in Tract. de Virt. theol.* Brugis 1900, n. 428.

(2) *Nota* ad intelligendos et rite interpretandos Auctores: cùm necessitatis gradus quamdam latitudinem habeant, alii aliter æstimant extremam, quasi extremam, gravem necessitatem. Ità alii simpliciter gravem dicunt quam alii vocant quasi-extremam etc. Idem omnino valet de decentia et superfluis status, quæ iterùm sat magnam latitudinem admittunt. Unde sedulo attendendum est ad modum definiendi Auctorum, ut eorum doctrina rite colligatur. Cfr. Ill^m ac Reverend^m Waffelaert, *o. c.*, n. 487.

(3) Cfr. *Mt.* XXV, 41 ss.

*Non tantum ex bonis superfluis.* Imprimis nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi suisque ad vitam necessariis, nisi in casu (cæteroquin parum practico) quo persona indigens talis esset, ex qua notabiliter penderet salus reipublicæ vel Ecclesiæ: propria enim vita præferenda est vitæ alterius, nisi tamen commune bonum privato prævaleat. At vero subveniendum est ex bonis *superfluis status* quæ sola absolute et simpliciter (1) vocari possunt superflua. *Superflua* autem status sunt bona reliqua præter illa (statui necessaria) quibus aliquis indiget ut cum suis convenienter vivat secundum statum et conditionem suam, attentis adjunctis præsentibus prudenterque præsumptis futuris (morbo, senectute, educatione atque provisione liberorum etc.). Statui necessaria adeoque superflua non in indivisibili consistere, verùm aliquam latitudinem pati, adeoque in prudentiæ arbitrio et discretionis stare, satis patet. Non tantum ex superfluis quoad statum, verùm

*etiam, saltem aliquousque, e bonis statui necessariis* sed superfluis quoad vitam, proximo extremam necessitatem patienti subveniendum est: quia ordinarie charitatis ordo postulat ut magis diligamus proximi vitam quam status nostri decentiam. Attamen limitatio additur: *saltem aliquousque.* Etenim ordinariis mediis præcipit charitas succurrere, non extraordinariis quibus scil. nemo ad propriam vitam conservandam uti tenetur; præterea nemo tenetur ad vitam proximi servandam, totalem status amissionem vel magnam ejus imminutionem pati: hoc enim reputatur malum gravissimum ac bono communi nocivum. Ità in publica calamitate (fame, bello etc.) divites non adeo tenentur extreme indigentibus subvenire, ut ipsi e statu suo excidant cum boni communis dispendio.

2/ *Est pariter præceptum grave*, dummodo necessitas

(1) Nam quæ solum superflua sunt naturæ, necessaria vero statui, potius absolute dicenda sunt necessaria, et solum *superflua secundum quid.*

supponatur vere gravis. Communis enim est regula charitatis hominem ex charitate erga proximum graviter obligari, ut, si absque notabili incommodo potest, grave malum alienum avertat (1);

*proximo in necessitate* gravi *constituto*. Necessitas *gravis* est in qua malum extremum mortis, morbi insanabilis, carceris perpetui etc. non moraliter certo imminet, sed probabiliter timetur, vel certo imminet periculum minoris sed tamen notabilis mali, ut gravis morbi, gravis infamiæ vel jacturæ bonorum aut sui status;

*subveniendi:* illud autem dandum est quod requiritur ad prædictam necessitatem levandam;

*ex bonis superfluis status* scil. e bonis quibus homo non indiget ad convenienter vivendum secundum statum et conditionem suam: levis enim jactura reputatur illius rei quæ neque ad vitam neque ad statum tuendum necessaria reputatur. Imo, cùm juxta ordinem charitatis (2), in gravi necessitate proximo succurrendum sit cum mediocri incommodo proprio, contingere potest quod proximo gravem necessitatem patienti subveniendum sit

*e bonis quæ statui aliquo modo necessaria sunt et sine notabili detrimento detrahi possunt*, ut quando succurrens absque sensibili diminutione potest illis bonis carere, aut aliunde brevi ea resarcire.

A. C.

---

(1) Cfr. præterea 1 *Jo.* III, 17; *Mt.* XXV, 41 ss.: hîc clare significatur plures esse damnandos ob neglecta opera corporalia misericordiæ. Atqui non est verisimile omnem illum neglectum accidere in casu ità raro necessitatis extremæ. Ergo dicendum præceptum eleemosynæ etiam extra illum casum sub gravi obligare. Atqui non apparet quando probabilius id locum habere dici possit, quam dum proximus est in necessitate gravi quam tu absque magno incommodo sublevare potes.

(2) Cfr. Ill^m^ ac Reverend^m^ Waffelaert, *o. c.*, n. 428.

V

Q. *Determina quænam sit obligatio elargiendi eleemosynam in necessitate* **communi** *proximi. Proba responsum.*

R. In **communi** *necessitate proximi tenetur, probabilius sub gravi, qui habet superfluum status, ex eo interdum pro loco et tempore, dare eleemosynam.*

**Explicatur responsum. Dicitur**

1° *In necessitate* **communi** *proximi* i. e. in necessitate quam ordinarie patiuntur pauperes mendicantes, in qua scil. aliquis ad parcam sustentationem sibi suisque procurandam suo labore (1) vere impar est, necessaria tamen charitatis subsidia opportune et absque nimia difficultate invenit, ità ut necessitas ejus moraliter certo neque extrema neque gravis futura sit. Talis, ut patet, in vera *necessitate* seu indigentia versatur, cùm propriis viribus ne tenui quidem sustentationi providere possit, et in defectu eleemosynarum haud dubie in graviorem necessitatem incideret. Charitatis igitur præceptum non iis patrocinatur qui, strenuo labore, unde parce vivant sibi comparare valent, licet digni sint qui adjuventur;

2° *probabilius sub gravi tenetur* charitatis præcepto dare eleemosynam etiam in communi indigentium necessitate, ut statim infrà probabitur;

3° *qui habet superfluum status*, scil. ille qui bona possidet (2) sine quibus decenter potest suum et familiæ statum conservare, quæque prudentiæ arbitrio et discretionis judicio determinanda sunt, et in praxi haud difficile determinantur;

(1) Ut merito observat Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, vol. I, n. 660 (ed. IX): omittendum non est posse etiam discretionis defectu in largiendis eleemosynis peccari. Nam sane iis qui ob socordiam et pigritiam egent, parce tantum subveniendum est, ne eorum pigritiæ atque otiositati faveatur.

(2) Qui habet liberam bonorum suorum administrationem vel vicariam administrationem alienorum gerit, ut tutor bonorum pupilli.

4/ *ex eo* superfluo scil. *interdum, pro loco et tempore, dare eleemosynam.* Nam non tenetur omnia dare superflua, quin tamen quantitas eleemosynæ in casibus communis necessitatis elargiendæ vix determinari possit (1). Neque ex præcepto eleemosyna communiter indigentibus omnibus et singulis semper fieri debet; neque huic vel illi determinate, sed præcepto satisfacit qui, attento statu suo et servato charitatis ordine, *interdum quibusdam pro tempore et loco* succurrit, modo uni, modo alteri prout prudens judicaverit.

**Probatio**: Sententia affirmans *grave præceptum* eleemosynæ etiam quando extremæ vel graves necessitates desunt, est probabilior. Etenim:

1° *Suadetur in S. Scriptura.* Ità Christus apud *Mt.* XXV, 41 ss. eleemosynæ præceptum urget clare significans plures, ob neglecta opera corporalia misericordiæ, æternis suppliciis esse damnandos. Atqui nihil in hoc loco ostendit Christum eos pauperes excludere qui ubique occurrunt et in communi (2) necessitate versantur. Apposite Lehmkull (3): « Christus Dominus eleemosynæ præceptum proposuit pro necessitatibus quæ de facto existunt et semper exstituræ sunt in humana societate, atque ita obligationem proposuit, ut ex neglecta eleemosyna universim sententiam æternæ damnationis incurri doceret. Atqui talis obligatio et gravis est, et respicit necessitates ordinarie sine multa inquisitione sese offerentes: qualis utique extrema [et gravis] necessitas non est, quæ raro sese offert, rarius evidens fit. Verba enim Christi adeo late ad divites patentia de re plane obvia tractent oportet. Ergo dicendum est, divites eleemosynas facere *simpliciter* debere, atque ab eo solum grave peccatum non com-

(1) De hujus quantitatis determinatione quædam notamus in fine responsi.

(2) Plura in textu allegato « esurivi.... sitivi.... hospes eram.... infirmus et in carcere » non significant necessitatem adeo urgentem.

(3) *o. c.*, n. 607.

mitti propter transmissas necessitates ordinarias non graves, qui *re ipsa* in gravioribus necessitatibus pauperes sublevet ».

Pariter sententia confirmatur 1 *Jo.* III, 17. « Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? ». Verisimile non est Apostolum verbis ità generalibus solum graviores complecti necessitates. Etenim tanquam generale principium statuit gravem obligationem præcepti eleemosynæ oriri ex *necessitate* proximi et alterius *substantia* seu *facultatibus*.

2° *Ei patrocinantur SS. Patres* ex. gr. Basilius (Homil. in illud Luc. XII *Destruam horrea* etc.); Gregorius Nyssenus (Orat. de pauperibus amandis); Gregorius Nazianzenus (Orat. ejusd. argum.); Ambrosius (Serm. LXXXI); Hieronymus (In Reg. Monach.); Augustinus (In Psalm. 147 etc.); Chrysostomus (Hom. CXXXIV ad populum) etc. Summa eorum est, ait Suarez (1), divites esse dispensatores constitutos a Deo bonorum eorum, quæ sibi sunt superflua, et esse raptores et latrones si non distribuant etc. Hæc verba sane gravem obligationem statuunt. Jamvero, non faciunt mentionem alterius necessitatis nisi ejus quæ communiter occurrit (2).

3° *Ei favet communior sententia Theologorum* quorum præcipuos inter antiquos enumeratos invenire est apud Bouquillon, *Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1878, n. 488,

---

(1) *Tract. de Char.*, Disp. VII, Sect. III, n. 2.

(2) Observandum est circa sententias SS. Patrum hîc summatim allegatas, eas, utpote concionatorio modo plerumque prolatas, non secundum rigorosam eorum acceptionem et proprietatem esse accipiendas, (quatenus scil. divites non lege charitatis tantum, verùm etiam lege justitiæ tenerentur bona superflua pauperibus dispensando tribuere) sed emolliendas esse secundum quamdam accomodationem terminorum et similitudinem (quatenus nempe domini avari, omnes pauperes ac miseros repellentes, possint graviter peccare occasione bonorum temporalium, sicut raptores et fures).

quibus recentiores atque hodierni plures addi possent. Ità Theol. Mechlin. *Tract. de Virt.* 1896, p. 164; Genicot, *Theol. Mor. Instit.*, Lovanii 1898, Tom. I, n. 225; Ill^s ac Reverend^s Waffelaert, *Annot. in Tract. de Virt. theol.*, Brugis 1900, n. 491 etc. etc.

4° *Quam sententiam præclare docet Leo XIII.* Ità in Encyclica « *Quod Apostolici* » ait: « Gravissimo divites urget præcepto, ut quod superest pauperibus tribuant; eosque divino terret judicio, quo, nisi egenorum inopiæ succurrant, æternis sint suppliciis mulctandi »; pariter in Encyclica « *Rerum Novarum* »: « Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. *Quod superest date eleemosynam* (Luc. XI, 41). Non justitiæ (1), excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed charitatis christianæ, quam profecto lege agendo petere jus non est ».

5° *Fulcitur demùm ratione theologica:* Communis est regula hominem ex charitate erga proximos graviter obligari, ut, si commode possit, grave proximi malum avertat. Atqui, ex una parte necessitates pauperum prout communiter occurrunt, grave malum societatis humanæ sunt, et ex alia parte divitibus incommodum verum aut nullum aut leve oritur ex largitione bonorum statui vere superfluorum. Ergo obligatio charitatis elargiendi eleemosynas in communibus proximi necessitatibus est ex genere suo gravis.

---

(1) Hæc verba non necessario contradicunt doctrinæ communi quæ tenet: non possidentes in extrema aut quasi-extrema necessitate positos, retinere *jus strictum* sibi arripiendi vitæ necessaria; possidentes verò habere *obligationem charitatis gravissimam* extreme indigenti ultro succurrendi, non tamen lædere justitiam renuentes nisi strictum jus indigentis vident, arripienti recistendo. Cfr. *Collat. Brug.*, T. II, p. 24 ss. Nempe prægnantem phrasim Encyclicæ optime interpretari possumus hoc modo: « non justitiæ, excepto in rebus extremis », quo casu, præter officium charitatis ultro subveniendi, habeo officium justitiæ non prohibendi indigentem ne libere de bonis meis sibi necessaria accipiat, « officia ista sunt, sed charitatis christianæ ». *Ibid.*

Patet altera pars minoris: prior pars constat ex eo quod, licet communes proximorum necessitates seorsim sumptæ videantur leves (1), tamen aggregatum omnium illarum comparatum ad genus humanum vel ad rempublicam est valde gravis materia; misericordia autem, ut ait Suarez (2), magis inclinat ad bonum commune quam ad particulare.

**Nota. Quantitas eleemosynæ** *in communibus pauperum necessitatibus eroganda presse determinari nequit.*

Multi ex antiquis theologis et generatim recentiores omnes post S. Alphonsum (3) omnino probabilius tenent *totum superfluum* status communibus necessitatibus sublevandis non esse impendendum. Neque communiori huic ac probabiliori sententiæ contradicit Leo XIII in textibus statim supra allatis. Noluerit sane S. Pontifex doctrinam S. Alphonsi, quæ revera communis evasit, sic obiter et unica phrasi reprobare. Satis clare tamen affirmat (4): *quod necessitati ac decoro superest* pauperibus esse tribuendum. Intellexerit ergo Pontifex *necessitatem* et *decorum* sensu latissimo, *superfluum* autem sensu valde restricto, ita ut non re ipsa sed solo loquendi modo a communi sententia recedat (5).

Quodsi ulterius quæratur *quanta pars superflui* sit eroganda, accurata determinatio haud possibilis videtur. Juxta sententiam quam S. Alphonsus probabilem et communiorem vocat, sufficit dare quinquagesimam par-

---

(1) Adeoque licet citra grave peccatum quemlibet eorum repellere.

(2) *l. c.*, n. 8.

(3) Liber III, n. 32.

(4) Ut e contexta oratione præsertim elucet — E textu S. *Luca* XI, 41: « Quod superest, date eleemosynam, nulla difficultas contra thesim tritur, præsertim inspecto textu originali in quo non agitur de superfluo. πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην ; e verumtamen *quæ intus sunt* sic in calicibus et catinis, de quibus sermo est vv. præc., date eleemosynam. Ut legent, patebit objectum eleemosynæ in hoc loco præscriptæ non est superfluum juste possessum sed ipsæ opes injuste acquisitæ.

(5) Cfr. Genicot, *Theol. mor. Instit.* Lovanii 1898, T. I, p. 193.

tem seu 2 °/₀ reddituum (1), i. e. ut alibi accuratius statuit quinquagesimam partem *superflui*.

Hanc porro sententiam, forsan æquo benigniorem (2), post S. Alphonsum multi amplectuntur theologi moderni. Quæ tamen determinatio plus minus arbitraria videtur nec ulla solida ratione fulciri potest. Quare satius ducimus ab illa quantitate mathematice definienda abstinere, hanc solum proponentes regulam generalem: tantum erogandum est e superfluo status quantum sufficiat ad communem pauperum necessitatem sublevandam, si omnes divites officium suum adimplerent. Quam quantitatem, utpote a circumstantiis loci et temporis (v. g. a numero pauperum in communi necessitate degentium, a gradu indigentiæ qua premuntur etc.) pendentem, prudenti uniuscujusque arbitrio relinquendam esse nemo non videt.

Ex his omnibus intelligitur quanta in hac materia prudentia opus sit concionatori ac confessario, ne facile imponant, maxime sub gravi, obligationes quæ non sunt certæ (3).

A. C.

---

(1) *Homo apost.*, tr. 4, n. 19. Imo si ingentes essent reditus, non eadem proportione urgere obligationem censet, et partem adhuc minorem dandam affirmat.

(2) Nisi attendatur ad indolem virtutis charitatis, quæ potius inclinat ad dandum spontanee ex amore quam coacte ex timore.

(3) Eo vel magis quod divites avari vel parum misericordes qui nullas eleemosynas tribuere videntur, de facto aliquid conferunt ad pauperum necessitates sublevandas, cùm gubernia ac municipia, ex ære publico tributis collecto, variis modis indigentibus succurrant. Hæc tamen caritatis seu beneficentiæ publicæ subsidia non videntur tollere obligationem gravem in thesi statutam.

VI

Q. *Determina quatenus teneatur parochus obligatione orandi.*

R. Parochus, qua talis (1), tenetur:

1° *Ratione beneficii curati* ad horas canonicas singulis diebus recitandas. Hæc obligatio beneficiatis universaliter, non præcise imposita, sed potius denuò inculcata est a Leone X Const. *Supernæ* 5 Maii 1514, § 38, in Conc. Later. V, Sess. IX publicata; et iterum confirmata atque declarata est a Pio V Const. *Ex proximo* 20 Sept. 1571 (2). Est hæc obligatio *gravis*, uti facile colligitur ex pœnis gravibus in citatis Constitutionibus contra negligentes statutis, et procedit *ex motivo religionis;* additur aliqua obligatio *justitiæ*, non quidem hoc sensu quod ex justitia teneatur beneficiatus recitare officium divinum, sed quod teneatur restituere fructus, si non recitat. (3).

Hic non est immorandum in quærendo utrum parochi in nostris regionibus habendi sint pro beneficiatis adeoque horum obligationibus ligentur et privilegiis fruantur: nunc enim constat pensiones, quæ solvuntur a gubernio in executionem Concordati anni 1801 pro bonis beneficialibus olim ablatis, habere naturam et locum bonorum beneficialium (4).

2° *Ratione curæ animarum* ad orandum in particulari pro populo sibi commisso. Etenim, ut habet Suarez (5),

---

(1) Quæstio posita procedit, ut patet, de obligatione parochi *qua talis:* unde remittimus ad tractatum *de Virtute Religionis* expendendam quæstionem de necessitate orandi pro adultis, necnon de obligatione recitandi officium divinum ratione ordinis sacri.

(2) Schmalzgrueber, Lib. III, Tit. 41, n. 56; Wernz, *Jus Décretalium*, T. II (Romæ 1899), n. 194.

(3) Cfr. Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 77.

(4) Cfr. Feye, *De beneficiis et officiis eccl.*, n. 225 sqq., De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, T. II, n. 895.

(5) *De religione*, Tract. IV, Lib. I, cap. XXX, n. 20. Cfr. Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, T. I, n. 344.

« in particulari non obligat ordinarie hoc divinum præceptum ad orandum pro aliis, nisi vel ex officio vel ex alia particulari obligatione ad hoc quis teneatur... » Hæc autem peculiaris relatio officii profectò intercedit pastorem inter et oves ipsi commissas. Hinc est quod Leo XIII Const. *In suprema* 10 Junii 1882 indubitanter asseveret quod « generatim quotquot sunt animarum pastores *fundere preces* sacrumque facere debeant pro populo quem regunt ». Apposite *Statuta* nostra, Tit. III, art. III, § 4: « *Præter alias frequentes preces, quas pro ovibus suis fundere tenentur;* meminerint Pastores..... strictam sibi incumbere obligationem... missam celebrandi pro grege suo ». Parochus igitur vi susceptæ curæ animarum tenetur obligatione personali orandi pro ovibus suis, cui profectò non satisfacit, si raro aut numquam missam pro populo ipse celebret (1); sed quæstio moveri potest utrum hujusmodi officio satisfaciat, si omnibus et singulis diebus ab Ecclesia designatis missam pro populo personaliter applicet. Respondet Berardi (2), quem approbat F. Piatus (3): « Ordinarie videtur affirmandum..... Dixi *ordinarie:* si enim populus extraordinariis tentationibus et periculis exponeretur, aut si aliqua specialis occurreret orandi necessitas, tunc parochus ad aliquid amplius teneretur ». Hæc restrictio sane admitti debet: sed parum movemur rationibus quas affert laudatus Auctor ad probandum modo indicato ordinarie obligationi orandi fieri satis: « ex una parte enim, ait, præceptum istud quoad frequentiam non est determinatum, et ex alia Sacrificium Missæ *est præstantissimum precationis genus* ut legitur in Const. cit. (Leonis XIII *In suprema*): imo in Missa (nempe in *memento* vivorum et mortuorum) Parochus pro parochianis suis vivis atque defunctis explicite orabit ».

---

(1) Berardi, *De Parocho*, n. 104.

(2) *l. cit.*, n. 103. Cfr. ejusdem *Theologia Pastoralis*, ed. 3a (1902), p. 42.

(3) *Nouv. Rev. Théol.*, T. XXVIII, p. 575 sq.

Sed si admittatur, quod satis innuunt verba citata Leonis XIII et diserte proclamant relata ex Statutis nostris, obligationem orandi esse distinctam ab onere celebrandi pro grege, non perspicitur efficacia argumentationis adductæ: sane ex una parte indeterminatio præcepti non est hujusmodi quæ eximat parochum ab orando; ex alia parte, quia explicite orat intra missam pro grege celebrandam, quæ utique est præstantissimum precationis genus, non ideo fundit preces *præter* missas populo applicandas. Unde non videtur admittendum quod parochus per se satisfaciat præcepto speciali orandi, *eo ipso* quod debite impleat obligationem personaliter offerendi pro grege. Practice tamen non est cur severiores nos exhibeamus: cum enim illud præceptum quoad frequentiam non sit determinatum, nec adeo infrequenter apud populum occurrant necessitates speciales, vix suo officio deerit parochus, qui hisce occurrentibus peculiares preces fundit pro populo sibi commisso.

H. M.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Janvier 1903.

Conformément à l'art. 10 du décret du 30 Dec. 1809, les conseils de fabrique sont tenus de s'assembler le Dimanche, 4 Janvier prochain.

La loi ne détermine aucun objet spécial à porter à l'ordre du jour de cette séance.

Liberté entière est donc laissée au conseil pour traiter, dans les limites de ses attributions, toutes les matières qui regardent les intérêts de la fabrique: voir l'énumération de ces matières dans le *Juris can. et juris can. civ. compendium* par De Brabandere-Van Coillie, T. II, n. 1020 (éd. 1899).

Toutefois le conseil doit avant tout procéder au remplacement des membres, soit du conseil soit du bureau, qui seraient décédés ou sortis par suite de démission, de changement de domicile ou d'autre cause (A. R. du 2 Août 1819). Aux termes de l'arrêté royal du 12 Mars 1849, ce remplacement doit se faire « dans la première séance du conseil qui suivra la vacance: sinon, il sera procédé par le chef diocésain, conformément aux articles 8 et 18 du décret de 1809 ». — Le même arrêté dispose que les fabriciens ou marguilliers ainsi élus « compléteront seulement le terme pour lequel leurs prédécesseurs étaient nommés ».

# Ex S. Congr. Indulgentiarum

## CORTONENSIS.

### Dubia circa altare privilegiatum.

Cum aliquod dubium circa naturam altaris privilegiati existentis in Oratorio Sororum a Sacris Stigmatibus Cortonæ degentium obortum fuerit, eo quod esset ligneum et nullo modo parieti firmatum, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ sequentia dubia solvenda sunt exhibita:

I. An lapis simpliciter consecratus, quem altare *portatile* seu *viaticum* vocant, privilegio gaudere possit?

II. Est ne necessarium ut altare sit fixum *stricto sensu liturgico* (scilicet ex toto lapideum et cujus mensa unico tantum constet lapide immediate stipitibus conjuncto et consecratum) ad hoc ut privilegio decorari valeat?

III. An sufficiat ut *sit etiam ligneum muro minime firmatum*, cum lapide in medio mensæ consecrato et alicui Sancto specialiter dicatum?

E^mi^ ac R^mi^ PP. in Vaticano Palatio coadunati propositis dubiis responderunt die 15 Julii 1902:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

De quibus facta relatione SS^mo^ D^no^ Nostro Leoni PP. XIII in Audientia habita ab inf^mo^ Card. Præfecto die 18 Julii ejusdem anni, Sanctitas Sua E^morum^ Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 18 Julii 1902.

S. CARD. CRETONI, *Præf.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amid. *Secr.*
Jos. M. Can. Coselli, *Substitutus.*

**Adnotationes.** In hoc decreto agitur de indulto altaris privilegiati dumtaxat *locali* seu *reali*, quo nempe privilegium indulgentiæ plenariæ adnexum est ipsi altari in quo sacrum litatur, absque ullo respectu ad personam celebrantis.

Ex præcedentibus autem SS. Congregationum Romanarum declarationibus jam luculenter manifestum erat:

1/ « Indulgentias altaris privilegiati adnecti non posse altaribus portatilibus », sed altare requiri « fixum et stabile » (1).

2/ « Si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello (2), nec in Rescripto, de qualitate altaris, sitne fixum scilicet vel portatile, altare censeri non posse privilegiatum, si sit portalile » (3);

3/ Quid autem *in hac materia* a S. Sede intelligatur per voces altare *fixum* et *portatile* ipsis documentis Romanis explicite declaratum fuit:

a/ nomine *altaris portatilis* venit « altare, ut dicitur, viaticum, quod constat ex unico lapide integro tantæ magnitudinis ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur. » (4)

b/ nomine altari *fixi* venit altare « stabile et inamovibile » (5), « locale » (6), « quod a loco dimoveri non possit », non autem altare « cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta ut lapis consecratus amoveri non possit » (7). Sufficit

---

(1) Cf. Decr. S. Cong. Indulg. 27 Novemb. 1764, ap. *Decreta authentica*, n. 234 ad 1m.

(2) Tamen S. Congregatio declaravit die 31 Januarii 1843 « constare de privilegio etiamsi mentio de altaris portatilitate in supplici tantum libello sit expressa, minime vero in concessionis Rescripto » (*Decr. Auth.*, n. 315).

(3) Decr. 15 Dec. 1841 (*Decr. Auth.*, n. 295).

(4) Decr. S. C. Ind. 20 Mart. 1820, ad 1m, *Dec. Auth.*, n. 334.

(5) Rescriptum S. C. Ind. 26 Martii 1867, *Resc. Auth.*, n. 405.

(6) *Decr. Auth.*, n. 295.

(7) Decr. 20 Mart. 1820, ad 2m, *Decr. Auth.*, n. 334.

nempe « ad constituendam qualitatem altaris fixi ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur » (1).

Sicut « privilegium altari conceditur, non lapidi » (2) ita etiam fixitas afficit non ipsum lapidem consecratum sed totam altaris structuram.

Sat inutiliter igitur proposita fuerunt duo priora quæsita circa quæ nulla dubitandi ratio occurrebat.

Non plane ita de dubio tertio. Diximus enim ad qualitatem altaris fixi requiri ut a loco dimoveri non possit. Ast altare, quod nec est parieti firmatum nec lapidibus aut lateribus constructum sed e ligno confectum, generatim loco dimoveri posset. Quæri igitur poterat utrum illa non obstarent fixitati requisitæ et proinde privilegio? S. Congr. responso ad III, plane confirmare videtur quod jam antea docebat R. P. Beringer : « l'autel fixe tel qu'il est requis pour qu'on puisse y attacher la faveur de l'autel privilégié, ne doit pas nécessairement être de pierre, ni tellement relié au sol qu'il ne soit pas possible de le transporter ailleurs : un autel de bois *demeurant ordinairement en place* est suffisant, même s'il peut être transporté d'un lieu à un autre. »

C. C.

(1) *Rescr. Auth.*, n. 405.

(2) Responsum S. Congr. de Propag. Fide, citatum ap. *Dur. Archiv.*, n. 334.

# Ex S. Congr. Rituum (1)

## DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, Cæremoniali Episcoporum ejusque spiritui inhærens, super cantionibus in solemniori Missa hæc censuit declarare et statuere:

I. « Cantiones quascumque vernaculas esse omnino prohibitas in omnibus Missis, quæ vel solemniter vel solum in cantu celebrantur; ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate Rubricæ præscribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel immiscere; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam ».

II. « Ea, quæ cantorum schola exequi alternatim debet, nunquam esse omittenda; sed vel per integrum cantanda, vel si vocibus jungantur Organa, partim concinenda, partim sub Organis clara voce legenda, prout Cæremoniale Episcoporum præscribit; Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit ».

III. « Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, juxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima elevatione, quam juxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, Sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis, quæ ex Liturgia canenda sunt, nihil prætermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur et quod concinitur ad Sacramentum pertineat ».

Facta autem de prædictis SS. Domino Nostro Leoni Papæ XIII per Eminentissimum et R^mum^ Dominum Cardinalem eidem Sacræ Congregationi Præfectum relatione, Sanctitas sua sententiam Sacræ Rituum Congregationis ratam habuit et confirmavit.

Die 22 Maii 1894.

---

(1) Decreta sequentia primo edita fuerunt in nova collectione, vol. III, anno 1900.

## BONAEREN.

Hodiernus R^mus^ Dominus Archiepiscopus Bonaëren., exoptans ut in Ecclesiis et Oratoriis suæ Diœceseos sacræ functiones juxta Rubricas et Decreta accurate perficiantur, remotis consuetudinibus non probatis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit; nimirum:

Dubium I. An tolerari possit usus adhibendi cymbalum seu *Pianoforte* in Matutinis Tenebrarum et in Missis ferialibus quæ Organum excludunt; et dum cantatur Passio?

Dubium II. An permitti possit ut in cantu Passionis Diaconus, qui repræsentat Synagogam, eas tantum sententias cantet quæ ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha, Pilato etc.; sententiæ vero turbæ cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata?

Dubium III. An tolerari possit antiqua et valde generalis consuetudo, ut in festis solemnioribus Sanctorum, in Vesperis, eorum Imagines, hinc et inde juxta Altare collocatæ, incensentur triplici ductu, post thurificationem Altaris, celebrante se sistente successive ante singulas ipsas Imagines?

Dubium IV. An permitti queat, ut in aliqua solemnitate Missa incipiat in meridie, ita ut ob solemnitatem cantus et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam vel amplius?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. « Negative in omnibus ».

Ad II. « Permitti posse ».

Ad III. « Affirmative, sed duplici ductu ».

Ad IV. « Prudenti arbitrio Ordinarii ».

Atque ita rescripsit.

Die 7 Julii 1899.

# Consultationes

## I

Q. Nuper Paulus catholicus, militiæ Belgicæ præpositus, uxorem duxit Bertham olim protestanticam et recenter, insciis parentibus, ad catholicismum conversam. Domicilium habebat sponsa Dresdæ, in Saxonia, ibique celebratum fuit matrimonium coram ministro hæretico, quem adeundum censuerunt nupturientes ut conversionem Berthæ celarent ac adeo iram effugerent et vindictam patris puellæ, qui, calvinianæ sectæ fanatice addictus, filiæ abjurationem ægerrime tulisset.

Porro quæriter 1°/ utrum matrimonium in casu sit habendum tanquam *validum;* 2°/ utrum et quonam titulo *illicite* egerint sponsi, et 3°/ an et quibusnam sub conditionibus possint *ad sacramenta admitti* hujusmodi conjuges?

R. ad I/.

*Valide* matrimonio juncti sunt Paulus et Bertha, modò, uti supponitur, coram ministro hæretico consensum præstiterint vere matrimonialem, intendentes scilicet matrimonium inire christianum et non tantum meram quamdam formalitatem adimplere.

Revera decretum *Tametsi*, uti testatur Joder, *Formulaire matrimonial*, 3ia edit., 1891, p. 330, non fuit promulgatum in civitate Dresdæ neque postea usu est introductum, ita ut lex clandestinitatis ibi nullatenus vigeat: quod cæteroquin diserte confirmavit Instructio S. C. de P. F. 15 Julii 1820.

Matrimonia igitur ibidem clandestine inita valida existunt, modò saltem *una pars* (1) in dicto loco non

(1) Sufficit *unius partis* exemptio, juxta Bened. XIV, *De Synodo diœcesana*, l. VI, c. VI, c. VI, n. 12 et C. S. O., in decreto 17 Nov. 1835, quippe quæ exceptio, propter individuationem contractus, alteri parti communicatur.

subjecto domicilium habeat vel quasi-domicilium; quod verificatur in casu proposito.

Ad II.

Non est dubium quominus *illicite* egerint nostri sponsi, idque *duplici* titulo: *primo*, quia non inierunt nuptias *coram parocho proprio*. Quemadmodum enim alia occasione docuimus, apud *Collat.*, V, p. 303, præsentia saltem sacerdotis proprii *ad liceitatem* requiritur etiam in locis in quibus non viget lex Tridentina *irritans* nuptias clandestinas: qua præsentia est opus ut vitentur maxima incommoda quæ nata sunt sequi ex matrimoniis de quibus authentice constare nequit; *secundo*, et potissimum, quia contraxerunt coram *ministro hæretico*, non tanquam personam agente magistratus civilis (1), sed, uti ex expositis liquet, tanquam ministrum agente ritus hæretici et quasi munere fungente parochi. In hoc nimirum actu continetur, juxta Instr. C. S. O., 14 Febr. 1864, aliqua ritui hæretico consociatio, seu quædam implicita hæresi adhæsio, ac proinde illicita cum hæreticis in divinis communicatio, a qua excusare nequaquam valet pro sponsa timor iræ et vindictæ, quantumvis gravis, ex parte patris incurrendæ.

Ad III.

Non possent Paulus et Bertha ad sacramenta recipi nisi prævie rescipiscentiæ signa dederint et absoluti fuerint a censura, quam *in foro externo* præsumuntur incurrisse ob publicam hæresi adhæsionem: lata est enim in Constit. *Apostolicæ Sedis* excommunicatio speciali modo reservata S. Pontifici in « hæreticos eorumque credentes ». Porro absolvendi sunt *pro foro externo*, ac proinde opus est peculiari omnino facultate Episcopi: ad quam non sufficeret illa, qua forte quis

(1) Ecclesia non improbat quod, lege civili imperante, pars catholica se sistat coram ministro hæresi addicto, *ad actum civilem dumtaxat implendum*. Cf. *Instr.*, C. S. O., 14 Febr. 1864.

gaudeat, facultas absolvendi ab omnibus censuris quomodocumque R. Pontifici reservatis, quum hæc altera facultas restringatur ad solum forum *internum*.

Duplex autem ritus describitur in Rit. Rom., Tit. III, cap. 3°, unus longior ac severior, alter brevior et benignior, quorum alterutrum adhibendum indicabit Episcopus; quodsi neuter designetur, per se usurpandus est, attenta gravitate delicti, ritus prior (1).

Ulterius *hortandi* essent dicti conjuges ut benedictionem sui matrimonii, in quantum opportune fieri potest, primo tempore petant. Quod providè inculcat C. S. O., in decreto 31 Aug. 1881, in quo præscribitur: « benedictionem nuptialem quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum,... omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, *quacumque ex causa* non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodò mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit ». Simul autem monetur ut conjugibus sic benedicendis significetur, maxime si neophyti sint, « benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii ». Cf. *Collat.* I, p. 96 et seq.

A. D. S.

II

Q. Juxta solutionem datam apud *Collat.*, VII, p. 544 et seq., confessarii gaudent facultate absolvendi ab omnibus censuris et peccatis reservatis alumnos vel alumnas scholarum dominicalium, die qua, statuta hora,

(1) « Quodsi Sacerdoti, monet Rubrica l. c., nulla sit a Superiore præscripta forma, nec sibi mandatum ut in forma Ecclesiæ communi vel consueta absolvat; tunc nihilominus, pro rei gravitate, prædictam cæremoniam (longiorem) et preces adhibeat; atvero si res non fuerit adeo gravis absolvere poterit » juxta formulam breviorem.

communionem generalem instituant oportet. Quibus attentis nonnulli censent eamdem confessariis suffragari facultatem in gratiam puerorum qui, uti in multis parœciis obtinet, per annum post primam communionem, singulo mense, eadem die et in missa determinata, ad S. Synaxim simul conveniunt. Postulatur autem utrum merito?

**Respondetur** *sub distinctione:*

1°/ Si pueri, de quibus in casu, per dictum annum, in corpore frequentant catechismum, uti vocant, perseverantiæ, quod passim est in usu, non videmus quare non possent æquiparari alumnis scholarum dominicalium. Non secus namque ac illi constituunt hujusmodi neo-communicantes sodalitatem aliquam, sensu utique minus stricto suprà l. c. explicato acceptam, et plane verificatur pro ipsis ratio qua nititur concessio Episcopalis.

Attende tamen huic facultati vix esse locum nisi erga *puellas*, utpote quæ solæ passim, infra annum inde a prima communione decurrentem, pubertatis ætatem sunt adeptæ (1).

2°/ Contrà si pueri, de quibus quæritur, nullo vinculo existunt inter se uniti, præterquam quod simul instituerunt primam communionem, nec ad ullum peculiare exercitium peragendum inter se conveniunt, ipsa communio generalis menstrua non est sufficiens ut censeantur sodalitatem efformare vel congregationem, etiam latiori sensu, ac proinde non potest ipsis applicari privilegium ab Episcopo elargitum, cum ad illos restringatur pœnitentes, qui membra sunt *sodalitatis* vel *congregationis*. Equidem *pro illis militat scopus concessionis*, sed, uti jam monuimus l. c., privilegium, ob identitatem rationis, imprudenter extenditur *ultra tenorem indulti.*

---

(1) Episcopus Brugensis impuberes absolute eximit a reservatione: puberes autem evadunt puellæ post annum 12$^{m}$ et masculi post annum 14$^{m}$ completum. Cf. *Libellum*, p. 14.

Attende sub 1°, (et hoc monitum spectat etiam solutionem propositam apud *Collat.*, tom. VI, p. 335 et VII, p. 544 et seq.,) confessariis erga hujusmodi pueros non suffragari memoratum privilegium, nisi communio sit indicta eo sensu generalis ut statuta hora ab omnibus simul, in corpore et ex ordine peragatur: tunc enim et non aliter verificatur concessionis finis. Non refert tamen, uti jam notavimus, tom. VI, p. 335, quod de facto nonnulli ex neo-communicantibus ab illa communione abstineant, ita ut de facto non sit stricto sensu generalis; nec etiam dicto privilegio esset frustrandus pœnitens qui, intendens pro posse in communione generali participare, forsan prævideat impedimentum obfuturum quominus cum sodalibus in corpore accedat.

A. D. S.

# Libri dijudicantur.

A. Vermeersch S. J. professeur de théologie — « Il m'a aimé! » Méditations pour le mois du S. Cœur et prières choisies. In-18, 207 p.; Tournai, H. et L. Casterman.

—

Doctissimus auctor qui scientiis theologicis et sociologicis promovendis indefesso labore nec infelici fructu incumbit, etiam pietati erga SS. Cor Jesu fovendæ operam navare merito non negligit. Alterum (1) hoc de devotione erga divinum Cor Jesu opusculum duplicem, ut ipse frontis titulo apparet, complectitur partem. In altera collectas invenies præcipuas aut liturgicas aut saltem ab Ecclesia usuque probatas et generatim indulgentiis ditatas preces in honorem SS. Cordis, v. g. missam, litanias, officium parvum, plures consecrationis aut reparationis actus aliaque diversa exercitia.

Prior autem pars intendit, ut verbis utamur Illustrissimi D. Episcopi Tornacensis, « faire connaître le Cœur de Jésus par les manifestations de son amour consignées dans les Livres Saints. Trop souvent, hélas! l'Evangile est pour les fidèles un livre fermé. Vous avez voulu le leur ouvrir et leur apprendre à le méditer. » Et revera, capite prævio speciatim commendando meditationis naturam ac methodum breviter et dilucide exponit; quæ tradidit principia ipse statim ad praxim deducit, proposito meditationis plene instructæ exemplo; tandem in meditationis materiam seligit 33 fragmenta evangelica; recitato gallice textu, proposito ad imaginationem juvandam præludio, adjectaque nota aptissima de caractere speciali materiæ meditandæ.

(1) De priori ejusdem auctoris opusculo vide *Coll. Brug.*, T. V, p. 392.

subjicit brevissime — quidam forte dicerent nimis breviter — tria quatuorve puncta quæ fere semper ex ipso textu sponte fluunt ejusque intelligentiæ multum conferunt.

Quibus omnibus efficitur, ni fallamur, ut hoc opusculum sit utile devotionis erga SS. Cor Jesu manuale, quod simul præbeat manuductionem et incitamentum ut facilius et fructuosius meditando Evangelio incumbant sacerdotes necnon fideles in pietate aliquatenus provecti.

C. C.

*
* *

**Het maatschappelijk vraagstuk.** *(La Question Sociale)* Zijn aard, zijne oorzaken en zijne oplossing door JOSEPH BIEDERLACK, S. J., uit het hoogduitsch vertaald door A.-J. VERHAEGHEN, Norbertijner Kanunnik der Abdij Averbode. Tweede Uitgave. — Averbode 1902, pp. XXII et 368 in-8° — Prix 2,50 fr.

—

L'excellent ouvrage du R. P. Biederlack « *Die Sociale Frage* » obtient en Allemagne un grand et légitime succès : il fut édité pour la première fois en 1895 à l'usage des élèves de la faculté de théologie d'Innsbruck où l'éminent sociologue enseignait à cette époque, et voilà que la cinquième édition vient de paraître. Le manuel du R. P. Biederlack justifie d'ailleurs pleinement son titre.

Dans la première partie, générale, l'auteur expose la *nature* de la question sociale, les *causes* des maux dont souffre la société à notre époque, ainsi que la *solution* que s'efforcent de donner à cet important problème les trois grandes écoles économiques : l'école libérale, l'école socialiste et l'école catholique.

La seconde partie, plus spéciale, étudie les différents aspects du problème social, c'est-à-dire les diverses

questions spéciales qu'il comporte : la question agraire, la question ouvrière (der Arbeiterfrage), la question de l'organisation corporative ou professionnelle (der Handwerkerfrage), le problème social du petit commerce ou de la petite bourgeoisie, et enfin la question ou le mouvement féministe. Chacune de ces études spéciales débute par un aperçu succint et précis sur la nature du malaise social dont souffre une classe déterminée de la société ; elle expose ensuite les causes qui ont engendré le mal, et préconise enfin certains remèdes propres à le guérir.

L'importance de ces différentes études, dont l'éminente actualité passionne grands et petits, savants et hommes du peuple, riches et pauvres, n'échappera à personne. D'autre part, elles renferment une doctrine saine et solidement appuyée sur les grands principes philosophiques, moraux et religieux qui sont à la base de l'économie sociale, et à la lumière desquels tous les hommes de bonne volonté doivent coopérer à la solution des graves problèmes soulevés de nos jours sous le nom générique de *Question Sociale*.

Il n'est donc guère étonnant que le livre du R. P. Biederlack reçoive le meilleur accueil en Allemagne.

La première édition flamande de cet important travail a trouvé des lecteurs tout aussi sympathiques : elle a été écoulée en moins de deux années. La nouvelle édition que nous présentons, mise en harmonie avec la dernière édition allemande, est enrichie de notes, dues à la plume du traducteur, le Rév. Chanoine Verhaeghen, et destinées surtout à renseigner le lecteur sur l'état actuel de la question sociale en Belgique. L'idée est excellente ; aussi faisons-nous des vœux pour que cette adaptation du Manuel du R. P. Biederlack à la situation économique et sociale de la Belgique, soit complétée dans une prochaine édition, par des renseignements plus nombreux sur les lois, les institutions et les œuvres que notre pays possède en

matière sociale, ou tout au moins par des indications plus fréquentes de sources bibliographiques belges (1).

A. C.

(1) Le Rév. Chan. Verhaeghen (pp. 284 ss ) se déclare partisan de la théorie de M. Dryvers *(De Eigendom volgens het goddelijk en volgens het menschelijk recht pp. 162 ss.)* en matière d'assurance contre la vieillesse, et comme lui, trouve que la loi belge du 10 Mai 1900 concernant les pensions de vieilesse est injuste. Nous avons, à ce sujet, présenté quelques observations dans notre compte-rendu de l'ouvrage de M. Dryvers, auxquelles nous nous permettons de renvoyer le lecteur (v. pl. ht p. 555 s.). D'aucuns regretteront que dans la question si difficile — et malheureusement si embrouillée — de la fixation du juste salaire, l'éminent traducteur n'ait pas mentionné les *Observations* publiées par S. G. Monseigneur Waffelaert (*Coll. Brug.*, T. VI, p. 15 ss.). Elles ramènent la longue et fastidieuse discussion qui a surgi à propos du juste salaire, sur son véritable terrain et donnent, en quelques principes fondamentaux et clairs, une solution autorisée que le R. P. Biederlack laisse entrevoir peut-être, mais ne propose certes pas avec la même justesse et la même précision.

# INDEX

## Documenta Romana


Pag.

Litteræ Card. Parocchi de SSæ Eucharistiæ specierum genuitate et conservatione curanda (30 Aug. 1901). 57

SS. D. N. Leonis XIII allocutio in Consistorio 16 Dec. 1901 habita *de divortio civili*, et excerpta quædam ex encyclica *Arcanum* de eodem argumento . . . . 169

Lettre apostolique de S.S. Léon XIII, à l'occasion de son jubilé pontifical (19 Mars 1902). . . . . 273

Acta S. Sedis recentiora de cultu Sacratissimi Cordis. 324

Epistola encyclica SS. D. N. Leonis XIII *de SSma Eucharistia* (28 Maii 1902) . . . . . 377

SS. D. N. Leonis XIII litteræ Apostolicæ de institutione consilii seu *commissionis* studiis S. Scripturæ provehendis (30 Octobris 1902) . . . . . 617

**Ex Secretaria Brevium.** — Indulgentiæ conceduntur gestantibus Scapulare SS. Cordium Jesu et Mariæ (17 Mart. 1902 — *cum adnotationibus*). . . . . 260

Indulgentiis ditantur preces: *Mon Dieu, mon unique bien, Vous...* — *Requiem æternam dona*. . . . . 404

Indulgentiæ adnectuntur *Coronæ S. Spiritus* . . . 404

**Ex S. Congr. de Prop. Fide.** — Circa liceitatem extrahendi fœtum ectopicum immaturum ex sinu matris (20 Martii 1902 — *cum adnotationibus*) . . . . . 605

**Ex S. Pœnitentiaria.** — Solvitur dubium circa casum onanismi conjugalis (13 Nov. 1901 — *cum adnotationibus*). 104

Item circa interpretationem nominis *parochi* in quadam facultate quinquennali pro foro interno (17 Julii 1901) . . . . . 106

Responsum circa valorem in conscientia testamenti circa causas pias *civiliter* invalidi (10 Januarii 1901 — *cum adnotationibus*). . . . . 149

Item circa ætatem superadultam oratricis uti causam dispensationis matrimonialis allegatam (5 Aprilis 1902). 488

**Ex Sacra Congr. Indulgentiarum.** — De sodalitatum *S. et Imm. Cordis Mariæ pro conversione peccatorum* Archisodalitati Parisiensi necessaria aggregatione (13 Nov. 1901). . . . . 108

Indulgentiæ conceduntur pro exercitiis in honorem SSmi Nominis Jesu intra mensem Januarii (4 Martii 1902). . . . . 212

Pag.

Indulgentiæ *Scalæ Sanctæ* de Urbe aliquatenus extenduntur ad ascendentes Scalam Sanctam in Lourdes (30 Jan. 1902 — *cum adnotationibus*) . . . . . 214

Probatur quædam methodus peragendi Viam Crucis in sacellis Religiosarum (7 Maii 1902). . . . . 487

Sanatur erectio invalida Stationum Viæ Crucis (27 Maii 1901) . . . . . 542

Indulgentia ditatur jaculatoria: *N. Domina Lapurdensis, o. p. n.* (28 Junii 1902) . . . . . 543

Circa visitationem ecclesiæ pro Tertiariis S. Francisci, in ordine ad indulgentias lucrandas (18 Julii 1902 — *cum adnotationibus*). . . . . 607

Dubia circa altaria privilegiata (18 Julii 1902 — *cum adnotationibus*) . . . . . 656

**Ex Sacra Congreg. Rituum.** — Decretum *Colimen.* 12 Julii 1901 de delatione libri Evangeliorum a Diacono ad altare: de modo sumendi ablutionem in Missa: de loco quo Subdiaconus, cantata Epistola, genuflectit ad benedictionem accipiendam; de modo recedendi ad sedilia, exposito SS. Sacramento; de consuetudine utendi instrumento ad ungendum infirmos vel baptizatos; an liceat canere Vesperas nocte et exponere SS. Sacramentum; an altare majus possit esse altare sepulcri feria V in Cœna Domini; an acolythus Sanctissimum Sacramentum incensare ad elevationem possit a parte Evangelii; de pluribus missis cantandis de eodem officio — *(cum adnotationibus)* . . . . . 42

Decretum *Romana* 11 Augusti 1901. De dignitate apostolica S. Barnabæ et de præferentia danda ejus festo et officio in occurrentia et concurrentia cum officiis aliorum Sanctorum ceteris paribus. . . . . 45

Decretum *Vicentina* 20 Augusti 1901, de absolutione post Missam lectam de Requie: de loco quo recitatur Psalmus *De profundis* etc. post absolutionem; de discooperiendo Ligno S. Crucis vel imagine Crucifixi in Parasceve: de removendis ornamentis Altaris in quo SS. Sacramentum fuit reconditum in Parasceve; de consuetudine dicendi *Dominus vobiscum* ante orationes coram SS. Sacramento publice exposito — *(cum adnotatione)* . . . . . 46

Decretum *Vallis Vidonis* 29 Novembris 1901, an Missa votiva SS. Cordis dici possit prima feria VI Januarii occurente Vigilia Epiphaniæ; circa usum stolæ in Vesperis coram SS. Sacramento exposito; circa usum coloris rosacei in paramentis Dom. 3 Adventus et Dom. 4 Quadragesimæ — *(cum adnotationibus)* . . . . . 153

Pag.

Decretum *Plocen.* 6 Decembris 1901 circa ministrum in missa cum cantu non solemni celebranti assistentem, an debeat esse in sacris — *(cum adnotatione).* . . . 157

*Dubium* 6 Decembris 1901 circa modum cantandi Litanias Lauretanas. . . . . 160

Decretum *Romana* 4 Martii 1902, de genuflexionibus faciendis quibusdam diebus ferialibus a choro in missis sine cantu: de genuflexione continuanda iisdem diebus in choro dum fiunt commemorationes et suffragia — *(cum adnotatione)* . . . . . 262

Decretum *Romana* 27 Martii 1902, de missa votiva SS. Cordis Jesu, pro prima feria VI mensis indulta, non permissa in ecclesia, ubi unicus sacerdos missam conventualem officio convenientem celebrare vel missam pro populo applicare tenetur; nec permissa in festo Purificationis B. M. V. . . . . 330

Decretum *Augustana* 11 Aprilis 1902, de Psalmo *De profundis* non canendo sed recitando in elatione cadaveris; de nocturno dicendo in officio defunctorum extra diem obitus vel depositionis; de Responsorio *Libera* in die Dominica occurrente duplice primæ vel secundæ classis; de festo Annuntiationis transferendo etiam quoad solemnitatem — *(cum adnotationibus)* . . 331

Decretum *Labacen.* 28 Aprilis 1902, de privilegio circa missas *de Requie* concesso sacellis vel ecclesiis sepulcreti declaratur non valere pro sepulcreto derelicto; nec pro ecclesia parochiali quæ circumjacens habet cœmeterium; de oratione in anniversariis extra diem anniversariam obitus fundatis; an anniversaria late dicta, quæ infra octavam Commemorationis Defunctorum pro fidelium pietate locum habent, permittantur aliis temporibus; de missa *in cantu* Commemorationis Defunctorum non præscripta; de missa ut in die obitus celebranda eadem die Commemorationis, occurrente alicujus defuncti depositione; de funere cum missa exequiali cantata non necessario in oratoriis *semipublicis*, ut inibi fieri possint missæ lectæ *de Requie;* de præsentia *morali* cadaveris *in domo* sufficiente ut missæ privatæ de Requie permittantur in oratoriis privatis; de missa exequiali solemni impedita festis duplicibus primæ classis quæ sunt localia solemniora; de missa *de Requie* pro prima vice post obitum vel ejus acceptum nuntium, non permissa diebus quæ excludunt duplicia primæ classis; de formulari missæ adhibendo *ut in die obitus* diebus semiduplicibus et simplicibus occurrentibus ab obitu usque ad depositionem, et etiam in biduo post factam ob gravem causam sepulturam sine

Pag.

missa exequiali; de diebus quibus permittuntur missæ *de Requie* per totum mane, exposito corpore Episcopi Diœcesani defuncti in propriæ ædis aula majori; de non exponenda pyxide in throno; de non celebranda missa *de Requie* in expositione permanente et ex causa publica SS. Sacramenti cum pyxide; de obligatione dicendi missam *de Requie* permittente ritu, a sacerdote qui tenetur ex fundatione vel ex stipendio accepto ad celebrandum pro uno vel pluribus defunctis — *(cum adnotationibus)* . . . . . 392

Decretum generale 22 Maii 1894, de cantionibus vernaculis omnino prohibitis in missis solemnibus vel cantatis; de non omittendis quæ schola cantorum exequi alternatim debet; cantoribus infra elevationem silendum est; post elevationem, cantato *Benedictus,* sub certis quibusdam conditionibus aliquis cantus addi potest . . . . . 659

Decretum *Bonaeren,* 7 Julii 1899, de usu cymbali seu *Pianoforte* in Matutino tenebrarum, missis ferialibus et Passione; de parte Passionis cantata a schola cantorum; de incensatione Imaginum Sanctorum in Vesperis; de missa incepta in meridie et protracta usque ad horam secundam. . . . . 660

—

## Documenta episcopalia

Acta Congregationis Prosynodalis habitæ die 13 Maii 1902 in palatio episcopali, Brugis . . . . . 337

—

## Meditationes Theologicæ

Meditationes theologicæ ab Ill^mo ac Rev^mo G. Waffelaert, Episcopo Brugensi, clero suo dicatæ . . 58
218, 417, 497, 561.

—

## Conferentiarum quæstiones et responsa

*Ex S. Script. Veteris Testam.*

Exponitur Exodi XXI, 5, 6 . . . . . 2
» Ps. IV . . . . . 76
» » XXXIX, 7-9 . . . . . 114

Pag.

Exponitur parabola vineæ (Is. V, 1-7) . . . . . 177
» Ps. XLIV, 9, 10 . . . . . 229
» » L, 12-14 . . . . . 304
» Isaïæ VI, 1-4 . . . . . 355
» » XI, 1-5 . . . . . 435

## *Ex S. Script. Novi Testam.*

Exponitur Matth. V, 21. 22 . . . . . 510
Declaratur quid sit *regnum Dei* seu *regnum cælorum* . 578
Explicatur origo et sensus expressionis *Filius hominis* in quantum applicatur Jesu Christo . . . . . 633

## *Ex Theologia Dogmatica.*

### Ex Tractatu de Ecclesia.

Exponitur quisnam assensus a nobis postuletur, quando Ecclesia docet in re fidei vel morum. . . . 4
Explicatur in quo consistat sanctitas Ecclesiæ . . 78
Declaratur in quo consistat Ecclesiæ unitas communionis et unitas fidei . . . . . 117

### Ex Tractatu de Deo Uno et Trino.

Exponitur quid sit divinum attributum tum late tum stricte dictum et quænam sint præcipua Dei attributa stricte dicta . . . . . 179
Explicatur in Deo esse omnes creaturarum perfectiones . . . . . 231
Declaratur cur intellectus noster necessario plures in Deo distinguat rationes et cur nomina quæ proprie dicuntur de Deo non sint synonyma . . . . . 305
Exponitur notio infiniti. . . . . 357
Ostenditur ex sola idea infiniti quam naturaliter habemus demonstrari non posse existere ens infinitum . 438
Demonstratur ex ratione Deum esse simpliciter infinitum in perfectione. . . . . 513
Solvitur difficultas contra assertum: « Ens infinitum continet omnem perfectionem » . . . . . 581
Traditur notio simplicitatis et indicantur varii modi compositionis qui Dei simplicitati repugnant . . . 636

## *Ex theologia morali fundamentali.*

Pag.

Datur notio actus humani . . . . . 7
Explicatur quid sit voluntarium, quid involuntarium. 80
Utrum et quare conveniant voluntarium et liberum in re morali . . . . . 83
An et quare liceat observare legem certò injustam . 119
Determinatur objectum legis naturalis . . . . . 183
Explicatur quomodò lex naturalis differat a lege positiva . . . . . 186
Demonstratur omnem legem inducere obligationem conscientiæ . . . . . 235
Solvitur casus de subjecto legis ecclesiasticæ passivo. 308
Item de potestate Ecclesiæ ferendi legem circa actus internos; necnon de applicatione legis prohibentis librum perniciosæ lectionis . . . . . 311
Quid sit *Epikia* et quænam leges epikiam admittant. 360
Explicatur et probatur propositio: Conscientia est regula proxima et formalis actuum humanorum. . . 443
Quale et quantum peccatum sit agere contra conscientiam præcipientem vel prohibentem . . . . . 445
Quomodo agere debeat qui habet conscientiam perplexam . . . . . 516
Quomodo et quare peccet agens cum conscientia practice dubia. . . . . 583
Indicatur generatim quomodo conscientia efformari possit practice certa. . . . . 586
Exponitur quomodo dubium negativum resolvatur per principium, ut dicunt, possessionis . . . . . 640

## *Ex theologia morali speciali.*

### Ex Tractatu de Fide.

Definitur *infidelitas positiva* . . . . . 10
Explicatur quid sit *hæresis* . . . . . 13
An et quomodo peccet qui ex mera curiositate ritibus cultus acatholici vel concioni hæreticorum interest. . . 85

### Ex Tractatu de Spe.

Quodnam sit *motivum formale actus spei* theologicæ . 122
*Probatur* responsum præcedens . . . . . 125

Pag.

Utrum et cur liceat operari *unice intuitu mercedis æternæ* . . . . . 189

Explicatur quomodo theoretice et in dubio practice distinguatur *desperatio* a diffidentia . . . . . 240

Indicantur remedia contra desperationem . . . . 243

Ex Tractatu de Charitate.

Exponitur *notio* charitatis theologicæ . . . . . 315

Explicatur *motivum formale* charitatis theologicæ . . 366

Exponitur quomodo *idem sit motivum formale* in charitate erga proximum et nosmetipsos ac in charitate erga Deum . . . . . 370

Utrum et quo sensu *dilectio inimicorum* sit in præcepto . . . . . 447

Explicatur quomodo *dilectio Dei* debeat esse *super omnia*. . . . . 518

Quæritur utrum et cur *charitas viæ* possit esse tam perfecta quam *charitas patriæ* . . . . . 521

Explicantur conditiones requisitæ ut obliget *correptio fraterna* . . . . . 589

Exponitur regula juxta quam facienda est *eleemosyna* in necessitate proximi *extrema* et *gravi* . . . . . 642

Determinatur quænam sit obligatio elargiendi eleemosynam in necessitate *communi* proximi. Probatur responsum . . . . . 646

*Ex jure canonico.*

Describitur essentia muneris parochialis . . . . 16

De sepultura peregrini in loco accidentalis obitus quoad jura parochialia . . . . . 128

Determinantur generatim jura parochi circa oblationes liberas fidelium . . . . . 245

Determinantur jura parochi relate ad communionem paschalem et communionem infirmorum . . . . . 319

Quinam jure ecclesiastico teneantur celebrare pro grege . . . . . 450

Qualis et quanta sit obligatio parochi celebrandi pro grege . . . . . 526

Determinatur quatenus teneatur parochus obligatione orandi . . . . . 652

*Ex S. Liturgia.*

Pag.

Quænam missæ solemnes vel cantatæ *de Requie*, præter exequialem, celebrari possint diebus quibus officium est ritus duplicis . . . . . 89

In quibusnam missis de Requie dicatur una tantum oratio et quænam hæc esse debeat . . . . . 193

In missis quotidianis defunctorum quot, quænam et quo ordine dici debeant vel possint orationes. . . . 373

In quibusnam missis infra aliquam octavam dicenda sint Præfatio et *Communicantes* huic octavæ propria, et quonam tono Præfatio sit cantanda in iisdem missis cum cantu celebratis. . . . . 592

—

## Dissertationes

De iterando Baptismate domi collato . . . . . 20

De confessione vel contritione communioni præmittenda . . . . . 94, 215

Circa matrimonia in extremis . . . . . 132

De incensationibus in Missa solemni . . . . . 199

De cæremoniis cantum Evangelii in Missa solemni comitantibus . . . . . 248

Annotatio Clichtovei Neoportuensis in officium SS. Corporis Christi . . . . . 298

Circa verba Christi apud Jo. II, 4: *Quid mihi et tibi est, mulier?* . . . . . 454

De origine mali . . . . . 462

Circa onanismum conjugalem. . . . . 472

De consecratione pyxidis extra corporale positæ. . 598

Divi Bonaventuræ paraphrasis ascetica Orationis Dominicæ . . . . . 622

—

## Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars . . . . . 111

Séance légale du mois d'Avril. . . . . 205

Séance légale du mois de Juillet . . . . . 405

Séance légale du mois d'Octobre. . . . . 542

Séance légale du mois de Janvier 1903. . . . . 655

## Jurisprudence administrative

Pag.

Emplacements des églises; intervention de la commission royale des monuments (Circ. min. 27 Avr. 1901). 48

Bureau de bienfaisance. — Charge de remettre au Curé les sommes nécessaires au service des messes fondées. — Clause réputée non écrite (A. R. 23 Juillet 1901) . . . . . 49

Fabrique d'église; legs de bijoux pour l'ornementation d'une statue (A. R. du 5 Avril 1902). . . . . 333

Legs aux pauvres: est réputée non écrite la clause déterminant les membres d'une confrérie comme devant en bénéficier de préférence (A. R. 24 Mars 1901). 535

Legs à une institution privée: nullité — Assistance aux services religieux: clause réputée non écrite — Réclamation: transaction approuvée (A. R. 11 Décembre 1901) . . . . . 536

Legs à une fabrique d'église: réduction — Charge d'entretenir une chapelle non reconnue: simple désir (A. R. 23 Juin 1902) . . . . . 539

—

## Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Règlement communal interdisant la vente de journaux dans les rues sans autorisation — légalité (Cassation — Arrêt du 7 Oct. 1901) . . . . . 252

—

## Législation Sociale

**Loi sur les Unions Professionnelles** du 31 Mars 1898.

Texte et Commentaire . . . . . 30 ss. 99 ss. 138 ss.

**Pensions de vieillesse.**

Communications importantes, Primes d'encouragement, subvention annuelle de 2 fr. . . . . 146

**Allocation annuelle de 65 francs.**

Instruction générale — et — circulaire ministérielle du 5 Février 1902 . . . . . 206

Pag.

Vieillards hospitalisés — Circulaire ministérielle du 20 Mai 1902 . . . . . 406

Arrêté royal du 25 Juillet 1902. — Observations. . 531

—

## Consultationes

Determinatur quænam requiratur impossibilitas recurrendi ad eumdem confessarium, ut hic quandoque directe absolvere possit a censura R. P^ci reservata, absque onere recurrendi Romam . . . . . 50

Utrum in casu proposito summa *pecuniæ inventæ* integre sit restituenda et quibusnam. . . . . 51

Utrum peccans cum impubere a reservatione immuni, ipsemet a reservatione fiat liber. . . . . 109

Utrum recte dicatur: B. M. V. *ideo* fuit impeccabilis *quia* immaculata in sua conceptione. . . . . 160

Circa casum sacrilegæ libidinis in diœcesi Brugensi reservatum. . . . . 163

Au sujet des versements à effectuer par une certaine catégorie d'ouvriers pour jouir à 65 ans de l'allocation de 65 fr. . . . . 166

Circa perseverantiam delegationis ad assistendum matrimonio, defuncto delegante. . . . . 264

Utrum venditio scapularis B. M. V. de Monte Carmelo inducat indulgentiarum amissionem. . . . 268

An et quomodo sit celebrandum festum tum Titularis propriæ ecclesiæ, tum titularis antiquæ ecclesiæ matricis. . . . . 269

Les art. 1733, 1382 et 1383 du Code civil sont-ils applicables aux curés occupants d'un presbytère, propriété de la Fabrique ou de la commune?. . . . . 335

Ad quid teneatur qui cum puella consentiente et absque matrimonii promissione copulam fornicariam habuit e qua proles nata est . . . . . 408

Sur le caractère des obligations résultant des statuts d'une société mutualiste . . . . . 489

Circa extensionem facultatis cujusdam absolvendi a reservatis in diœcesi Brugensi . . . . . 544

Circa moribundi absolutionem et Extremam Unctionem ei administrandam. . . . . 546

Quomodo agere debeat confessarius cum filiis-familias, invitis parentibus, et cum conjugatis, relictis prolibus et uxore, ad exteras transmigrare intendentibus. 549

Pag.

[illegible] sint obnoxia. 550

[illegible] in missa cantata sine [illegible] Diacono et Subdiacono . . . . . 610

[illegible] circa missam per grege et indirectam perceptionem stipendii per altera missa eadem [illegible] . . . . . 611

[illegible] ministro haeretico celebratum [illegible] et utrum [illegible] ad sacramenta [illegible] . . . . . 661

[illegible] facultatis absolvendi a [illegible] Brugens. . . . . 663

—

## Libri dijudicati

[illegible] pieuses lectures pour tous les jours du mois de Marie . . . . . 54

[illegible] . . . . . 55

[illegible] Auct. [illegible] . . . . . 111

[illegible] — et — [illegible] auctore [illegible] . . . . . 409

[illegible] par N. Coucke . . . . . 493

*Méditations sur la Passion et le S. Cœur.* . . . . . 495

[illegible] door Fr. Dryvers. . . . . 552

[illegible] *Jesu Christi* [illegible] auctore [illegible] . . . . . 557, 616

[illegible] . . . . . 613

[illegible] *Méditations pour le mois du S. Cœur* . . . . . 666

[illegible] door J. Biederlack. — vertaald door A. J. Verhaeghen . . . . . 667

GTU Library
3 2400 00271 9585

Collationes Brugenses

v.7
1902 CBPaC

v.7
1902 25285

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709